

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:3-1192015415-150404433-12/fragment/page=1

1. Aufl. Bern 1697.
Francker 1705. 1706 (s.u.)
Lyon 1723

Hunc librum Musis
suis inservientem
iure possidet
Theodor Mahlmann


Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:3-1192015415-150404433-12/fragment/page=2

TH 1105

Theodor Mahlmann
15.3.1929

Johannes Rudolf Rudolf
(4.10.1646 – 1718

s. Rudolf Hellsperger, [...]
Studien zur Kirchen- und
Theologiegeschichte der refor-
mierten Schweiz [...].
Bern u.a. 2001, S. 29–50



FRANEQUERAE,
Excudit FRANCISCUS HALMA, MDCCVI.

CATECHESIS PALATINA,

Brevi Quæstionum & Responsionum Analysi, & ampliore rerum Exegesi, in qua S. Theologiæ præcipua explicantur, suisque argumentis pro instituti modo confirmantur & defenduntur,

In usum Auditorii sui illustrata

à

J. RODOLPHO RODOLPH,
V. D. M. Theol. Catech. & Ling. Hebr.
in Schola Bernensi Professore
Publico.

2 Tim. 1. v. 13.

Exemplar teneto sanorum sermonum, quos à me audisti, in fide & charitate, quæ est in Christo Jesu.

Editio Nova, accuratior & emendatior.

LUGDUNI BATAVORUM
Apud JOH. & HERM. VERBEEK.
MDCCXXIII.

PRÆFATIO
AD LECTOREM

IN publica peccâsse commoda haud immeritò viderer, iniquus alieni otii arbiter, si schedas hasce, nulla graviori necessitate adductus, typis vulgari sivissem. Quapropter ne inconsideratæ temeritatis abs te postuler, paucis de consilii & instituti ratione mihi præmonendus es. Novennium labitur, ex quo Cathedram Ethicam cum Theologico-Catechetica, Deo sic providente, commutare jussus præcepta Catecheseos Palatinæ publicis prælectionibus expono. Id muneris vixdum eram aggressus, quum mihi difficillimum fore prævidi, omnium ordinum Adolescentibus Studiosis, qui pro more legibus firmato ad meum auditorium confluere solent universi, eam impendere curam, quæ certum mihi operæ fructum laborisque proventum promitteret, præceptorem prægravante

discipulorum numero. Neque enim discenda prælegisse satis est, quem laborem auditorii infrequentia nihilo redderet tolerabiliorem, audita etiam alternis horis à discipulis repeti, mandant leges nostræ Academicæ: quo casu diffusam in tantum numerum curam vix sentire possunt singuli, pro sui quisque ingenii captu propriis quoque adminiculis egentes. Hinc adeò ne quæ prælegerem, in tanta ingeniorum turba, plurimos, ut fieri solet, parùm attentos præterlaberentur, vel minus memoriâ valentibus citò oblivione effluerent, necessarium duxi, ut non fugiente solum docerem voce, sed etiam ad calamum dictarem, quæ literis custodibus, quam memoriæ malè firmæ credita mallem, ad usum, quoties occasio ferret, depromenda: tametsi hanc docendi viam ingressus aliquod facerem temporis dispendium, pœnitendum utique, nisi spes bona animum haberet meum, idem amplo operæ tardioris pretio pensatum iri. Necdum tamen quem exspectaveram institutionis publicæ profectum hactenus mihi pro voto videre datur, discipulis bene multis, præsertim novitiis illis.

quos

quos annua nobis dant ſupplementa, ſegniore vel minus aſſueta manu dictantis vocem aſſequi non valentibus; aliis per negotia ſecularia ſive ſua, ſive aliena, qualia vel cauſari ſaltem familiaris docet inertia, vel ſuſcipere dura cogit neceſſitas, ab auditorio abſentibus, nec ſuccedaneâ diligentiâ præteriti temporis ceſſationem reſarcientibus. Inde adeò fit, ut, abſolutâ inſtitutionis periodo, rari inveniantur, quibus dictata noſtra omnia ſint in promptu, cæterique præſumta commentationis prolixitudine â transſcriptionis labore abſterreantur. Quapropter vel idem curriculum mihi, quamlibet moræ pertæſo, uſque & uſque erit redordiendum, vel meditata preli beneficio ſemel communicanda cum omnibus. In quam partem ut tandem, re multum deliberata, propenderem, fecerunt hinc quidem oneris levandi temporisque lucrandi ſpes, inde verò amicorum atque fautorum minime ſpernenda authoritas. Id ergò velim tibi penitus perſuadeas, me meis diſcipulis, eôque duntaxat animo ſcripſiſſe, ut ipſorum in ſtudiis ſacris profectum hâc qualicunque oppellâ juvarem: quod inſtitu-

tum etiam, Deo vota secundante, successurum spero. Sic enim alterum tantum temporis lucrati cursum longe brevioribus spatiis emetiri poterimus. Sic institutio nostra non erit nisi Catechetica, perpetua quæstionum & responsionum reciprocatione, familiarique & ad captum cujusque attemperata dictorum repetitione: quo docendi genere ad provehenda cognitionis & pietatis incrementa nullum esse utilius norunt, quibus erudiendæ juventutis negotium datum est. Atque hæc mihi causa fuit, cur non solum pleraque olim copiosius tractata nunc in compendia conferrem, verum etiam methodo erotematicâ, quò facilior esset rerum discendarum intelgentia, digererem. Præsecui igitur plurima ante dictata, ne mole nimia intumescens liber fastidium pareret legentibus. Sicubi brevitas caliginem habet, eô excusabitur, quòd vivæ vocis conjugio scriptum hoc sociandum destinatur, per quam suppleri solet, quicquid in hoc scripti genere desiderari possit. Penum instruxisse mihi videor, unde posthac depromere liceat, quæ omnibns, qua Philosophiæ, qua

Theo-

Theologiæ Studiosis, usui esse & ad interiora sacræ disciplinæ viam communire queant. Non miraberis ergo subinde tradi, quæ Catecheticæ institutionis modum supergrediuntur: sunt enim nihilominus pleraque sic comparata, ut facili delectu etiam ad popularis institutionis usum revocari possint. Rerum explicationi perpetuam, sed brevem, Quæstionum & Resp. Catech. Analysin præmittere volui, tum ut ordinem analysi delineatum sequeretur rerum exegesis: tum ut isto veluti proludio ad analysin textûs Sacri præpararentur Theol. Studiosi: quam operam hactenus suo non carere fructu compertum habeo ex auditorio practico, quod curam nostram exercet. Cæterum quid mihi foret agendum, qua & quo eundum, libelli quem enarrandum sumseram, me docuit inscriptio, quæ Catechesin profitetur religionis Christianæ, delineationem ergo pietatis, & informatam verborum & rerum descriptionem, quibus & utile & necessarium est a puerili ætate imbui Christianos. Quapropter institutionem hanc oportet 1. ex solo Dei verbo, sive *sermonibus* διδακτοῖς *Spiritus Sancti*,

hauriri. *Quæstiones* igitur *stultas & indisciplinatas, inania sensus vocabula & verborum certamina*, παραδιατριβὰς & *contrapositiones scientiæ falsò hoc nomen præferentis*, tanquam ὑπέρογκα ματαιότητος *prætumida vanitatis onuscula*, hinc procul exesse jubeo. 2. Esse claram, nervosam, captui simplicium, qui ætate, vel cognitione pueri sunt, attemperatam, quæ gratam intellectui lucem affundat, *demonstratione Spiritus* conscientiam ad Christi obsequium captivet, vitæ Christianæ praxin instruat, & ad pietatem animo inserendam faciat: ut verbo dicam, *rationale sincerum lac, tanquam recens natis pueris appetendum propinet*. Utinam verò nobis idem sitientis animæ sit ardor, idem impetus, qui parvulorum recens natorum esse solet, quibus Optimus Naturæ Parens non tantum instructis turgentium uberum fonticulis de alimento, cui in utero assueverant providit, sed idem quoque mira dexteritate & aviditate in usum suum convertere docuit eosdem, laudis suæ celebrandæ materiâ *ex ore lactantium* paratâ. Quod superest, ab æquis rerum æstimatoribus tan-

tantum ut institutum meum boni consulant, non item ut laudent, exspecto: satis habiturus, si diligentiam & bonam conscientiam lectoribus & auditoribus meis probavero, tametsi quam instituti momentum requirit peritiam huc afferre non potuerim. Ex eorum numero conor esse, qui proficiendo docent, & docendo proficiunt. Unde si quid incautius, vel indoctius â me dictum *est, quod non solum ab aliis, qui videre id possunt, merito reprehendatur, verum etiam à me ipso, quia & ego saltem postea videre debeo, si proficio; nec mirandum est, nec dolendum, potius ignoscendum, atque gratulandum, non quia erratum est, sed quia improbatum.* Addo votum Apostoli; *Oro, ut charitas vestra magis magisque abundet in cognitione & omni sensu, ad hoc, ut probetis potiora, ut sitis sinceri & sine offensione in diem Christi, repleti fructibus justitiæ, qui sunt per J. Christum, ad gloriam & laudem Dei.*

Aug.

Aug. *Confession. lib. XI. cap. 2.*

DOmine, Deus mi, intende orationi meæ, & misericordia tua exaudiat desiderium meum: quoniam non mihi soli æstuat, sed usui vult esse fraternæ charitati: & vides in corde meo, quia sic est, ut sacrificem tibi famulatum cogitationis & linguæ meæ, & da quod offeram tibi, inops enim & pauper sum, tu dives in omnes invocantes te, qui securus curam nostri geris. Circumcide ab omni temeritate, omni mendacio, interiora & exteriora labia mea. Sint castæ deliciæ meæ Scripturæ tuæ, nec fallar in eis, nec fallam ex eis.

PROLE-

PROLEGOMENA IN CATECHESIN PALATINAM.

Quæ inscribitur

Catechesis Religionis Christianæ, quæ traditur in Ecclesiis & Scholis Electoralis Palatinatûs.

ANALYSIS.

Inscriptio libelli exhibet 1. Materiam tractationis. 2. Genus institutionis. 3. Finem ᾧ, & subjectum loci.

EXEGESIS.

Libelli argumentum.

Religio quid sit?

Ejus synonyma & epitheta in Scriptura Sacra.

Præsentis libelli argumentum quodnam est? R. Religio Christiana. Q. *Quid est Religio?* R. *Recta Deum cognoscendi atque colendi ratio sub spe certa divinæ remunerationis.* Hujus cùm naturæ tùm necessitati exponendæ Scriptura varias adhibet appellationes. Dicitur enim Εὐσέβεια, *bonus cultus atque veneratio ejus, qui summus est.* 1 *Tim.* 6: 3. *Timor Dei. Esa.* 29: 13.

29: 13. Non rarò *via*, ut *Act.* 19: 23. & 22: 4. & 24: 14. Quæ enim viæ ad metam, eadem Religionis est ratio ad finem atque bonum, quod homini, hoc iter ingredienti, propositum oportet. Unde phrasis Scripturæ frequentata; *ambulare coram Deo & cum Deo*, id est, ambulare ita, ut viæ authorem, indicem, ducem, comitem, metam habeas Deum. Ut autem via vel rectà ducit, quò ire destinas; vel abducit: Sic Religio *vera* est vel *falsa*. Illa dicitur *via recta*. 2 *Pet.* 2: 15. *Via Dei. Matth.* 22: 16. *Via justitiæ*. 2 *Pet.* 2: 21. *Veritatis*, *ibid. v.* 2. *Salutis*, *Act.* 16: 17. Doctrina hanc viam monstrans vocatur תורה nomine usitatissimô pariter & significantissimô, deductô à verbo, quod projectô lapide vel manu viam docere significat. Atque hinc Doctoribus Ecclesiæ tribuitur, clamore insequi viatores; *Hæc est via, ite in illa*, &c. *Esa.* 30: 21. Ex adverso religio ψευδόνυμος *via* appellatur *perversa & tortuosa*, *Prov.* 28: 18. *Psal.* 125: 5.

Religionis partes quot & quænam?

II. Q. *Partes Religionis quot sunt?* R. Duæ: Veri Dei *agnitio & cultus*: Sive, vera de Deo sentire, & ut illi grata facias, studio habere. Θεὸν ἔχειν ἐν ἐπιγνώσει. *Rom.* 1: 28. & εὐαρεστεῖν τῷ Θεῷ. *Heb.* 11: 6. Apostolus alibi utramque complexus, Religionem dixit *agnitionem veritatis, quæ est secundùm pietatem. Tit.* 1: 1. h. e. *α.* Quæ apta, utilis & necessaria est ad pietatem animo inserendam. *β.* Cujus studium ex pietate demùm profectum habet salutarem, quando absque timore & amore Dei veritas illa rectè cognosci non potest. *Psalm.* 25: 14. adde *Prov.* 1: 7. & 9: 10. *Job.* 7: 17. Scripturæ secreta profanæ menti sunt inaccessa, timor demùm & amor Dei, cum experimento conscientiæ, illorum intelligentiam suppeditant. Neque tamen pietas omnem prorsùs cognitionem veritatis præcedit: secùs enim ignorantiæ proles foret, in superstitionem facilè degeneratura.

Quo fructu Religio colatur.

III. Q. *Estne verò fructus aliquis atque præmium Religionem colenti?* R. Quidni. *Non dixi semini Jacobi, frustrà quærite me. Esa.* 45: 19. Unde Apostolus, quando Religionem l. c. dicit *agnitionem veritatis*, &c. subjicit; *ad spem vitæ æternæ.* Et *credere oportet accedentem ad Deum, quòd sit, & quærentibus ipsum remunerator. Heb.* 11: 6. Q. *Nunquid*

quid non illiberalis eſt cultus, Deo ſervire intuitu commodi, quod inde ſperes? Quandoquidem, qui ſic Deum quærit, ſeipſum veriùs, quam Deum quærere videtur, quod cum præcepto abnegationis ſui ipſius adversâ fronte pugnat. R. Utile quidem eſt Hebræorum Sapientibus celebratum Antigoni Sochæi præceptum; *Nolite ſervis eſſe ſimiles, qui ſerviunt Domino, eô animô, ut accipiant mercedem. Pirke Abh. cap.* 1. §. 3. cujus ſiniſtrâ interpretatione diſcipuli ejus Baitos & Zadoc (unde Sadducæi dicti) nullam pietati remunerationem expectandam rati, beatam immortalitatem mortuorumque reſurrectionem ſuſtulerunt. *Act.* 23: 8. Nihilominus Deus non fruſtrà quæri, ſed remunerator inveniri vult. Verùm & hîc cautô opus eſt. a. Abſit omnis opinio meriti. Quid enim meriti eſſe poteſt in quæſitu boni ſui, quod Deus eſt, & *juſtitiæ Regni Dei*, quæ non eſt niſi juſtitiam propriam abnegantis, ſuisque meritis nihil arrogantis. b. Liberaliter atque gratis Deus eſt amandus ac colendus, h. e. propter ſe ipſum, non ob bonum quodpiam, quod ipsô minus ſit, nec ob mercedem, quæ non ſit ipſe Deus, *Gen.* 15: 1. Sic igitur, qui finis nobis eſſe debet propoſitus; idem ſummum nobis eſt bonum, nempe *gloria Dei*: Deum enim in nobis modo, quoad ejus fieri poteſt, perfectiſſimo glorificari in altera vita noſtra erit beatitudo; *Gloriamur enim ſpe gloriæ Dei. Rom.* 5: 2. Q. *Nonne etiam, ubi ex cultu Dei hanc ejus glorificationem in nobis, ceu beatitudinem noſtram, quærimus, nos ipſos veriùs, noſtraque commoda, quam ipſummet Deum quærimus?* R. Beatitudo non propter ſe ipſam, ut finis ultimus, ſed propter gloriam Dei, ut medium illi celebrandæ deſtinatum, expetenda eſt. Diſtingue igitur glorificationem Dei per ſe ſpectatam, ut eſt officii humani: & glorificationem, h. e. patefactionem gloriæ Dei in nobis. 2 *Theſſ.* 1: 10. ut eſt beneficii Divini, in quo ſanctificationis noſtræ conſummatio & perfecta beatitas eſt. Priori modo conſiderata propter ſe, *ut finis ſummus*: Poſteriori modo propter aliud, *ut finis ſummo ſubordinatus* expetenda eſt. Hoc autem modo nemo Deum amabit, *niſi qui ſenſerit amorem Dei effuſum in corde ſuo per Spiritum S. datum ſibi. Rom.* 5: 5. Amor

Recténe Deus colatur intuitu commodi ex cultu proventuri?

Summus finis ſummumque bonum quomodô ſint unum idemque.

Obj. ex Heb. 11: 26. *Resp.*

Dei in nos prævertit omnem conatum noſtrum. Amati demùm redamamus. 1 *Joh.* 4: 10. Q. *Atqui Moſes intuitus dicitur remunerationem. Heb.* 11: 26. R. Probat Apoſtolus, illam animi magnitudinem in Moſe, quâ malis affici in populo Dei, quàm temporales habere peccati delicias maluit, majores arbitratus divitias improperium Chriſti, quàm Ægypti theſauros, fidei fuiſſe effectum, quâ promiſſionem firmiter erat amplexus. Neque verò, ſi Apoſtolus, quod hoc loco dici ad ſcopum nihil attinebat, tacuit, idem negare voluiſſe cenſeri debet, haud ignarus, Moſen ſtudio gloriæ Dei defendendæ incenſum è libro Dei deleri cupiviſſe, atque adeò gloriam Dei ſuæ ſaluti antehàbuiſſe. *Exod.* 32: 32. Hæc de religione in genere. De ejus *Origine*, in *Naturalem* & *Revelatam* diviſione, & *oppoſitis*, brevitatis ſtudio dicere omittimus.

Religio, quam præſens tractat libellus, cur vocetur Chriſtiana.

IV. Q. *Cur vocatur Chriſtiana?* R. 1. Quia eſt cultus & converſatio ad honorem Dei directa, conveniens *Chriſtianis*, h. e. illis, qui fidem in Jeſum Chriſtum ad dextram Dei ſedentem profitentur. 2. Ut diſtinguatur *à Veteri Judaica*, non quidem re: Etenim, ut Auguſtinus ait, *res ipſa, quæ nunc Religio Chriſtiana appellatur, erat & apud Antiquos, nec defuit ab initio generis humani, quousque ipſe Chriſtus veniret in carne: Undè vera Religio, quæ jam erat, cœpit appellari Chriſtiana. Retract. lib.* 1. *cap.* 13. Verùm eo, quòd 1. Chriſtum non exſpectat venturum, ſed credit veniſſe, &c. 2. Legem *præceptorum in placitis*, quondam Iſraëli ad tempus impoſitam, ſeponit, quippè quâ Chriſtiani, quantum ad praxin, non tenentur.

Argumenta comprobandæ veritati Religionis Chriſtianæ.

V. Q. *Hic noſſe cupiam, quænam ſint Veritati Chriſtianæ Religionis comprobandæ argumenta, & undè arceſſenda?* R. Quam plurima, pro hoſtium varietate prudenter petenda: 1. Ab authoritate Divina librorum S. Scripturæ, è quibus fidei & praxeos Chriſtianæ articuli hauriuntur. 2. A ſanctitate vitæ & miraculis Chriſti & Apoſtolorum, qui Religionem Chriſtianam docuerunt & propagârunt. 3. A reſurrectione Chriſti, effuſione Spiritûs S. & excidio urbis & templi Hieroſolymitani, quibus fides omni exceptione major

Reli-

Religioni Chriſtianæ firmata eſt. 4. Ab ingenio Doctrinæ, ſublimitate dogmatum, ſanctitate præceptorum, præſtantiâ promiſſorum, &c. quarum certè laudum quælibet omnem Philoſophorum doctrinam infinitis poſt ſe relinquit paraſangis. 5. Ab efficacia doctrinæ, quam in converſione Gentium, &c. exeruit. 6. A fruſtratione conſiliorum & moliminum, quibus Religio Chriſtiana, frequenter ab hoſtibus oppugnata, uſque & uſque ſuperior & victrix evaſit.

Notas veræ Religionis perſpectas eſſe ſalutis ſuæ cupido neceſſe eſt.

VI. Q. *Cùm verò, qui ſe Chriſtianos profitentur, in diverſiſſima ſcindantur ſtudia etiam in cauſa Religionis, quibusnam ſalutis ſuæ cupidus ſeſe aggregabit?* R. Hìc juvabit cognitas habere veræ Religionis notas, quas certè requirendi neceſſitatem facit Seductorum, hinc Antichriſtianorum, indè hæreticorum, multitudo & importunitas, qui ſub nomine Chriſti idolum in Eccleſiam intrudunt. Futurum verò etiam prædixit Prophetiæ Spiritus, ut multi interrogent ſponſam; *Quid dilectus tuus præ dilecto? Cant.* 5: 9.

Notæ veræ Religionis.

1 Ex partibus doctrinæ Religionis.

VII. Q. *Quibus igitur notis veram à falſa Religione diſcernam?* R. 1. Ex partibus doctrinæ Religionis, quam tradit noſtra Catecheſis, ſequentes acceſſere licet veræ Religionis notas. Vera eſt Religio α. Quæ hominem ſuam docet miſeriam, in quam prolapſus eſt. ε. Quæ veram oſtendit viam atque rationem ex miſeria eluctandi. γ. Quæ ſolidam gratiæ & beneficii liberationis laudem Deo vindicat, atque adeò docet, quam gratiam peccator pro ſuî liberatione debeat. Quòd ſi doctrinæ Religionis per fidem in animum admiſſæ ἐνέργειαν & effectum ſpectemus, rursùs totidem ſeſe produnt veræ Religionis notæ. Vera eſt Religio 1. *Quæ Deum glorificat.* Atqui cùm glorificatio Dei, manifeſtatio ſit virtutum Dei in operibus ejus, Deus utique glorificari nequit, niſi in & ex opere ſuo. Is igitur Deum non glorificat, quantumvis laudes ejus prædicare videri velit, qui laudem boni operis in homine delibat, eamque ſive totam, ſive partem *Non-Deo* vindicat. 2. *Quæ hominem ſanctificat.* Unde qui veræ Religionis conſortes Eccleſiam faciunt, *ſanctificati in Chriſto Jeſu, vocati ſancti* dicuntur, 1 *Cor.* 1: 2. Et *Jehova San-*

2. Ex doctrinæ ἐνεργείᾳ & effectu.

ctificator Israëlis celebratur. *Exod.* 31: 13. *Ezech.* 20: 12. Complectitur autem ista sanctificatio generaliori significatu purificationem à peccatis per remissionem eorum, & mentis renovationem. Ut *Heb.* 2: 11. & 10: 14. 3. *Quæ hominem consolatur.* Id bonum è veræ Religionis cultu expectandum: de quo *Catech. Quæst.* 1. Atque hasce tres posteriores notas adversarii, cujuscunque demùm nominis & sectæ fuerint, negare non audent, quanquàm exhibere easdem in sua quique religione non possint. Quis enim neget, veram Religionem eò esse comparatam, ut Deum glorificet? Porrò, quò quisque religiosior est, hôc ampliorem sanctimoniæ laudem obtinet. Ex Religione denique turbatæ conscientiæ solatia quæruntur. Sed quandò hactenùs verbis fortè utimur iisdem, ore concordes, penitiore verò fidei sensu quàm maximè discrepamus, notæ istæ è verbo Dei nobis definiendæ sunt: quemadmodùm jamjam ex parte fecimus. Atque hæc de argumento libelli dixisse satis esto.

Genus institutionis: Ubi notatio vocis Catechesis.

VIII. Q. *Genus institutionis quodnam est?* R. Id significatur voce *Catechesis*, quæ in multas pervulgata linguas originis est Græcæ à κατηχέω *circumsono*: cujus primitivum ἦχος & ἠχὼ, sonum sive simplicem, sive ex repercussu geminatum significat. Usu Scripturæ κατηχεῖν denotat institutionem, quæ discenda tradit vivâ voce, *Act.* 18: 25. *Rom.* 2: 18. *Gal.* 6: 6. Usu Ecclesiasticô significat institutionem simplicium captui attemperatam, quâ Religionis rudimenta vivâ voce instillantur, & à discentibus interrogando repetuntur. Ut adeò discipuli ad interrogata responsio habeat instar echus sive soni repercussi. Q. *Quid igitur est Catechismus?* R. Brevis & perspicua ad captum rudiorum accommodata doctrinæ Religionis Christianæ, è Scripturis S. collectæ, & in certas quæstiones & responsiones digestæ, explicatio.

Quid Catechismus?

Catecheseos origo & antiquitas.

Catechesis ante legem Mosis.

IX. Q. *Catecheseos quænam origo & antiquitas in Ecclesia?* R. Eadem, quæ ministerii Sacri. Adamus primus & universalis posteritati suæ datus est Doctor, cujus erat verba πρωτευαγγελισμὸς, summam doctrinæ salutaris complexa, incorrupta traditione ad posteros trans-

transmittere, id quod absque familiari institutione, & auditorum repetitione fieri non poterat. Idem ex officio cæteros etiam fecisse Patriarchas ad Mosen usque, ut Abrahamum *Gen.* 18: 19. probant dicenda nobis ad Quæstionem XIX.

X. Q. *Catecheseos ratio qualis fuit à tempore Mosis?* R. Instituti fuit Divini cùm privata tùm publica Catechesis. Privatam arguit, quod injunctum fuit Israëlitis. *Exod.* 12: 26. *Cùm dixerint vobis filii vestri; quid cultus iste vobis? &c.* Ritus Paschatis ipsâ apparatûs admirabilitate puerorum curiositatem facilè provocare potuit: quare à suo quique patre mysterium edoceri debebant pro captu. Adde *Deut.* 6: 7. Consideratu dignum Salomonis præceptum. *Prov.* 1: 8. *Audi, fili mi, disciplinam patris tui, & ne omittas doctrinam matris tuæ.* Parentum authoritas, liberorum credulitas, horum atque illorum congrui affectus, res, Deô sic providente, mirum in modum contemperatæ huic institutioni familiari egregiè inserviunt. Prudentissimè verò מוסר *disciplina*, patri: תורה *doctrina viæ & metæ*, matri tribuitur. Disciplinam, corripientis & castigantis authoritate munitam oportet, quæ major est in patre, ad inserendam filiis reverentiam; institutionem, ut ad tenerum animum imbuendum proficiat, patientia, facilitas, mansuetudo juvant, quæ dos matri præ patre concessa. Catechesin deindè *publicam* sub legis Mosaicæ œconomia Sacerdotibus demandatam fuisse liquet, *Malach.* 2: 7. Clavem cognitionis (*ostium* sive *apertionem*, LXX. δήλωσιν, *sermonum*, *Psalm.* 119: 130.) Deus depositum esse voluit, Seniorum atque Sacerdotum fidei creditum. Q. *Quid eâ clavi cognitionis intelligi vis?* R. Doctrinam Catecheticam de Messia & justitia in ipso per fidem consequendâ: quæ doctrina referandis V. T. ænigmatibus clavis est, quâ neglectâ Sacerdotes officio cùm deessent, Deus subindè Prophetas suscitavit, qui ipsos negligentiæ arguerent, de officio admonerent, & Catechesin reformarent. Vide *Jer.* 8: 8. *Luc.* 11: 52.

Catechesis sub œconomia legali.
1. *Privata.*
2. *Publica.*

XI. Q. *Dixisti de Catechesi Ecclesiæ veteris Judaicæ: audire gestiam, quæ hac in parte fuerit praxis Ecclesiæ Chri-*

Catechesis Christiano-

rum ab Apostolorum tempore.

Christianæ? R. In ea ab Apostolorum ævo usque viguit Catechesis, quanquàm pro diversis Ecclesiæ fatis diversa quoque fuerit institutionis Catech. ratio. Ut ne nunc afferam, quæ de sanctissimo instituto ex Scriptis N. T. repeti possent, velut *Marc.* 10: 14. 2 *Tim.* 3: 15. *Heb.* 5. & 6. &c. hûc pertinent, quæ de *Catechetis*, *Catechumenis* & *Catechumeniis* benè multa leguntur in Scriptis Patrum. Catechetæ dicebantur Doctores, qui doctrinam Catech. auditoribus, quâ junioribus, quâ adultis, recens ad fidem Christi conversis, instillabant. Quô nomine in Ecclesia Alexandrina, celebres fuere *Pantenus*, *Clemens*, *Origenes*, *Heraclas*, *Dionysius*; in aliis alii. Catechumeni, qui ἄπειροι λόγου δικαιοσύνης, *Heb.* 5: 13. Doctrinam Catech. absque librorum adminiculo, solâ docentis voce discebant: quorum triplex fuit ordo; *Audientium*, *Competentium*, *Incipientium*. Catechumeneia vocabantur loca, in quibus Catechumeni stabant, & tabulæ Catecheticæ asservabantur; De quibus omnibus, quantum satis est, videsis *Cl. Suicer. in Thesauro Eccl. Alting. Prolegom. in Catech.* & alios.

Catechetæ, Catechumeni & Catechumeneia.

Quorum usui & ubi scripta hæc Catechesis nostra?

XII. Q. *Quibus & ubi scripta hæc nostra Catechesis?* R. Id docent verba Tituli; *Quæ traditur in Ecclesiis & Scholis Elect. Palatin. Authoritate* enim atque piô institutô FRIDERICI III. cognomine Pii, Assertoris Helvet. Confessionis constantissimi, Reformatorum in Gallia Patroni & Defensoris, exulumque Protectoris optimi, Principis, integritate, liberalitate, &c. nullo suorum temporum inferioris. *Thuan. Hist. lib.* 62. *in usum* Ecclesiarum & Scholarum Elect. Palatinatûs conscripta, *authoribus præcipuis D. Zacharid Ursinô*, & *Casp. Olevianô*, Theologis Heidelberg. & ab Inspectoribus Ecclesiarum Palatinarum consentientibus suffragiis approbata, sub nomine ELECTORIS FRIDERICI, beatis. mem. felicibus auspiciis publicata fuit *mense Jan. Anni Æræ vulg.* 1563.

Cujus jussu?

Quibus authoribus.

Libri fata.

XIII. Q. *Libelli quænam fuere fata?* R. Quanquam essent, qui recens editum virulentissimis calumniis insectarentur, & totâ Germaniâ proscribendum vociferarentur, nihilominus usque & usque celebrior esse cœpit. Hinc in varias, easque florentissimas, orbis Christiani

stiani Provincias ingenti piorum applausu & profectu hæc Catechesis introducta, eaque propter etiam in plurimas linguas translata fuit. *Q. Quænam ejus editio est authentica?* R. Germanica; ad quam proximè accedit versio Latina, *à Josia Lago*, & *Lamberto Ludolpho Pithopæo* adornata & publicitùs approbata: quanquàm Germanici textûs emphasin non ubique pari dexteritate assequatur. *Editio Authentica, Germanica.*

XIV. Q. *Quâ methodo conscripta est nostra Catechesis?* R. Analyticâ: quâ tractari solent disciplinæ practicæ, quæ non eò solùm discuntur, ut sciantur, sed ut ad praxin revocatæ agendô exprimantur & confirmentur. Istius porrò methodi lex postulat primùm præstitui *finem*, pòst subjici *media*, quorum usu finem consequaris. Undè duæ primariæ existunt Catecheseos nostræ partes: quarum *Prior* est de fine institutionis Christianæ; *Quæst. Prima. Posterior* de mediis, per quæ finis obtinetur, *Quæst. Secundâ & seqq.* *Methodus libelli.* *Partitio.*

Quæstio I.

Quæ est unica tua consolatio in vita & in morte?

QUod animô pariter & corpore, sive vivam, sive moriar, non meus sed fidelissimi Domini & Servatoris mei Jesu Christi sum proprius, qui pretioso suo sanguine; pro omnibus peccatis meis plenissimè satisfaciens, me ab omni potestate Diaboli liberavit, meque ita conservat, ut sine voluntate Patris mei cœlestis, ne pilus quidem de meo capite possit cadere, imò verò etiam omnia saluti meæ servire o-

porteat: Quocirca me quoque suo Spiritu de vita æterna certum facit, utque ipsi deinceps vivam promptum ac paratum reddit.

ANALYSIS.

Quærenti de solida & perenni consolatione respondetur ita, ut

I. Summa consolationis proponatur; *Quòd animô, pariter & corpore, &c.* consolationis fundamentô
   1. Positô in dominio Christi in nos.
   2. Illustratô antithesi.
   3. Descriptô ex perfectione plenitudinis & perpetuitatis.

II. Confirmetur, adstructô Christi dominiô ex causis ejus, cùm *procreante*, quæ est satisfactio Christi: tùm *conservante*, quæ est perpetua illa custodia, quâ Christus nos reconciliatos in gratia ad finem usque conservat.

III. Ad certitudinem fidei ac tranquillationem animi intimetur, testimoniô Spiritûs S. ejusq; τεκμηρίῳ, studiô novæ obedientiæ.

EXEGESIS.

Quæstionis primæ argumentum.

Q*Ua de re est quæstio prima*? R. De fine institutionis Catech. non summo quidem, qui gloria Dei est. 1 *Cor.* 10: 31. sed subordinato. Neque enim ægrescenti eò solùm solatia quærenda, ut benè sit, sed ut animo hilarescente & gestiente Deum glorificet. Q. *Quid Catechismus eâ methodo nos docere vult*? R. Vitam hominis Christiani non oportere esse vagam, temerariam, nulloque fine præstituto oberrantem: qualis est vita stultorum, qui in vitiis & vanitatibus suis circu-

circulantur, finem verum & ultimum, in quô quasi concentrentur, nullum habentes. Sic incertum vivere, vel, ut ille ait, *præter propter vitam vivere*, Scriptura dicit קרי *per casum ambulare*, id est, temerè, ut sors, fortuna, vel casus fert, *Lev.* 26: 21. Verùm vitam Christianô dignam, sic oportere comparatam, ut ad normam composita verum quoque vocationis cœlestis finem habeat præfixum: eâque doctrinâ ætatem quoque puerilem pro captu imbuendam, *Deut.* 6: 6. *Psalm.* 119: 9. Q. *Quis est ille finis?* R. Idem qui Scripturæ S. nempe consolatio solida, quæ summum est hominis bonum, in hac vita parabile. *Quæcunque ante scripta sunt--- ut per patientiam & consolationem Scripturarum spem habeamus*, *Rom.* 15: 4. adde *Psalm.* 119: 92. 2 *Cor.* 1: 3, 4. Convenit itaque eundem esse finem Catechismi, cùm sit ὑποτύπωσις ὑγιαινόντων λόγων ex Scripturæ S. præceptis informata. Q. *Cur vocas summum bonum in hac vita parabile?* R. Quia consolatio est bonum quærendum ac percipiendum luctanti cum peccati reliquiis & variis vitæ humanæ ærumnis, quibus in cœlo non erit locus. Ibi quemadmodum *fides* commutabitur *aspectu*: sic *Consolatio*, quæ est bonum luctantis, vertetur in *fruitionem*, quæ est triumphantis.

Methodi Catech. ratio & usus.

Finis institutionis Catechismi quis.

II. Q. *Quid est Consolatio?* R. 1. Est ratiocinatio, quâ malo cuicunque bonum opponitur, ut hujus consideratione atque spe dolor mitescat & animus erigatur. Metonymicè significat consolationis argumentum, h. e. bonum quodpiam, cujus sensu animus in adversis erigitur & sustentatur. 2. Nonnunquam & *habitum animi*, ex ista ratiocinatione consequentem. connotat, tranquillitatem, puta, animi: quæ suos habet gradus & intervalla. Q. *Utro sensu Catech. consolationem intelligi vult?* R. Utroque, quia Catechumeno suo verba non solùm *argumentantis*, sed etiam *gloriantis* ingerit, ingeminatis prænominibus, *mei, meis, me*, &c. uti liquet audienti respondentem.

Consolatio quid sit.

III. Q. *Qualis est ista consolatio, super qua quæritur?* R. 1. Est solida, quia *unica*, h. e. ita sufficiens, ut eâ fruenti non necesse sit oberrare, & ultrà quidquam desiderare: cujus proinde etiam nullum unquam obrepit tædium.

Qualis sit.

tædium. 2. Est perennis, quia *in vita & in morte* durabilis, afflictum nunquam destituit, nunquam fallit, *omni afflictioni*, 2 *Cor.* 1. parata, & certô succesſu opponenda, *Joh.* 4: 14. & 6: 35. Tale quod non est solatium Jobus cum *cibo* comparat *fatuo & insulso*, *Cap* 6: 6. Qui ægrescenti è rebus nihili solatia quærunt *molesti consolatores*, *Job.* 16: 2. *Ventum seminant & turbinem metunt*, *Hos.* 8: 7. Q. *Unde probas, unicam & perennem esse, quam Catechesis promittit, consolationem?* R. Quia est consolatio Divina, quippe consolatio Scripturarum, in quibus Deus ipse *loquitur ad cor hominis*. Et sanè ea est Scripturarum S. hac in parte opulentia, ut quemadmodùm nulla tàm insolens animi indoles, sic nulla tàm desperata sit conditio, cui non ita planè quadret aliquis Scripturæ locus, ac si ex omni mortalium genere huic soli fuisset comparatus, & quod olim à Nathane Propheta Davidi, huic itidem dictum foret. *Tu es homo ille.* Hinc Deus se *Deum omnis consolationis* celebrari vult, 2 *Cor.* 1: 3. Quis verò, nisi Deus solatiô animum demulcere, & tranquillare possit? Is namque solus est καρδιογνώστης, cui, quicquid animum malè habet tuum, penitissimè est perfectum. Solus eâ est bonitate, quâ velit, eâ potentiâ, sapientiâ, gratiâ, quâ possit æstuantis animi fluctus componere. *Jac.* 4: 12. 1 *Joh.* 3: 20. Homini è peccatorum conscientia laboranti res est cum Deo, qui solus *quos laniavit, sanare, quos percussit, obligare potest. Hos.* 6: 1. Q. *Numquid non etiam homo hominem solari potest?* R. Imò & debent ex officio charitatis quique fideles, ex officii authoritate Ministri Evangelii. Verùm id præstant 1. Eâ consolatione, quâ ipsimet à Deo θεοδίδακτοι, 2 *Cor.* 1: 4. vel certè è verbo Dei instruuntur, alioquin ad id officii prorsùs inepti futuri. 2. *Deus dat linguam eruditorum ad opportunè loquendum cum fesso*, *Esa.* 50: 4.

Consolationis solidæ summa.

IV. Q. *Quænam igitur est unica consolatio tua in vita & in morte?* R. Ut summam ejus paucis complectar; *Quòd non meus, sed fidissimi Domini*, &c. Q. *Undè verò huic tuæ gloriationi fidem facis?* R. Contestificante Spiritu adoptionis cum spiritu meo, *Rom.* 8: 16. persuasum habeo, me illorum numerô comprehendi, de

quibus

quibus Apostolus, *Vos*, inquit, *estis Christi*, 1 *Cor.* 3:23. adde *Rom.* 14: 8. 1 *Cor.* 6: 19. Q. *Quomodò Christi proprii sumus?* R. Jure *imperii* & *dominii*. Q. *Quomodò jure imperii?* R. Quia Christus nos habet ut Rex populum suum, cui optimo jure imperat. Unde *Rex* ἀνθρωποκρατικῶς, *Psal.* 45: 2. & *Caput Ecclesiæ* dicitur, *Eph.* 1: 22. *Cui omnis data est potestas*, &c. *Matth.* 28: 18. Q. *Quomodò jure dominii?* R. Quia sumus peculium, res Christo quæsita, sors, hæreditas, &c. Christus proinde nos etiam habet, ut Dominus rem suam, labore, pretiô, aliôve juris titulô quæsitam, de qua pro arbitratu disponere potest. Hinc λαὸς περιούσιος appellamur, *Tit.* 2: 14. Hebr. סגלה *Exod.* 19: 5. *Psalm.* 135:4. hoc est, annotantibus Hebræis, *proprium* & *peculiare quid*, ac *thesaurus pretiô carus*, qui non prodigitur, non alienatur, sed ad decus & magnificentiam possessoris asservatur. Item περιποίησις, quod non solùm *acquisitionem* significat, sed & *rem quæsitam*, sive quod, deductis impensis, labori supererit, in lucro reponendum, *Act.* 20: 28. *Eph.* 1: 14. 1 *Pet.* 2: 14. ℣

Fideles Christi proprios esse jure imperii & dominii ostenditur.

V. Q. *Quale est istud jus imperii & dominii?* R. Plenissimum & perpetuum. Q. *Quomodò plenissimum?* R. Quia, ut Catech. habet, *Christi proprii sumus animô pariter & corpore.* 1 *Cor.* 6: 20. Inter homines domini, qui servos habent ære emptos, bellô captos, &c. *domini* appellantur κατὰ σάρκα, *Eph.* 6: 5. quippe qui non nisi in carnem, sive corpus & membra servorum potestatem habent. *Oculi servorum intenti manui dominorum. Psalm.* 123: 2. Ut pensa laboris & demensum cibi accipiant: *aures intentæ*, ut jussa capessant: *manus in promptu*, ut operentur: *pedes expediti*, ut legationes obeant. Vide *Matth.* 8: 9. *Servitus*, inquit Sen. *non in totum hominem descendit, excipitur animus.* Animo tàm herorum, quàm servorum solus Deus imperat. Undè *Apoc.* 18: 13. σώματα, *corpora*, sunt liberi homines, qui corpus sui juris habent: Contrà ψυχαὶ ἀνθρώπων dicuntur, ibid. *mancipia*, quæ, cùm corpus sit Domini; animum tantùm habent suum. At Christus jure plenissimo non corpori solùm & membris ejus dominatur, verùm etiam animo, conscientiæ, voluntati, & affectui cordis, quæ flectere

Jus illud imperii & dominii quale sit.

flectere potest in obsequium, ut imperata facias amore Domini & æquitate imperii permotus. Q. *Atqui monitore Apostolo, etiam dominis secundùm carnem obediendum est propter conscientiam, Rom.* 13: 5. *Ergò etiam dominantur animo.* R. Imperia dominorum secundum carnem obligant conscientiam non *directè* sive suapte virtute, sed interveniente mandato Dei. Ergò quæ imperant, hactenùs facienda sunt, Deo illis parere nos jubente in omnibus, quæ conscientia rectè mandari & fieri docet. Vide *Eph.* 6: 5, 6. Q. *Qui verò jus illud etiam dicis perpetuum?* R. Quia Christi proprii sumus *in vita & morte.* Neque enim corporis interitu temporario intercidit. *Sive vivimus, sive morimur, Domini sumus*, &c. *Rom.* 14: 8, 9. Quomodò Christus nos etiam mortuos habeat, videsis nervosè, ut omnia, docentem Coccejum ex Apostolo, *ad Rom.* 8: 10, 11.

Quod de consolationis summa dictum confirmatur argumentis.

VI. Q. *Undenam verò probabis, in eo versari unicam tuam consolationem in vita & in morte?* R. Id maximè solamini est in adversis, quòd scio, me pertinere ad rem, peculium & hæreditatem Christi, quam non prodigit, nec alienat, nec perire patitur, sed in thesauris suis æternùm servare vult, *Joh.* 10: 28. 1 *Thess.* 3: 3. *Psal.* 23: 4. Adde, quòd qui Christi proprius est, Christum vicissim dicere possit suum, *Cant.* 2: 16. *Dilectus meus meus est, & ego illius.* Qui Christum habet, ei communio est cum Deo, *summo bono*, 1 *Pet.* 1: 21. ut gloriari queat, *novi quòd Deus meus sit. Psalm.* 56: 10. Q. *Atqui servitus multis non minùs morte invisa est: nonne igitur major esset felicitas, suum potiùs esse, quàm alterius proprium?* R. Imò, inquam ego, Christo servire vera demùm libertas est, *Joh.* 8: 32, 36. Is verè liber est, qui è fœdissima peccati servitute manumissus, & Satanæ laqueis expeditus sponte sua justitiæ obedit, &c. Unde *Lex perfecta libertatis & Lex regia* dicta, *Jac.* 1: 25. & 2: 8. quâ cordi inscriptâ facimus, quod *libertorum Domini*, imò *Regum* est, 1 *Cor.* 7: 22. *Apoc.* 1: 6. Ex adverso *suum esse* hôc locô miseriarum gravissima est. 1. Quia *suus* est, qui sibi relictus suô arbitriô vivit, carnis cupiditati & affectui obsequens, *servus peccati, liber justitiæ, Rom.* 6: 20. 2. *Suus* est, qui suâ justitiâ meritisque

tisque fretus judicium Dei non formidat. Atqui de ejusmodi hominis salute conclamatum est. *Si pravitates serves, Jah, Jehovah, quis stabit? Psalm.* 130. 3.

Jus Christo quæsitum in nos ex satisfactione, quæ quid sit, paucis docetur.

VII. Q. *Unde Christo jus in te quæsitum?* R. Ex satisfactione: *quia pro omnibus peccatis meis plenissimè satisfaciens*, &c. Q. *Quid est satisfacere?* R. Τὸ ἱκανὸν ποιῆσαι, *Marc.* 15: 15. Efficere, ne alter habeat, quod conqueratur: vel facere, quantum jure postulanti satis est. Q. *Quonam igitur sensu Christum satisfeciſſe dices?* R. Dum nostro loco sese vadem sistens judici, tantum fecit & passus est, quantum justitiæ Dei & postulato legis satis erat, ad id, ut suus Deo honor authoritatis & dominii, quem per peccata nostra delibaveramus, restitueretur, nobisque justitia & vita æterna compararetur.

Christum reapse pro nobis satisfeciſſe demonstratur.

VIII. Q. *Unde verò Christum ea ratione satisfeciſſe probatum dabis?* R. In hac veritate confirmanda benè multa est Scriptura S. Ejus demonstrationem in hoc compendium conferamus; Christus, quâ mox dictum ratione satisfecit: 1. *Quia ei imputata fuêre peccata nostra.* 2. *Pro peccatis nostris reapse pœnam pependit.* 3. *Deus Pater solutione præstitâ & acceptatâ Christum à debendi officio absolvit.* Quæ singula paucis saltem ostendisse operæ pretium fuerit.

Primum argumentum demonstrandæ veritati satisfactionis Christi.

IX. Q. *Primùm igitur nostra Christo imputata fuisse peccata unde docebis?* R. Christus dicitur ἔγγυος *sponsor*, fidejussor: *Heb.* 7: 22. in quem peccata nostra fuêre conjecta, *Esa.* 53: 6, 7. 2 *Cor.* 5: 21. Cui rei olim prælusum victimis piacularibus Ver. Test. quæ in locum reorum surrogabantur. Unde phrasis, *eum qui non noverat peccatum, pro nobis peccatum*, id est, victimam pro peccato, *fecit.* Cumprimis verò notabilis erat typus in substitutione victimæ pro corpore sacerdotis. Huic enim, ut victimam offerens proprium corpus suum pro peccatis populi offerre videretur, partem victimæ comedere, & in substantiam corporis sui convertere, imperatum fuit: id faciens peccatum populi ferre dicebatur, *Lev.* 10: 17. Quæ certè facilem habent applicationem ex 2 *Cor.* 5: 21. *Heb.* 10: 5. *Esa.* 53. 4. coll. 1 *Pet.* 2: 24. Obj. *Atqui Matthæus verba Esaiæ Christo morbos sananti, non peccata nostra ferenti applicat. Matth.* 8: 17. R. Id asser-

assertioni nostræ non obest. Quia Christus beneficium corporibus redditæ sanitatis figuram, symbolum & pignus remissionis peccatorum & sanandarum mentium esse voluit. Unde est, quòd ægrotis aliquandò peccata remiserit, quos pòst etiam sanavit, *Matth.* 9: 2, 6.

Secundum argumentum.

X. Q. *Secundò, Christum peccatorum nostrorum pœnam reapse pependisse, quî verò demonstrabis?* R. Hîc Scriptura rursùm testis est locupletissima. Paucissima brevitatis studiô allegâsse testimonia satis habebimus. Christus ὑπὲρ πάντων ἀπέθανεν. 2 *Cor.* 5: 15. hoc est, non tantùm bono & commodo, sed vice & locô omnium, alioquin absque substitutione foret, Apostolus dicere non posset, *Si unus pro omnibus mortuus est, ergò omnes illi mortui sunt. Dedit animam suam* λύτρον ἀντὶ πολλῶν, *Matth.* 20: 28. Ἀντὶ vel oppositionem vel substitutionem notat. Atqui oppositionis significatus loco non quadrat. Sic Christus dicitur *factus* ὑπὲρ ἡμῶν *pro nobis execratio. Gal.* 3: 13.

Tertium argumentum.

XI. Q. *Quî tandem ostendis, Deum Patrem satisfactione præstita & acceptata Christum Sponsorem à reatu & debendi officio absolvisse?* R. Ad fidem isti rei faciendam profero apocham Christo datam, quam ipsa Scriptura nobis in verbis & factis, quasi legendam, exhibet. 1. In verbis *Psalm.* 16: 2. Ubi Pater approbatâ Filii obedientiâ in hæc verba ipsum absolvit; טובתי בל עליך *bonum meum non est super te.* hoc est, gratia, *sanctis in terra*, &c. *v.* 3. destinata, tibi incubuerat præstanda, tanquam sponsori; nunc verò consummatus Servator, ad quod præstandum tenebaris susceptâ sponsione, præstitisti. על in Hebraismo debitionem significat non rarò, *Gen.* 16: 5. *Jud.* 19: 20. *Prov.* 7: 14. Sententia Psalmi illustrari potest ex *Job.* 33: 24. & 34: 31. Filio dicente; *redime ipsum ne descendat in foveam, inveni* λύτρον. confer *ad Hebr.* 9: 12. Pater subjicit; נשאתי *accepi*, ἀπέχω, non pignerabo: quæ formula est apochæ, quam vulgus *quietationem* dicit. 2. Factô deinde apochâm exhibet in resurrectione Christi. Unde quanquam Christus suâpte virtute resurrexerit è morte, ut demonstrabitur suô loco; nihilominùs & Patri tribuitur

buitur Christum resuscitâsse, quatenus resuscitatio Filii est argumentum judicii, quô Pater in ipso, ceu sacerdote consummato, & vade post satisfactionem præstitam velut è carcere dimisso, absolvit redemptos. Hinc *excitatus* dicitur *propter justificationem nostri*, *Rom.* 4: 25. Sic resuscitatio Christi est quasi *factum* loquens & promulgans justificationem nostri.

XII. Q. *Persuasus de veritate satisfactionis Christi, quæram nunc etiam, qualis ea sit?* R. Id docet Catech. quando Christum & *plenissimè pro omnibus peccatis nostris, & pretioso suo sanguine* satisfeciss dicit. Ubi & plenitudinem satisfactionis, & plenitudinis causam prædicari audis. Q. *Unde sciam, Christum plenissimè satisfeciss?* R. Ex effectis sive fructibus obedientiæ & mortis Christi, qui plurimi sunt: velut, quòd iram Dei placaverit, Deum nobis, nosque Deo reconciliârit, æternam justitiam adduxerit, nos sibi peculium acquisiverit & in primis, quod Catech. habet, *nos ab omni potestate Diaboli liberaverit*, quod contritione capitis serpentini significatum, *Gen.* 3: 15.

Satisfactionem Christi esse plenissimam ostenditur 1. ex ejus fructibus.

XIII. Q. *Quam vero plenitudinis istius causam dicis?* R. Quia Christus satisfecit, interposito pretio idoneo, sive impendio infiniti pretii, quod erat idoneum, tùm *ad sanctificandum Deum illum sanctum in justitia*, *Esa.* 5: 16. tùm ad emendum salvandos *in peculium*. Q. *Quodnam est illud pretium?* R. Sanguis Christi pretiosus. Sanguinis verò nomine in hac causa complectitur Scriptura universam Christi obedientiam ad supplicium usque crucis perseverantem, *Phil.* 2: 8. quippe quæ voluntaria morte præprimis manifestata & consummata etiam est verum δικαίωμα, *id quod lex ad nostri justificationem requirit*, *Rom.* 5: 18, 19. Quâ de re amplius ad Q. LX. &c.

2. Ex impendio immensi pretii.

XIV. Q. *Quare sanguis dicitur pretiosus?* R. 1. In oppositione sanguinis victimarum brutarum V. T. qui tanti esse non poterat, ut ad expiationem peccatorum valeret, *Heb.* 10: 4. 2. In oppositione argenti capitationis, puta, dimidii sicli, quem Israëlitæ pendere tenebantur, tanquam כֹּפֶר נֶפֶשׁ *redempturam animæ*, uti appellatur ratione typica, *Exod.* 30: 12. Quò allusit Apostolus, typo ad veritatem reducto, 1 *Pet.* 1:

Sanguis Christi cur pretiosus?

18, 19. unde Catech. phrasin repetivit. 3. Quia est sanguis Filii Dei. Unde Scriptura, pretii valorem, qui illi ex infinita dignitate personæ accrescit, ad conscientiam commendatura, testatur, quòd *Deus Ecclesiam proprio sanguine acquisiverit*, *Act.* 20: 28. Quòd *Principes hujus seculi Dominum gloriæ crucifixerint*, 1 *Cor.* 2: 8. Quòd Christus *per Spiritum æternum se obtulerit*, *Heb.* 9: 14. 4. Quia est sanguis agni immaculati, &c. 1 *Pet.* 1: 19.

Modicam sanguinis guttam non satis fuisse futuram redemptioni nostræ.

XV. Q. *Si infinitam personæ dignitatem spectare velimus, nonne vel modica sanguinis Christi gutta redemptioni nostræ satis erat futura?* R. Sic vellent Communionis Romanæ Doctores; ut enim sit, unde imaginarium illum Ecclesiæ thesaurum, per indulgentias à Papa dispensandum, instruant, in satisfactione Christi superfluum quid esse comminiscuntur. Clemens VI. P. R. ea constitutione, quâ Jubilæum, à Bonifacio VIII. an. 1300. institutum, ad annum quemque quinquagesimum reduxit, inter alia de his sic scisit; *Unigenitus Dei Filius, &c. non corruptibilibus auro & argento, sed sui ipsius agni incontaminati & immaculati pretioso sanguine nos redemit, quem in ara crucis innocens immolatus, non guttam sanguinis modicam, quæ tamen propter unionem ad verbum pro redemptione totius humani generis sufficisset, sed copiosè, velut quoddam profluum, noscitur effudisse, &c. Quantum ergo exinde, ut nec supervacua, inanis, aut superflua tantæ effusionis miseratio redderetur, Thesaurum militanti Ecclesiæ acquisivit, volens suis thesaurizare filiis pius pater, &c. Quem quidem thesaurum non in sudario repositum, non in agro absconditum, sed per B. Petrum, cœli clavigerum, ejusque successores, suos in terris vicarios, commisit, fidelibus salubriter dispensandum, &c. Extrav. Commun. Lib. V. Tit. IX. cap.* 2. Sic thesaurum gratiæ divinæ in quæstum meretricis Babyl. convertunt. Frustrà verò Quæstoribus illis obtentui est infinita personæ dignitas, quam hoc in casu extollunt, ut rursus contumeliosè deprimant, gratiam Christi, quam verbo Evang. dispensari voluit, plumbo & membranæ includentes & quæstui habentes. Habuit quidem sanguinis Christi gutta quælibet valorem infinitum ex digni-

dignitate personæ: neque tamen postulato legis, pœnam non qualemcunque, sed mortem & maledictionem peccatori imponentis, satis fuisset factum, neque Deus ex æquo sanctificatus, neque odium Dei adversus peccatum homini ad agnitionem Dei segnissimo, ut par erat, demonstratum fuisset, si Christus non nisi modicam sanguinis guttam, ut in circumcisione factum, profudisset.

Satisfactionis necessitas.

XVI. Q. *Necesse ne erat, eô quô dictum est modô satisfieri?* R. Positô æternô illô *consiliô pacis* inter *Jehovam* & *Virum Germen*, *Zach.* 6: 13. de servandis quibusdam ex genere humano in peccatum & exitium sempiternum prolapso, interponi satisfactionem necesse fuit, quia nisi justitiæ Dei & Legis postulato idoneè satisfactum esset, peccatorum remissio æternùm desperanda fuerat, uti nos docebunt Quæstiones X. & XI.

Redemptos in pristinam servitutem, &c. nunquam recidere probatur.

XVII. Q. *Hactenus equidem audio, me Christi proprium esse, quippe qui pretioso suo sanguine, &c. annon fortè evenire potest, ut in pristinam illam servitutem peccati & potestatem Diaboli recidam, atque adeò Christi proprius esse desinam?* R. Nequaquam; quia Christus redemptos, & Deo reconciliatos, in gratia ad finem usque conservat, alioqui, quæ nostra infirmitas est, ne ad momentum quidem duraturos. Neque est, cur hîc in Servatore nostro nos conservandi vel studium & curam, vel potentiam desideremus. Tanta ipsi cura nostri, *ut ne pilus quidem de capite nostro cadere queat, sine voluntate patris nostri cœlestis:* ne tantillum quidem damni sentiemus, *Luc.* 21: 18. conf. 1 *Sam.* 14: 45. *Vestri etiam capilli capitis omnes numerati sunt*, inquit Servator de discipulis, & omnibus, qui per ipsorum ministerium crediturî erant, *Matth.* 10: 30. Numerari solent, quæ curæ sunt & in pretio habentur: sicut ex adverso quæ contemptui sunt, *nullô locô numerari*, vel *extra numerum haberi* dicuntur. Ergò *si ne pilus quidem &c.* multò minùs graviora citra voluntatem ejus nobis obvenient, quæ saluti damnum afferre queant. Ea deinde Servatori nostro *potentia* est, *quâ sibi subjicere potest omnia*, *Phil.* 3: 21. atque adeò facere, ut nihil nobis eveniat, nisi quod saluti sit futurum. Assertioni

fidem faciunt 1. Plurima Scripturæ testimonia, ut *Esa.* 26: 7. *Jer.* 32: 40. *Joh.* 6: 39. & 17: 12. 1 *Pet.* 1: 5. 2. Justitia Christi & acquisitio peculii. In justitia Christi, quippe *æterna*, *Dan.* 9: 24. *status* est & *firmitas*, *Esa.* 54: 14, 17. itemque jus habendi populum regenitum, justificatum & sanctificatum, in quo glorioſus regnet, *Esa.* 49: 4. & 53: 10. *Psalm.* 2: 8. & 68: 19. &c. Deinde Christus nos acquisivit sibi *peculium*: quocirca etiam redemptos tanquam *suos datô Spiritûs arrhabone obsignat*, 2 *Cor.* 1: 22. tanquam oves peculii signat, neque adeò incustoditas interire sinet. *Oves meæ vocem meam audiunt* -------- *non peribunt in æculum*, &c. *Joh.* 10: 27, 28. sunt autem oves, non quia vocem Christi audiunt, eumque sequuntur, sed contrà, ideò solùm vocem Christi audiunt, &c. quia oves sunt. Et cùm Christus futurum neget, ut pereant unquam, consequitur inde oves Christi vocem ejus perpetuò audituras, eumque secuturas, atque adeò ad finem perseveraturas esse. Ove cæteroquin vix stupidior pecus est; tantisper aberrans, vepre fortè gregis conspectum intercipiente, magis magisque aberrat, nec nisi reducta à pastore ad gregem redit. Ovem unam præcipitem continuo impetu sequuntur universæ. Nihilominus Christus Ecclesiam gregi, fidelesque ovibus comparare amat, ut vel hinc pateſcat, perseverantiam fidelium, qui soli de grege sunt atque peculio Christi, non ipsorum industriæ, sed curæ, vigilantiæ & custodiæ Christi Ἀρχιποιμένος, tribuendam esse.

Graves fidelium lapsus gratiam & salutem non intervertunt.

XVIII. Q. *Atqui ea est fidelium imbecillitas, ut sæpè sæpius tentationi cedant, graviterque lapsent: numquid ergò eorum salus non periclitabitur?* R. 1. Fideles cadunt, sed non posternuntur, Jehova manum eorum tenente. *Psalm.* 37: 24. 2. Electorum fides exagitatur & quasi cribratur, impugnatur & obscuratur, quod ad *gaudium salutis*, *spiritu* per peccata carnis *contristato*, *Eph.* 4: 30. ipsam tamen fidem non abjiciunt, neque Spiritum S. amittunt, qui pro tempore in ipsis operatur *tristitiam secundum Deum*, 2 *Cor.* 7: 9. ut per eam ad *gaudium salutis* recreentur, *Psal.* 51: 14. *coll.* v: 8. *ibid.* Sanctis nonnunquam accidit, fidei sensu carere, usque adeò, ut eam

Fidei perseverantia,

sibi

sibi penitùs intercidisse putent, tametsi qui tentatis & luctantibus assistunt, fidem ipsis supersesse è signis haud obscuris conjiciant: quale est, quòd sic laborantes fidei defectum summoperè doleant, fidem, si queant, quôvis pretiô vel periculô redempturi. Neque tamen, quod aliis fidei vivíscentis argumentum est indubium, ipsi in rem suam vertere possunt semper, ut solamini sit: robore fidei non ab industria & arbitrio hominis, sed ab influxu & operatione Spiritûs adoptionis pendente: tantum enim hîc valent fideles, quantum valere datur. Unde fidei non idem continenter est vigor: nunc enim langueſcit & quasi deliquium patitur, ellychnio fumiganti & tantùm non extincto similis facta: nunc rursus evaleſcit, & in majus robur sese explicat, pedetentim ad gloriationem usque proficiens, Deo gratiam suam sapienter dispensante, ut fideles imbecillitatis suæ sensu excitati, non suô se talô, sed gratiâ Dei stare, atque ideò Deo confidere, gratiam anhelare, requirere & retinere discant, ac indefessô pœnitentiæ & mortificationis studiô sese exerceant, sicque luctando ad perfectionis metam contendant.

etsi non semper sui sensum præbeat.

XIX. Obj. *Si fideles usque adeo accuratè conservantur, ut ne pilus quidem, &c. Cur Deus eosdem tot adversis premi, cur plagis communibus involutos cum aliis interire patitur?* R.r 1. Amantibus Deum omnia cooperantur ad bonum, *Rom.* 8: 28. 2. Persuasos oportet, *ex una quidem parte*, quòd afflictiones fidelium proficiscantur à manu Patris castigantis filium quem diligit, *Heb.* 12: 6. Ergò quanquàm plagis involvantur communibus, non tamen cum mundo pereunt: in quam rem egregium vide testimonium, *Amos.* 9: 8, 9. *Ex altera parte*, quòd afflictio fidelium in persecutionibus, &c. sit *redundantia passionum* Christi, & consequenter etiam *per Christum abundet consolatio nostri*, 2 *Cor.* 1: 5. Quare ut ne hîc anxia solicitudo mentis tranquillitatem turbet, adversa ad veram suam originem, veluti centrum, referenda sunt. Cùm enim extra centrum suum trahuntur, incipiunt esse sentirique gravia: unde mille mentis distractiones, angustiæ cordis, noctes insomnes, curæ immedicabiles, &c.

Gratiæ & fidei perseverantiæ non obsunt afflictiones, &c.

Certitudo salutis fidelibus asserta & probata.

XX. Q. *Quî verò tandem certus esse possum, quæ hactenus de solida consolatione in vita & morte dixisti, etiam ad me pertinere?* R. Quos Christus sibi proprios acquisivit, *eos etiam suo Spiritu de vita æterna certos facit.* ut ait Catech. Q. *Quomodo?* R. Dum non tantùm externè per verbum Scripturæ testatur, eos esse *filios Dei & hæredes* vitæ æternæ, *Rom.* 8: 17. sed ea ipsa de veritate, dato Spiritu fidei & adoptionis, eorum animum ita persuadet, ut conscientia vice Dei idem ipsis dicat & affirmet, quod Deus de ipsis dicit & affirmat in verbo. Unde *Spiritus S. contestificari* dicitur *spiritui nostro, &c. Rom.* 8: 16. Id verò cùm non faciat præter vel citra verbum Dei externum, testimonium Spiritûs Sancti nequicquam ceu ἐνθουσιαστικὸν ab adversariis traducitur. Huic rei illustrandæ servit illud *Psalmi* 27: 8. *Tibi* (vicem tuam, vel pro te, ô Deus! confer *Exod.* 4: 16.) *dixit cor meum, quærite faciem meam, &c.* q. d. tu intus per verbum affatus cor meum, illudque commovens, fecisti, ut tuo nomine tuisque verbis diceret, non aliter, atque si in animo meo vocem testimonii tui audirem, &c. Exempli causâ; Si Spiritu S. cor meum compellante, *noli metuere, &c.* ego per fidem sensu hujus alloquii, per verbum Dei externum facti, permotus, sic subsumam; *Ecce Deus omnipotens est salus mea, confidam, non pavebo, &c. Esa.* 12: 2. Vicissim si animus meus sensu amoris divini quasi perfusus dixerit ad Deum; *Tu Jehova es receptus meus:* Spiritus S. tùm ei respondet; *altissimum posuisti habitaculum tuum, non occurret tibi malum, Psalm.* 91: 9, 10. Hujus œconomiæ Spiritûs S. vestigia passim videre est attendenti ad soliloquia in Psalmis præcipuè frequentia: ubi mutatio personarum, ex abrupto facta, sæpè negotium facessit interpreti, nisi hoc ipsum observet. Idem ampliùs confirmatur eô, quòd Scriptura Spiritum S. redemptis datum testatur, ut *arrham, Eph.* 1: 13, 14. ut *sigillum*, ibid. & 2 *Cor.* 1: 22. ut *primitias, Rom.* 8: 23. ut *paracletum, Joh.* 15: 26. Quæ omnia salutis certitudinem inferunt, fidelibus sensu faciliùs percipiendam, quàm verbis enunciandam, *pace Dei omnem mentem exsuperante, Phil.* 4: 7. Quod mentem exsuperat, consequi verbis frustrà coneris.

Quomodo Spiritus S. contestificetur spiritui nostro.

Unde mutatio personæ frequens soliloquiis in Psalmis.

XXI. Q.

XXI. Q. *Qualis est ista certitudo?* R. Non *moralis*, quæ veriùs conjectura fallax, quàm certitudo dici meretur: sed *fidei* est, *quanquam citra studium pietatis & usum mediorum in actum exire non possit: isque certitudinis gradus in fide, qui omnem formidinem perpetuò excludat, non sit continuatus & perpetuus, quoad actum, sed quoad fundamentum & habitum nunquam amissus: illa enim persuasio fidei nunc est vivida, nunc languida, nunc, ut in gravissimis tentationibus, nulla, &c.* uti prudenter ex verbo Dei definivit Synodus Dordracena art. 5. *Certitudo illa qualis?*

XXII. Q. *Unde probabis eam certitudinem esse fidei?* R. 1. Quia ad eam nobis comparandam author & hortator est Deus in verbo suo, 2 *Cor.* 13: 5. 2 *Pet.* 1: 10. 2. Quia Spiritus S. fidei author eam certitudinem animo nostro ingenerat. 3. Non sine verbo Dei, ut suprà ostensum. 4. Etiam verbum Dei isti certitudini explorandæ χειτήρια suggerit, uti vel mox dicenda docebunt. Temeraria igitur est definitio spem certam Israëlis ridentium; *Nullus scire valet certitudine fidei, cui non potest subesse falsum, sibi remissa esse peccata, &c. Concil. Trid. Sess. VI. cap.* 9. *&c.* *Esse certitudinem fidei probatur adversus scita Tridentina.*

XXIII. Q. *Quî verò sciam, eam persuasionem non esse illusoriam & temerariam præsumptionem, sed reapse testimonium Spiritûs S.?* R. Quorum spiritui contestificatur Spiritus S. in illis etiam operatur, quæ filiis Dei conveniunt: hinc Catech. *utque ipsi deinceps vivam, promptum ac paratum reddit.* Optimè utique; sic enim fideles distinguere docet inter *securitatem carnalem* & *certitudinem fidei.* Hæc namque conjunctum habet propositum & voluntatem pronam *vivendi Christo*, hoc est, ex præcepto, amore, & studio gloriæ Christi. Hinc Spiritus S. non solùm *arrha*, *sigillum*, *primitiæ* & *paracletus*, sed & *oleum* appellatur *hilaritatis*, oppositè ad *Spiritum hebetem*, *Esa.* 61: 3. quia patientes, fortes, alacresque reddit ad ferendum adversa, faciendum bona. Eadem de causa *Spiritu duci*, *Spiritu vivere* dicuntur fideles, *Gal.* 5: 18, 25. Et *Spiritus* in ipsis *concupiscere adversus carnem*, *v.* 17. unde fructus Spiritûs S. Apostolo laudati, *v.* 22, 23. Non igitur temerè factum, quòd Catechumenus de fide, amore & timore Dei probè sibi con- *Testimonium Spiritûs S. quibus χειτηρίοις dignoscendum?*

scius, certitudinem salutis profiteri, Christumque & ejus beneficia *sua* dicere jubetur. Ne verò hîc quisquam præproperè & temerè glorietur, quotidiana exploratione & cautô opus est. Sunt enim qui facilè sibi imponunt, *Prov.* 13: 7. & 30: 12.

Quæstio II.

Quot sunt tibi scitu necessaria, ut ista consolatione fruens beatè vivas & moriaris?

TRia. Primum, quanta sit peccati mei & miseriæ meæ magnitudo. Secundum, quo pacto ab omni peccato & miseria liberer. Tertium, quam gratiam Deo pro ea liberatione debeam.

ANALYSIS.

1. Expositô *summô bonô* in hac vita parabili, solida nimirum consolatione; quærit de mediis ad bonum istud consequendum conducentibus. Cæterùm in Quæst. Catech. distingui potest; Qua de re, quo usu & fine quæratur.
2. In Resp. media enumerantur, &c. Quâ ratione, quô consiliô & ordine, docebunt seqq.

EXEGESIS.

Solidæ consolationis cupido scitu necessaria tria.

AUdito *summo bono in hac vita consequendo, quænam mihi tanti boni desiderio flagranti scitu necessaria sunt?* R. Tria: quæ tamen non solum sciri, sed etiam singulari curâ intendi, credi & ad vitæ praxin revocari necesse est. Nimirum, Agnitio miseriæ, Fides liberationis & studium gratitudinis, Consolatio igitur

igitur non negligenti, nec dedignanti salutisque suæ securo, sed *salutem cum timore & tremore operanti* parata est.

II. Q. *Quanam ratione Catech. ista tria commendat?* R. Optimâ: Sic enim sequitur methodum Scripturæ probatam. *Invoca me in die angustiæ, liberabo te, & glorificabis me, Psal.* 50: 15. Agnitio miseriæ & sensus inopiæ ad invocandum exstimulat: Deus ex fide invocanti se liberatorem præstat, eoque nomine glorificari postulat. Eadem est Epistolæ ad Romanos œconomia. Ibi enim à v. 18. Cap. 1. ad v. 21. Cap. 3. hominis reatum & miseriam depingit Apostolus. Inde ad Caput 12. usque de liberationis beneficio disserit. Tandem ad finem usque Epistolæ pietatis & charitatis officia inculcat, in quibus studium veræ gratitudinis versatur. Hujus partitionis vestigia ita pressè sequitur Catechesis, ut ad methodum Epistolæ ad Rom. singulari studio conformata videatur. *Ista tria.* 1. *Quaratione.*

III. Q. *Quô consiliô Catech. ista tria commendat?* R. Prudenti sanè. Sine agnitione peccati & miseriæ consolatio non desideratur: sine fide liberationis non impetratur: sine gratitudinis studio nulla sentitur, neque in animo confirmatur. Hæc ergò cùm singula non prosint, universa si *adsint nobis & abundent --- locupletem in modum suppeditabitur nobis introitus in æternum regnum, &c. 2 Pet.* 1: 8, 11. hoc est, inoffenso gradu, viâ planâ, duce gratiâ Dei abundantissimâ, hilares dulcique solatiô perfusi, velut explicatis plenisque velis rectâ in salutis portum introducemur. Usus igitur tria ista sejungi vetat. Si peccator intra primum *medium* consisteret, in desperationem incideret & odium Dei. Si secundô contentus non proficeret ad tertium, incideret in securitatem, *gratiam translaturus ad lasciviam.* Si tertium duntaxat illi proponeretur, facilis foret gradus ad vanitatem & inanem suis de viribus atque meritis operum fiduciam. 2. *Quo Consilio.*

IV. Q. *Quare isto ordine?* R. Quia eundem servat Spiritus S. in conversione peccatoris ad Deum. *Primum medium* est præparatorium. Præparat enim animum solatio quærendo, accendit sitim atque desiderium liberationis: neque enim medici opem requi- 3. *Quo ordine, commendentur.*

ret, nisi qui se ægrum senserit, *Matth.* 9: 12. *Secundum medium* solidæ consolationis fontem aperit, eôque animam sitientem perfundit & proluit. *Tertium* denique *medium* consolationem confirmat, ejusque certitudinem usque & usque majorem in animo parit.

Peccatum & miseria quare hoc loco distinguantur.

V. Q. *Quo consilio Catech. hîc peccatum & miseriam distinguit?* R. Illô culpam, hâc pœnam intelligi vult. Quanquam autem seq. quæstione utramque uno nomine miseriæ complectatur, hîc tamen prudenter distinguit, ut distincta multiplicis *mali*, *turpis* puta & *tristis*, consideratio eò vividiorem sensum inopiæ & miseriæ nostræ animo imprimat.

PARS PRIMA.

De hominis miseria.

Quæstio III.

Unde tuam miseriam cognoscis?

EX *lege Dei.*

ANALYSIS.

1. Titulus ordinem & materiam tractationis habet.
2. Quærenti de principio cognoscendæ miseriæ suæ; *Unde tuam &c.*
3. Respondetur, ostendendo cognitionis illius principium; *Ex lege Dei.* Rom. 3:20.

EXEGESIS.

Nexus.

CAtechismi *pars posterior primaria, quæ est de mediis consequendæ consolationis, quomodo subdividitur?* R. Tripertitò, pro numero medio-

mediorum. Tres istas partes nunc suo ordine exequitur Catechetes, quarum prima est de miseria hominis, ut docet rubrica, sive inscriptio.

II. Q. *Quid nomen miseriæ significat?* R. Latiori significatu denotat & culpam & pœnam, ut *Rom.* 7: 24. *Miser ego homo, quis me liberabit, &c.* Strictiùs verò sumptum idem nomen notat pœnam sive incommoda peccatum consequentia, ut *Jac.* 5: 1. *Age nunc divites plorate ejulantes super miseriis vestris, &c.* Q. *Utro significatu hic accipitur?* R. Latiori: quia homo bis miser est: miser non solum ex *peccato*, hoc est, effectis sive pœnis & incommodis agminatim peccatum consequentibus: sed etiam longè miserrimus est *ipso peccato*, quâ culpa & vitium est. Ut adeò duplex sit hominis miseria, *peccati* & *pœnæ*, sive *peccatum* & *pœna*. De priori docet Quæstio 3. 4. &c. De posteriori Quæstio 10. & 11. Q. *Quare primam partem inscribens de miseria, facit mentionem subjecti patientis, puta, hominis?* R. Distinctionis causâ. Est enim & Angelorum quorundum miseria, *Jud.* vers. 6. 2 *Pet.* 2: 4.

Miseria quid hoc loco Catechetæ significet?

Miseria hominis quotuplex?

III. Q. *Cùm quæstio sit de miseria cognoscenda, estne satis ad institutum Catechetæ, suam novisse miseriam?* R. Cognitio intelligitur, quæ non nudâ miseriæ notiâ constet, sed quam vividus miseriæ sensus atque dolor consequatur, quô peccator dejectus, suæque ἀδυναμίας & vitiositatis convictus, abjectâ propriæ justitiæ & meriti fiduciâ, ad solam Dei misericordiam, unum salutis suæ præsidium, confugiat, illud Davidis votô & ore ferens; *Ne congrediaris judicio cum servo tuo, &c. Psal.* 143: 2.

Agnitio miseriæ qualis requiratur?

IV. Q. *Unde igitur agnoscis tuam miseriam?* R. Ex lege Dei. *Rom.* 3: 20. Q. *Numquid non satis est sensisse se esse miserum?* R. Sentimus quidem incommoda naturæ contraria, peccatum longa serie consequentia: neque tamen sensus noster mali *vim* atque *causam* assequitur. Quin imò peccator ipso peccato occæcatus & induratus, *Eph.* 4: 18. malorum suorum, quæ etiam sensus ignorati non patitur, causam vel in cæcam fortunam, vel in naturam veluti novercam, vel aliò rejicere solet. Quod factitâsse leguntur insanientis sapientiæ

Veræ miseriæ agnitio unde petenda?

pientiæ consulti Philosophi Gentilium. Q. *An non conscientia saltem nostram nos docet miseriam?* R. Neque sola conscientia peccatoris miseriæ vim & causam satis assequitur. Cæcus enim suî amor facit, ut homo libenter sibi persuadeat, nihil inesse sibi, quod meritò debeat esse odiosum, atque hinc sibimet blandiens, inanique fiduciâ sui intumescens, quosvis alios se deteriores existimet, ut Pharisæus ille *Luc.* 18: 11. scil. non videns manticæ quod in tergo est.

Ex lege Dei.

V. Q. *Quare additur ex lege Dei? Nonne etiam ex lege humana exspectari potest miseriæ suæ agnitio?* R. Sola lex Dei proxima regula & norma est bonitatis moralis, directè & ἀμέσως obligans conscientiam. Unde *Psal.* 51: 6. *Tibi soli peccavi:* puta, quantum ad vitiositatem actûs: in te solum ut Dominum, Exemplar, Finem atque Bonum hominis, deliqui. Leges autem humanæ de externa duntaxat morum probitate civiumque officiis præcipiunt, potissima in parte, quæ veram, eamque cordis rectitudinem spectat, deficientes.

Lex Dei quid sit, & quotuplex, & quæ hîc intelligenda?

VI. Q. *Quid est lex Dei?* R. Regula judicii, voluntatis, affectuum & actionum, præmiô vitæ & pœnâ mortis æternæ sancita, obligans conscientiam ad id quod verum, rectum, sanctum & justum est. Lex enim Dei καρδιογνώστης *spiritualis* est, *Rom.* 7: 14. adeoque non membris solùm, sed & conscientiæ atque motibus affectuum abditissimis lata. Q. *Lex Dei unane, an multiplex est?* R. Duplex est: *una*, quæ continet præcepta, *quæ qui facit, vivit in illis: Lev.* 18: 5. *Rom.* 10: 5. Hæc lex, vulgò *moralis* dicta, imago est, veritatem, sanctitatem & justitiam Dei indemutabilem exprimens: unde nec augeri, nec abrogari, nec dispensari potest. *Altera* est, quæ habet *præcepta in placitis*, *Eph.* 2: 15. quippe pro arbitrio legem ferentis data, scholis *positiva* dicta: qualis ex. gr. olim erat Lex Ceremonialis. Q. *Quando ex lege dicitur esse agnitio peccati, utra intelligitur?* R. Moralem intelligi docet Catechetes, quando sequente Quæst. summam ejus Decalogô comprehensam exhibet. Q. *An non etiam ex lege naturali cognoscitur miseria?* R. Etsi lex naturæ, quantum ad præcepti substantiam, eadem sit cum lege Decalogi, tamen,

men, quia peccati vitiô tantùm non penitùs obliterata est, hominem ad plenam suî & miseriæ suæ agnitionem deducere non valet, teste Apostolo, *Rom.* 7: 7.

VII. Q. *An non etiam ex Lege Ceremoniali?* R. Istius legis usus potissimùm duplex erat olim: I. Præscribere ritus, qui erant *umbræ futurorum bonorum*, *Heb.* 10: 1. II. Ostendere Israëlitis, quòd propter legis moralis transgressionem rei essent atque impuri. Hinc mandata illis purificatio per lotiones, & expiatio per sacrificia, docebat, illos purificatione & expiatione vera, quam Lex præstare non posset, opus habere. Exempli causâ: Cibos quosdam Deus jusserat haberi immundos, quorum vel contactus pollueret. Quî verò? Scil. homo ipse, naturâ immundus ex peccato, cibos istos tactu polluebat, & vicissim ab iisdem tactu pollutis inquinabatur. Fons igitur impuritatis non in cibis, sed in homine impuro, existebat, in cibos tactu quasi derivatus, *Matth.* 15: 11, 17, 18. Eam porrò hominis impuritatem Deus præceptô abstinendi quibusdam cibis commemorari & accusari voluit. Cæteris verò tanquam mundis uti potuisse peccatores, pro quibus nondum satis erat factum, indulgentiæ divinæ beneficium fuit. Eódem pertinebat sanguis sacrificiorum, cornibus altaris illitus, *Lev.* 4: 7, 18, 25, 30. *Jer.* 17: 1. Sic cornua altaris victimarum sanguine delibuta, omniumque conspectui exposita, fuere chirographa sanguine scripta, & veluti publicam ad notitiam evoluta, *Col.* 2: 14. Unde in sacrificiis ἀνάμνησιν ἁμαρτιῶν factam testatur Apostolus, *Heb.* 10: 3. Propriè igitur ex lege morali est agnitio peccati, quia ejus sanctitas & æquitas testem habet conscientiam, quæ non potest non facta legi contraria damnare. Lex verò in placitis non est insita menti, neque imaginem sanctitatis Dei habet, tametsi semper sapientissima sit ejus ratio.

Legis Ceremonialis quis usus in agnitione miseriæ?

VIII. Q. *Quandonam ex lege cognoscitur miseria?* R. I. Quando ex inspectione legis & nostri ipsorum deprehendimus, rectitudinem à lege præscriptam in nobis non esse, nobisque deesse opera, *quæ qui facit vivit in illis*, nosque adeò esse mortuos, *Rom.* 7: 9, 10. II. Quando comperimus, legem esse impotentem ad justificandum & vivifi-

Quando & quomodo ex lege agnoscitur miseria?

can-

candum peccatorem, atque ad condemnandum peccatum, quò minùs accuſet & ſervum ſibi poſtulet addici peccatorem, *Rom.* 8: 3. Unde conſtat, quô fine & uſu lex poſt peccatum ingreſſum data fuerit: nimirùm, non ut ex ea eſſet juſtificatio: ſic enim contraria foret promiſſioni, *Gal.* 3: 17. Verùm, ut *ex lege eſſet agnitio peccati*, *Rom.* 3: 20. *Lex introiit, ut abundaret lapſus*, *Rom.* 5: 20.

IX. Q. *Dixiſti, unde ſit miſeriæ agnitio; ſcire velim etiam, quomodo ex lege Dei miſeria cognoſcatur?* R. 1. Attendendo ad mentem & ſententiam legis, ut quid lex à nobis exigat, perſpectum habeamus; de quo Catech. Quæſt. IV. 2. Conſcientiam & vitam excutiendo atque ad legem conferendo: de quo Quæſt. V.

Quæſt. IV.

Quid à nobis poſtulat Lex Dei?

ID nos docet Chriſtus ſummatim Matth. 22. *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, ex tota anima tua, ex tota cogitatione tua, & ex omnibus viribus tuis. Iſtud eſt primum & maximum mandatum. Secundum autem ſimile eſt huic: Diliges proximum tuum, ſicut te ipſum. Ab iſtis duobus mandatis tota lex & prophetæ pendent.*

ANALYSIS.

Quærenti de materia officii lege præſcripti, ita reſpondetur, ut

1. Oſtendatur, ex cujus ore, vel quo Doctore eam diſcendam velit Catech. *Id nos docet, &c.*

2. Me-

2. Meditanda proponatur totius legis summa, continens 1. Mandatum duplex de diligendo Deo & proximo. 2. Mandati utriusque encomium cùm proprium, tùm commune.

EXEGESIS.

Ante omnia sciendum legis postulatum.

QUid *ante omnia facto opus est miseriam suam ex lege agnoscere volenti?* R. Inquirendum, quid lex ab homine postulet: uti sub finem præcedentis Quæst. monui. Q. *Quare quærit Catech. quid postulet; non item, quid contineat lex, &c.?* R. Ut non solùm legis contenta, sed & vim obligandi nobis ad animum revocet. Q. *Unde legi sua vis obligandi?* R. Cùm ex ὑπεροχῇ supremaque authoritate Legislatoris; Dei; tùm ex evidentia rationis & æquitate rei mandatæ. Hinc illud; *Audi populemi, & contestabor te, Psal.* 81: 9. q. d. Præcipiam tibi, quæ tute ipse per conscientiam cogaris probare, ceu bona, sancta, æqua, dummodò attentè quæ dico audias.

De legis postulato summatim docet Servator.

II. Q. *Unde igitur sciam, quid lex postulet?* R. Ex ore Christi, non solùm Doctoris unici & infallibilis, sed & Legislatoris, quò nemo meliùs rationem & mentem legis perspectam habet. Christus autem totius legis summam atque perfectionem ab ea requisitam paucis hisce verbis complexus est; *Diliges Dominum, Deum tuum, ex toto corde tuo, &c.* Q. *Quare legis duntaxat summam, non universam legem sibi recitari postulat Catechetes?* R. Quæstionis occasio requirit, aliquam hîc sanctitatis, quam lex postulat, εἰκόνα poni, qualem certè egregiam exhibet legis summa, à Christo tradita, *Matth.* 22: 37, *&c.* ex *Deut.* 6: 5. & *Lev.* 19: 18. Decalogus autem à Deo sic conceptus est, ut potiùs recessionem à malo, quàm bonum, quod ab homine ad justitiam ejus requiritur, exprimat: quod ipsum argumento est, Decalogum, cujus præcepta pleraque sunt negativa, legem esse resipiscentiæ, & formulam habere fœderis gratiæ.

III. Q.

Summæ Legis contenta.

III. Q. *Quid continet ista Legis Epitome?* R. 1. Mandatum duplex, de diligendo Deo, & de diligendo proximo: quorum quidem illud præceptorum prioris; hoc verò præceptorum posterioris tabulæ compendium est. Ut adeò tota lex ad unam dilectionem revocetur. 2. Encomium utriusque mandati proprium & commune.

Diligere Deum quid sit?

IV. Q. *Quid mihi tenendum de præcepto diligendi Deum?* R. 1. Quid sit, diligere Deum. 2. Qua ratione Deus sit diligendus. Q. *Quid igitur significat, diligere Deum?* R. 1. Deum, ejusque virtutes atque gloriam agnoscere. Ignoti enim non est amor. 2. Deum habere pro summo Fine omnium actionum suarum, atque summo Bono, cujus solius cognitione sapiens, cujus amore sanctus, & cujus fruitione beatus esse queas. Atque ideò Deum ceu Finem atque Bonum suum affectu & studiô condignô quærere, eidem constanter adhærescere, eô solô gloriari seque beatum prædicare. 3. Rebus Dei, unde commodi quid ad nos redire potest, non jam frui, sed uti, tanquam adminiculis, ad gloriam Dei, cum gratiarum actione. 4. Cùm Deus amari nequeat, quin simul amentur virtutes ejus, in quibus eminet sanctitas, quam & nobis vivendi exemplar esse vult, 1 *Pet.* 1: 15. Ergò in amore Dei etiam inest, facere quæ Deus mandat. Quidnî verò? Amare enim Deum est amare authorem & exemplar omnis ordinis & veritatis; amare Finem suum summum atque Bonum; amare Dominum summè potentem, sapientem, &c. sine cujus Numine ne quidem ad motum digiti valemus: imò est amare eum, qui se fœdere nobis addixit; *Diliges Dominum, Deum tuum.* Cur igitur, si ames, imperata facere recuses? *si præcepta mea observetis*, inquit Servator, *manebitis in dilectione mea*, *Joh.* 15: 10, 14. conf. 1 *Joh.* 2: 4, 5. Ut adeò hic amor Dei non solùm sit amor *affectionis*, quô illi ceu summo Bono adhærescamus: sed etiam amor *effectionis* sive *obedientiæ*, quo illi ceu supremo Domino pareamus. 5. Denique à Deo ita dependere velle, ut nihil cogitare, dicere, facere sustineas, nisi Deo authore, teste & judice, quod cogitans, dicens, faciens, non ausis fide bona *Jehovam Deum tuum* appellare.

V. Q.

V. Q. *Qua ratione diligendus est Deus?* R. Id docet Christus, quando nos jubet amare Deum *ex toto corde*, *ex tota anima*, *ex tota cogitatione*, &c. ubi amoris sinceritatem & perfectionem postulat. *Sinceritatem*, quando jubemur amare Deum ex corde, ex anima. *Perfectionem*, quando ex *toto* corde, *tota* anima. Q. *Quid significat*, *Deum diligere ex toto corde?* R. Siquidem Cor in Scriptura S. eam nostri facultatem denotat, quâ intelligimus, judicamus, eligimus, decernimus, confidimus, gaudemus: Diligere Deum ex *toto corde* est diligere juxta omnem notitiam Dei possibilem, judicio certo, proposito firmo, cum fiducia sine metu, cum lætitia sine murmure, ægrimonia & pœnitudine. Q. *Quid diligere Deum ex tota anima?* R. Cùm *anima* in Scriptura S. id nostri designet, quô cupimus & desideramus cum delectatione animi; ergò diligere Deum ex *tota anima*, est diligere affectu tenerrimo, desiderio integro, tanquàm Finem atque Bonum suum unicum. Q. *Quid ex tota cogitatione*, *ut est Matth.* 22: 37. *& ex omni vi tua*, *ut habet Luc.* 10: 27? R. Phrases istæ significant intensionem atque commensum dilectionis & virium, animi, corporis, totiusque hominis. Quicquid homo Conditoris & Benefactoris sui beneficio habet atque valet, seipsum proinde, vitam, facultates, vitæ adjumenta, &c. Deo in obsequium addicet, gloriæque Dei amplificandæ impendet, ut Deum rectè diligat. Unde constat, non jam modò sinceritatem, sed & omnimodam perfectionem charitatis & obedientiæ requiri à lege: Perfectionem, puta, partium, graduum & perseverantiæ.

Deus diligendus sincerè & perfectè.

Ex toto corde.

Ex tota anima.

Ex tota cogitatione, &c.

VI. Q. *Quam vocas perfectionem partium?* R. Commensum sive exæquationem dilectionis cum omnibus partibus hominis & legis. Volo dicere; omnes partes atque facultates hominis impendendas esse studio servandi omnia mandata legis: quia *cor*, *anima*, *cogitatio* & *omnis vis* postulatur. Et *quisquis totam legem servat*, *offendit autem in uno*, *omnium fit reus*, *Jac.* 2: 10. quia isto delectu manifestum facit, se observationem legis velle sui esse arbitrii, quod ipsum est legem cum summo Legislatoris contemptu nihili facere. Q. *Quam*

In dilectione Dei quænam sit perfectio partium, graduum & perseverantiæ.

dicis perfectionem graduum? R. Est dilectionis ad summum gradum intensio, ita quidem, ut intentis in amorem Dei omnibus viribus, queis hominem instruxit optimus conditor, sine torpore, tepore aut difficultate ulla, libentissimè & enixissimè diligamus, & quod dilectionis est faciamus. Hujus igitur perfectionis præceptum, nos totos, & totum nostrî, cor, animam, cogitationem, vires omnes, dilectionis affectu possideri & impleri postulat, nullo vel minimæ concupiscentiæ relicto in ulla nostri parte loco. Q. *Quænam est perfectio perseverantiæ?* R. Commensus dilectionis cum toto vitæ tempore. Uti necesse est ignem amoris divini intendi ad summum; ita necesse est eundem perpetuò in nobis ardere, & causam esse omnium actionum nostrarum. Maledictus enim pronunciatur, qui unquam non præstiterit, quæ legis sunt, *Deut.* 27: 26.

Cavenda corruptela præceptum de dilectione Dei malè interpretantium.

VII. Q. *Estne amplius quid, quod de præcepto dilectionis Dei me monendum existimes?* R. Cave corruptelam, quâ præcepti hujus sensum pervertunt nuperi illi peccatorum patroni, veritatis caupones, & voluptatis mangones: dum quærenti; *Tenemurne Deum summè diligere super omnia intensivè? Respondent; Non, sed solùm appretiativè, hoc est, ut eum, ejusque amorem, pluris quàm aliquam creaturam æstimemus, &c.* Item quando *pro eo solùm tempore præceptum hoc sub mortali obligare* docent, *in quo homines tenentur actui contritionis operam dare, &c. Escobar. Tract. I. Exam. II. Cap. 2. Summa Theol. mor.* In illos quadrat, quod Propheta in Scribas sui temporis dixit; *Quomodo dicitis: Sapientes sumus, & lex Jehovæ pene nos est? Enimverò ecce falsitatem fecit* eam *stylus falsitatis scribarum*, *Jer.* 8: 8. Neque putandum deinde, præcepti hujus sententiæ satisfacere illos, qui *Deum ex toto corde, &c. amare*, interpretantur, *amare super omnia alia, integrè ac perfectè, ut nihil Dei amori anteponatur, vel adæquetur.* Cum qua dilectione negat Bellarminus pugnare peccata venialia: contendens porrò, præceptum dilectionis Dei intelligendum esse sensu, quem ferant exempla sanctorum, 1 *Reg.* 14: 8. 2 *Reg.* 23: 25. *&c. T. IV. de Amiss. gr. & stat. pecc. l. I. c.* 12. Verùm sciendum

dum est, præceptum, *Diliges Deum ex toto corde, &c.* compendium esse legis, justitiam numeris suis absolutam præscribentis, cujus legis de mente & sententia hîc nobis quæritur. Atqui Deus, cujus judicium secundùm veritatem est, opera ex rigore legis æstimans, quod imperfectum est, pro perfecto habere non potest. Perfectio sanctorum, Scripturis laudata, non alia quam resipiscentium est, qui peccatorum gratiam consecuti, sincerè Deum diligunt, cum studio proficiendi in melius, & displicentia peccati. Obj. *Si ea est legis sententia, nullus relinquitur locus amori proximi?* R. Deus unicè amandus, ut Bonum nostrum unicum: atqui amore proximi non receditur ab amore Dei, ut Boni atque Finis nostri, quia proximus amandus est propter Deum & in Deo, ut communi Bono nostro: ut adeò proximum amare sit velle, eum esse, & quæ habet, quæque eum habere convenit, habere ad gloriam unius Dei, Deôque ut Bonô suô, unà nobiscum frui.

VIII. Q. *Dixisti de præcepto diligendi Deum: quid tenendum doces de præcepto, diliges proximum tuum sicut te ipsum?* R. Tria: 1. Quis nomine *proximi* veniat intelligendus. 2. Quid sit, *diliges proximum.* 3. Quid significet, diliges *sicut te ipsum.* Q. *Quis ergò tibi proximus?* R. Hebr. רע *Lev.* 19: 18. non solùm amicum, socium, &, uti ex etymo videri possit, convictorem, sed quemvis alterum hominem designat, quem vel hac comi appellatione Deus affectui & studio nostro commendatum vult: 1. Quia Paulus legem interpretans dixit τὸν ἕτερον alterum, *Rom.* 13: 8. 2. Ubi vetamur falsum perhibere testimonium adversus quempiam, *Exod.* 20: 16. occurrit idem nomen Hebr. רע quô neminem excipi, clarum est. 3. Prophetæ legis interpretes proximum appellant *carnem nostram*, qualis est omnis homo, *Esa.* 58: 7. 4. רע non tantùm popularem & religionis consortem, sed etiam peregrinum, verbi gratiâ, Ægyptium, significare, docemur *Exod.* 11: 2. *Deut.* 10: 19. Quapropter Christus *proximi* vocabulum non ultra Legis mentem extendisse, neque adeò legem correxisse putandus est,

De præcepto diligendi proximum, tenendum est.

1. *Quis proximi nomine veniat?*

Luc. 10: 36. ubi exemplô Samaritæ *proximum* nobis habendum esse docet, quisquis à nobis aliquid opis sentire potest.

2. *Quid sit diligere proximum?*

IX. Q. *Quid significat, diliges proximum?* R. 1. Quæcunque tibi fieri velis ab hominibus, pariter & illis facias, *Matth.* 7: 12. 2. Quod tute tibi, idem & proximo quæres bonum, nulla terrena commoda tanti faciens, quanti proximum lucrari Deo, & facere, ut *dives* sit *in Deum*, *Luc.* 12: 21. Ergò proximo συνευδοκεῖν in malo, servire ejus concupiscentiæ, ipsumque velle facere ministrum impuræ voluptatis tuæ, id verò non jam est amare, sed odisse, sed perdere.

3. *Quid, sicut te ipsum?*

X. Q. *Quid significat, sicut te ipsum?* R. Ante omnia notandum, non eam esse præcepti mentem, quasi quisque seipsum, nullo rerum & circumstantiarum discrimine servato, in amore præferre, atque adeo seipsum in primo, proximum deinde in secundo amoris loco reponere possit, quemadmodum Sophistæ quidam cauſantur, *regulatum inferius esse suâ regulâ.* Enimverò Deus contra philautiam, quæ hominem ab homine alienat, cautum volens, hactenus proximos æquali nobiscum loco statuit.

Obj. *Numquid non, si pares in pari discrimine versemur, ego mei amorem, amori alterius præferre, atque adeò vitæ potiùs meæ, quàm illius servandæ operam dare possum?* R. Possum ego vitæ meæ consulere neglecto periculi consorte, si utrique nostrûm succurrere nequeam, non ideò, quòd magis meipsum, quam proximum, amare queam, quæ culpanda foret philautia, sed quia obligatio, quâ teneor servare vitam meam, prior est obligatione, quæ me jubet servare vitam alterius hactenus mihi æqualis. Q. *Nec dum tamen satis capio, quid sibi velit illud;* sicut te ipsum? R. Diliges proximum sicut te ipsum, significat 1. Modum atque mensuram amoris in proximum facies amorem tuî. Mutatâ igitur personâ exemplum amandi proximum statues identidem in te ipso, id reputans apud animum, quasi conscientiâ suggerente; proximum tuo levare

potes

potes consiliô, auxiliô, &c. quid fieri velis, si tu hic sis? Proximus petit abs te, hôc, illô, locô haberi: cogita, si tu hic sis, &c. 2. Proinde, ut, quod te æquum est facere, præstes, proximum non considerabis ut alium à te, sed ut alterum te ipsum, ut carnem tuam, ut rem Dei. Obj. *Si quosvis alios eodem amore, quô nos ipsos, prosequi tenemur, nulli in amore gradus distinguendi, neque alii aliis in amore præferendi sunt: quod haud dubiè falsum est.* R. Si quâ dixi ratione proximum non alienum abs te reputans, ejus subeas locum, salvum manebit discrimen amoris & loci, quem quisque obtinet: quia si pater veniat amandus, si frater, si vicinus, si alienigena, &c. cogitabis illicò, quid ipse fieri velis, si tu hic sis: quô cupias tractari modô, si tute ejus sis locô.

Præcepti de dilectione Dei & proximi encomium.

XI. Q. *Quid summæ legis restat considerandum?* Encomium utriusque præcepti: cùm *proprium*, quando prius præceptum dicitur *primum* & *maximum*; posterius deinde *huic simile*: tùm *commune*, quando ab istis duobus mandatis tota lex & Prophetæ pendere dicuntur. Q. *Quæ de causa præceptum de diligendo Deo dicitur primum & maximum?* R. Ordine, dignitate & efficientiâ. Enimverò in Deum ἀμέσως respicit, & dilectio Dei dilectionem proximi ex se gignit, 1 *Joh.* 4: 12. Hinc præceptum de diligendo proximo dicitur *secundum*, tùm quia amor proximi ab amore Dei procedit, hicque ex illo probatur 1 *Joh.* 4: 20, 21. tùm quia in amore Dei, tanquam finis summi, est modus amandi nos ipsos ac proximos. Q. *Quare dicitur simile illi?* R. Quia simile est ejus argumentum, & compendium sive πλήρωσιν τοῦ νόμου continet, *Rom.* 13: 8, 9. Unde & Hebræis כלל גדול בתורה *Universale magnum in lege* appellatur. R. Sal. ad *Lev.* 19: 18. Q. *Quônam sensu ab istis duobus præceptis tota Lex & Prophetæ pendere dicuntur?* R. Sensu, quô Apostolus in præcepto dilectionis proximi legem, *non mœchaberis, non occides, non furaberis*, &c. dixit ἀνακεφαλαιῶσθαι *summatim comprehendi*, *Rom.* 13: 9. Q. *De lege quidem id non videtur obscurum: de Prophetis verò sumptum non satis capio.* R. Quod Moses & Prophetæ locuti sunt de justitia, id omne pertinet ab obedientiam, hisce præ-

ceptis à solo Servatore nostro præstitam. Addo, quòd omne præceptum resipiscentiæ & fidei, hujusque necessitudo cum charitate in proximum, continetur in istis præceptis: quandoquidem Lex moralis Decalogô tradita, & huic compendio inclusa, per consilium gratiæ lex fidei & resipiscentiæ facta est: ut alibi docebimur.

Quæstio V.

Num hæc omnia perfectè servare potes?

Minimè: naturâ enim propensus sum ad odium Dei & proximi.

ANALYSIS.

Quærenti, num quæ proposita Legis summa continet perfectè servare possit, ita respondet; ut 1. Se posse perneget. 2. Negativam probet argumentô à causa efficiente contrarii petitô.

EXEGESIS.

Nexus. O *Stenso, quid Lex Dei à nobis postulet, quid porrò faciendum miseriam suam agnoscere volenti?* R. Id docet Catechetes Catechumeni sui conscientiam conveniens atque petens, ut vias suas diligenter ad legem Dei examinet, secumque retractet: q. d. mox audivisti, quam exactam lex Dei abs te postulet obedientiam: num verò is es, qui eam præstiteris, vel præstare valeas? Neque enim non magnoperè refert, id te moneri, ut ἀδυναμίας atque miseriæ tuæ sensu dejectus ex sola Dei misericordia in Christo Jesu liberationis spem concipias. Q. *Quare quærit, num hæc omnia servare possit; non item, an reapse servârit?* R. Nę, si vel maximè se reum fateatur, tamen de viribus

Quæ ratio quærendi, num legem servare possis?

viribus suis præsumat, & in se suaque facultate quicquam spei sibi supereſſe exiſtimet. Unde etiam prudenter non modò quærit *an hæc?* ſed *an hæc omnia, an perfectè*, ſervare poſſit? ſcil. ne ſibi blandiatur caro, & pro inertia familiari obliviosè transmittat, quæ de modo ſervandi legem tenenda docuit, eadem Catechumeno conſcientiam excutienti ſuam identidem ob oculos verſari vult Catechetes.

II. Q. *Quid igitur reſpondet quærenti; num hæc omnia perfectè ſervare potes?* R. Minimè. Q. *Cur ſic incunctanter & præcisè negat?* R. 1. Quia conſcientiæ teſtimonium ad legis divinæ lucem productum univerſos & ſingulos homines ſuæ ἀδυναμίας facilè convincit. Hinc, *naturâ enim*, inquit, *propenſus ſum*, &c. q. d. Lege divina jubeor diligere Deum & proximum: contra ego naturâ memet propenſum ſentio ad odium Dei & proximi. 2. Eandem etiam abundè ſatis teſtatam facit omnium ſeculorum memoria. Hîc ut ne longus ſim in re teſtatiſſima, perpende mecum tantiſper operoſam illam diſciplinæ œconomiam, quâ Deus quondam populum Iſraëliticum arctè contentéque habebat, verbô legis & gratiæ docebat, factis mirabilibus & beneficiis alliciebat; exemplis juſtorum invitabat, caſtigationibusque exercebat, ſed eo in plerisque ejus gentis ſucceſſu, ut tandem cum carne contendens, de ejus ἀδυναμίᾳ plus ſatis revicta diceret; *Quid faciendum amplius vineæ meæ, quod non fecerim in ea? Quare exſpectavi quidem, ut faceret uvas, ſed fecit labruſcas? Eſa.* 5: 4. Cæteris intereà gentibus in corruptione ſua quaſi ſepultis & computreſcentibus. 3. De eadem impotentia Deus καρδιογνώστης diſertiſſimè & frequenter ad conſcientiam hominis teſtatur in verbo ſuo. Vide modò *Gen.* 6: 5. & 8: 21. *Vidit Jehova, quod ſuperabundâſſet malitia hominis in terra, & omne figmentum cogitationum cordis ejus tantùm malum eſſet omni die*, &c. Terra non antè aquarum diluviô ſubmerſa, quàm ſcelerum colluvione inundata fuit. Sed ne factis tantùm & malè vivendi conſuetudine perverſos fuiſſe illius ætatis homines exiſtimes, emphaticè textus, *omne figmentum cogitationum cordis*, hoc eſt, ipſa cogitationum

Quare ſe poſſe dicſtrictè negat?

num primordia & rudimenta, qualia sunt sensa & cogitata puerilia, figmenta veriùs, quàm cogitationes, perpetuæ malitiæ accusat. Unde verò hoc, nisi quia sic est hominis ingenium, naturâ pravum, adeò ut nihil nisi damnabile proferat. adde *Rom.* 3: 12, *&c. Job.* 3: 6. *Rom.* 8: 7, *&c.*

Homo naturâ propendet ad odium Dei.

III. Q. *Quomodo probabit se naturâ propensum, &c.* R. Super istâ confessione & querela, quam conscientiæ vis tantisper in se ipsum descendenti exprimit, nulla moveri deberet controversia Catechumeno: Ostendo tamen ipsum rectè & juxta Scripturæ testimonium de se sentire. Apostolus testatur, τὸ φρόνημα τῆς σαρκὸς *quicquid sentit, sapit, & studet caro, esse inimicitiam in Deum*, *Rom.* 8: 7. Et Gentes olim fuisse θεοστυγεῖς. *Rom.* 1: 30. quæ vox significat, & *qui Deum oderunt*, & *quos Deus odit*. Atqui prior significatio est hujus loci, quia Apostolus catalogum describit vitiorum, quibus gentes erant infames: Ast odio haberi à Deo non vitium, sed vitii meritum atque pœna est. Q. *Quomodo Deus Optimus odio esse potest cuiquam?* R. Qui Deum oderunt, eum, quæ conscientiæ vigilis vis est, intuentur quà vindicem & judicem, in peccatores armatum: unde sicut maleficus judicem, sic isti væcordes Deum non esse vellent, ut ipsis ex voto esse liceret. Hinc adeò audent, si non ore, saltem corde, dicere; *recede à nobis & cognitione viarum tuarum non delectamur*, *Job.* 21: 14. Obj. *Sic veriùs præcepta Dei, quàm ipsum Deum odisse videntur.* R. Oderunt Deum sancta, justa, recta, carni & studiis ejus adversa, præcipientem. Atque talis est naturâ omnis peccator. *Gratia* demùm *salutaris* per Christum *illucescens* Deum peccatori amabilem facit. Q. *Nondum audio Scripturæ testimonium, quô hominem propensum, delnde naturâ propensum ostendas ad odium Dei?* R. Quod Deus de Israëlitis testatur; *populus meus* תלואים למשובתי *cernui pendent in fugam mei*: q. d. aversantur me & fugiunt, ut qui prono corpore se in fugam conjiciunt, *Hos.* 11: 7. de universis, ut naturâ sumus, prædicari posse, ostendunt superiùs citata Scripturæ & experientiæ testimonia. Propensionem porrò istam non consuetudine demùm & usu contractam, sed naturalem esse & hæreditariam, testatur Apostolus,

stolus, *homines filios naturâ iræ* dicens, hoc est, tales, qui simul atque sunt filii, sunt sub ira, adeòque naturâ peccatores, *Eph.* 2: 3. Hinc pueri non malum, sed bonum, doceri necesse habent.

IV. Q. *Quomodo ostendet, se naturâ propensum ad odium proximi?* R. Apostolus de irregenitis loquens, ait, *plenos esse invidiâ, cæde, contentione, dolo, malignitate, Rom.* 1: 29. *In malitia & invidia degentes, odiosos & alios odiò prosequentes, Tit.* 3: 3. Obj. *Ex locis istis non apparet hæc esse universalia & omnium communia.* R. Atqui ad *studium & opera carnis*, quæ omnium Adami filiorum naturalium communis est, referuntur, *Gal.* 5: 19, 20. *Et ad odium proximi.*

V. Q. *Estne amplius, quod ad præsentem quæstionem monendum putes?* R. Cavenda hypocrisis pharisaica, in quam ex. gr. ineptus ille Sacerdos Coppensteinius in sua Catechesi Excalvinizata, quam vocat, suum Catechumenum inducit, dum quærenti, *Num hæc omnia perfectè servare potes?* sic responderi vult: *Maximè cum Deo.* Naturâ enim, *licet vitiatâ, favente gratia*, propensus sum ad *amorem* Dei & proximi. Verùm 1. Parùm rectè seipsum novit. 2. In methodi legem peccat: necdum enim quæstio nobis est, quid homo *cum Deo, favente gratiâ* possit, vel non possit: sed an filius Adami, sibi relictus, legem Dei perfectè servare possit. *Omittite illos: duces sunt cæci cæcorum: quod si cæcus cæcum per viam duxerit, ambo in foveam incident, Matth.* 15: 14. *Notatur Catecheseos Excalvinizatæ author.*

Quæstio VI.

Num ergò Deus hominem ita pravum & perversum condidit?

NEquaquam. Imò verò bonum & ad imaginem sui condidit eum: hoc est, verâ justitiâ & sanctitate præditum, ut Deum Creatorem suum rectè cognosceret,

ret, ex animo diligeret, cum eo beatus in æternum viveret; idque ad eum laudandum & celebrandum.

ANALYSIS.

Corruptione hominis ex lege Dei detecta Catech. inquirit.

1. Quæ corruptionis sit origo & causa. Q. 6. 7.
2. Quanta sit. Quæst. 8.

Causam pravitatis explicat I. κατ' ἄρσιν falsam removendo, Quæst. 6. II. κατὰ θέσιν, veram subjiciendo. Quæst. 7.

1. Quærenti ergò, Num naturæ pravitas in creationem sit rejicienda, & ad Deum authorem referenda?
2. Respondetur ita, ut ista causa, quippe falsa, rejiciatur, argumentis ab hominis integri qualitatibus deductis: Ubi Cat. 1. In genere qualitates istas pravitati contrarias nomine *Bonum* complectitur. 2. In specie bonitatem in imagine Dei exhibet, eamque imaginem describit 1. Ex partibus integralibus. 2. Exusu. 3. Fine operis duplici, tùm subordinato; tùm summo.

EXEGESIS.

Nexus. *Quâ ratione præsentem quæstionem cum præcedente connectis?* R. Quia Catechumenus mox quærenti, *an quæ legis sunt perfectè servare possit?* Non tantùm posse negavit, sed etiam se naturâ propensum dixit ad odium Dei & proximi, commodum jam & opportunum erat quæri, num ergò, quia naturalis

turalis est homini pravitas, in creationem rejiciendæ foret, quemadmodum post Stoicos veterum hæreticorum quidam delirârunt, erroris reliquias hodiè sublegentibus & interpolantibus Libertinis. Hac occasione Catech. originem pravitatis & impotentiæ humanæ κατ' ἄρσιν & κατὰ θέσιν explicat. Q. *Quâ consilii ratione?* R. Quia ad agnitionem miseriæ nostræ non parùm refert probè novisse, nostrâne, an alienâ culpâ pravi simus.

II. Q. *Num igitur Deus hominem ita pravum & perversum condidit?* R. Catechumenus minimè hæsitans & ut errorem horrens, hanc pravitatis nostræ causam, quippe falsissimam negat, simplici & præcisa inficiatione dicens; *nequaquam.* Q. *Quibus argumentis negat?* R. Duobus. Quorum primum est, quia Deus hominem bonum condidit: non igitur pravum & perversum. *Gen.* 1: 31. Obj. *Atqui homo talis erat conditus, qui malus fieri & mori posset: non igitur creatus erat valdè bonus.* R. Etsi homo non fuerit factus immutabilis, ne nulla esset inter statum naturæ & gloriæ differentia: Deus tamen nihil in homine posuerat, quod malum malive fomes esset, teste locupletissimâ vel ipsâ conscientiâ, Deum optimum *non esse authorem ejus, cujus est ultor.* Hinc Plato in civitate permittendum negavit, ut quisquam sibi malorum causam diceret Deum, *lib. 2. de Rep.* vide etiam *Jac.* 1: 13, *&c.*

Deus hominem condidit non pravum.

Sed 1. Bonum.

III. Q. *Quodnam est alterum argumentum?* R. Quia Deus hominem ad imaginem sui condidit. Bonum igitur, non pravum & perversum. Et verò imagine Dei nihil præstabilius, augustius nihil, de homine prædicari potest: quod etiam ipse creationis ordo, ut à Mose refertur, non obscurè innuit. Q. *Quî vero?* R. Operis excellentiam commendat singularis illa creandi ratio, aliter atque in cæteris rebus usurpata. Aliis enim ἐξαπωίες operibus solo nutu & verbô productis, *esto lux, &c.* nunc in homine creando, velut industriæ majoris opere, communicationis χήματι utens dicit; *Faciamus hominem ad imaginem nostram, secundùm similitudinem nostram: &c. Gen.* 1: 26, 27. Quæ verba non delibe-

2. Ad imaginem suam.

deliberantis sunt, nedum sermonem cum Angelis, veluti consiliariis quibusdam, communicantis: neque enim dicit, *faciemusne*, sed *faciamus*. Et verò, cur Deus, hactenus incertus, nunc demùm cogitare cœpisset, utrùm hominem mundo incolam, operisque sui spectatorem & laudatorem daret, nec ne. Verùm sunt verba ἐγκελευσμὸς ad operis decreti executionem inhortantis & excitantis. Obj. *Esto: saltem hoc celeusmate Angelos alloquitur.* R. Nequaquam. 1. Alioquin Angelis tanquam Creatoribus nostris cultum & obsequium religiosum, & tanquam Archetypis studium nos conformandi deberemus. 2. Sic ad Angelorum magis quàm Dei imaginem factus dici posset homo, cùm Angelis, quippe creaturis, similior fuerit quàm Deo: atqui hominem ad Angelorum similitudinem factum nusquam legimus: imò Angeli, etsi haud dubiè imagine Dei sint præditi, nusquam tamen in Scriptura diserte ad imaginem Dei facti memorantur: cujus silentii hæc videtur verissima ratio, ne, quando Deus dixisse legitur, *faciamus hominem, &c.* Angelos compellâsse & in consilium adhibuisse credatur. Q. *Quos igitur compellat?* R. Nì analogiam fidei negligere, & textui sacro vim facere velimus, Mysterium S. S. Triadis hîc loci agnoscemus: de quo alibi. Sic summus ille mundi Opifex, Deus Triunus, hominem singulare virtutis suæ divinæ monumentum esse voluit. Viator, sicubi in statuam vel monumentum, illustris alicujus personæ imaginem præferens, incidit, illicò gradum sistit, spectaculô tantisper fruiturus. Hoc viatoris studium imitari, totâ mente in contemplationem imaginis divinæ defixâ, propiùs ad nos pertinet: quia imago Dei non obiter inspecta in cognitionem Dei conditoris & nostrî ipsorum nos deducit.

Verbô, faciamus homines non compellari Angelos, &c.

Imago Dei in homine non indiligenter spectanda.

IV. Q. *Cùm audiam imaginem & similitudinem, ista duo idemne designant, an diversa?* R. Inter ea non nihil interesse fatemur cum Augustino, *Omnis imago similis est ei, cujus imago est: nec tamen omne, quod simile est alicui, etiam imago est ejus: sicut in speculo vel pictura, quia imagines sunt, etiam similes sunt: tamen si alter ex altero natus non est, nullus eorum*

Inter imaginem & similitudinem quid intersit?

rum imago alterius dici potest. Imago enim tunc est, quum de alio exprimitur, de Genes. ad lit. Op. imp. E. cap. 15. Nec tamen damus Pontificiis, *imaginem ad naturam intelligentiæ & voluntatis: similitudinem ad virtutes*, nempe, *sapientiam & justitiam referri, Bellarm. de Grat. primi hom. c. 2.* Vox enim *similitudo* vocis *imago* exegetica, hominem non qualicunque, sed similima imagine Dei ornatum denotat, uti vel inde liquet, quia Moses idem paulò pòst repetens, v. 27. præteritâ *similitudine* imaginem nominâsse contentus est. Adde, Adamum dici genuisse filium *ad similitudinem suam, ad imaginem suam, Gen.* 5: 3. ubi *similitudo* non significat virtutes, quarum à lapsu extitit inops.

Imaginem Dei consistere

V. Q. *Quanam in re sita est imago & similitudo Dei?* R. I. In genere, id quod homo habens vocatur imago Dei, vel ad imaginem Dei conditus, haud dubiè est conformitas & similitudo, quâ quidem homo sic congruebat cum Deo, ut eâ inspectâ, Deum ipsius esse exemplar illicò appareret. Scriptura appellat rectitudinem; *fecit Deus hominem* ישר *rectum, Eccles.* 7: 29. Rectus est qui ἀρχετύπῳ congruit. Ubi ὁ παράδοξος annotamus: quòd Socinus *rectum* interpretans negativo sensu, *non pravum, innocentem*, eò quòd nullam injustè agendi occasionem hactenus haberet Adam, Ecclesiasten faciat ridiculum. Quis enim putet, hominem recenter conditum ulla occasione malè fuisse usum? Posthac verò, quis dixerit, occasionem peccandi defuisse homini, quamdiu fuit sub manu Dei, Dominus animantium, conjux, pater futurus posteritatis, incola paradisi, spectator arboris vitæ, abstentus ab arbore scientiæ? Quòd si occasiones peccandi plures habens, quàm hominum ullus habuit unquàm, nihilominùs hactenus quod officii fuit fecit, plus quàm culpâ vacantem, ergò rectum fuisse oportet,

1. *In rectitudine, generatim loquendo.*

II. In specie imaginem Dei Catech. constituit *in vera justitia & sanctitate.* Q. *Unde?* R. Ex *Eph.* 4: 24. Ubi novus homo dicitur secundùm Deum creatus ἐν δικαιοσύνῃ καὶ ὁσιότητι τῆς ἀληθείας. Obj. *Apostolo non esse sermonem de primi hominis creatione.* R. Eò tamen respicere Apostolum apparet, cùm ex verbo κτίζειν, quo utitur

2. *In vera justitia & sanctitate specialim.*

utitur ; tùm ex phrasi κατὰ Θεὸν, *secundùm Deum*, ut causam exemplarem, adeòque ad imaginem Dei. Rectè igitur Catech. ex reparatione imaginis divinæ, de qua Apostolus, judicium fieri vult, qualis fuerit imago Dei in primo homine integro.

Sanctitas quid sit?

VI. Q. *Quid est sanctitas, quid justitia? Distinctæ sunt, an idem imaginis divinæ donum significant?* R. Communiter Sanctitas de officiis primæ tabulæ legis, justitia de officiis secundæ, intelligitur, & *sanctitas veritatis* per Hebraismum Apostolo dicta creditur pro *sanctitate vera*, non fucata, non simulata. Verùm haud immeritò veremur, ne hac ratione emphasis verborum extenuetur, & Hebraismus nulla necessitate admittatur. Deinde quis dubitet, si Apostolus sanctitatem solam dixisset, nulla veritatis facta mentione, quin veram non simulatam vellet intelligi, cumprimis ubi justitia & sanctitas ut beneficia gratiæ Dei celebrantur. Q. *Quid igitur est* ὁσιότης τῆς ἀληθείας? R. Sanctum studium & amor veritatis, quam homo sibimet dicit legem vivendi perpetuam & inviolabilem : ut nihil sentiat, velit, amet, dicat, faciat, quod non congruat amori veritatis, præcipuè illius, quæ docet, Deum hominis summum esse Finem, Bonum, Dominum, Legislatorem, Exemplar, &c. Unde & sanctus erat, quô sensu sanctum Latinis dicitur præcipua authoritate munitum & inviolabile : ipsa enim virtutis venerabilitate Deique amicitiâ adversus omnem contemptum & violationem erat muniendus. Q. *Undenam huic explicationi fidem facis?* R. I. ὁσιότης ἀληθείας opponitur ταῖς ἐπιθυμίαις τῆς ἀπάτης & τῷ ψεύδει. Ψſl. 22, 25. II. Græcum ὅσιος, unde ὁσιότης, ex usu LXX. respondet Hebræo חסיד quod *studiosum in bono & ad bonum* denotat. Unde tritum illud apud Hebræos החסיד הוא העושה לפנים משורת הדין Ille est chasid, *qui facit extra lineam judicii*, h. e. sponte agit, non expectato judicis vel legis jussu. Vide Eliam Lev. Germ. in Lexico Thisbi ad vocem שור. III. Explicationem hanc etiam probant Scripturæ testimonia non oscitanter inspecta & collata, *Joh.* 3:21. & 17:17. *Rom.* 2: 8. 1 *Cor.* 13:6. *Apoc.* 21:27.

VII. Q.

VII. Q. *Quid est justitia?* R. Studium perpetuum Deo, proximo atque sibi tribuendi quod suum est. Id studium proinde suo ambitu omnia virtutis officia amplectitur. Obj. *Hæc explicatio si vera est, consequitur, sanctitatem & justitiam idem non diversa fore dona imaginis divinæ.* R. Differunt nihilominus; 1. Quod ex inviolabili veritatis amore proficiscitur, dicitur *sanctum:* idem verò etiam appellatur *justum*, quia debitum est, & adversus accusationem ac criminationem defendi potest. 2. Sanctitas veritatis, ubi perfecta legis implerione constat, qualis est sanctitas Christi Servatoris nostri, etiam dicitur *justitia* à jure, quod affert, exspectandi & petendi præmium vitæ lege promissum. Unde liquet, quo sensu tota illa rectitudo, imaginem Dei constituens, Latinis Patribus & vulgò Scholis uno nomine *Justitia originalis* dici queat: quia verum est, rectitudinis illius conservationi annexum fuisse jus vitæ, eamque rectitudinem homini in origine fuisse collatam. Obj. *Sic sequitur, Adamum non fuisse justum.* R. Justus fuit, quatenus cum illa rectitudine conditus quæ Deo & proximo debebat officia præstare posset. Non fuit justus, quatenus necdum emensô obedientiæ perseverantis curriculô, & superata tentatione, jus præmii erat consecutus. Quô ipsô justitia Adami à justitia novi hominis, de qua *Eph.* 4. 24. differt. Novus homo non eô justus est, quòd creatus est in *sanctitate veritatis*, uti non obscurè innuit Apostolus, quando prius *justitiæ* quàm sanctitatis mentionem facit: sed justus est justitiâ Christi sibi credenti donatâ & imputatâ, quæ etiam Apostolo in loco citato intelligitur, sed non solum jus præmii vitæ significat, alioqui non παραλλήλως sanctitati in imagine Dei apponenda, sed universam Christi obedientiam & jus petendi præmium complectitur. *Quid justitia?*

VIII. Q. *Nonne plures imaginis divinæ partes vulgò numerari solent?* R. Ad eam quidem referri solent etiam *animæ simplex ac invisibilis substantia, ejusque facultates, intellectus & voluntas, itemque dominium homini in omnia animalia concessum, & totius hominis immortalitas.* Verùm nobis non videtur laborandum, quid *An non & aliæ sint imaginis divinæ partes?*

quid de hisce senserit Catechetes, cùm illi satis fuerit ad scopum, quem habebat præstitutum, docuisse, hominem *non pravum & perversum*, sed in sanctitate & justitia fuisse conditum, adeoque talem, qui Deum *ex toto corde, tota anima, &c. & proximum sicut seipsum*, diligere posset. Obj. *Saltem non omittenda fuerat sapientia, h. e. Dei, rerumque divinarum notitia*, &c. R. 1. Catech. breviloquens utitur verbis Apostoli *Eph.* 4: 24. Ubi *sanctitas veritatis* sapientiam complectitur. 2. Sapientiam non excludi ostendit, quod de usu & fine imaginis divinæ docet. Mirum adeò est, esse qui Adamo *crassum stuporem & puerilem ignorantiam* affingant. Quô argumentô sapientem fuisse negabunt, quem Prophetam audiunt ex *Gen.* 2: 23. num insipientem dicent, quem orbi terrarum rectorem, suæque posteritati, universo hominum generi, doctorem datum credere debent? An infantilis stuporis est, suis quasque animantes nominibus naturæ earum & indoli congruentibus appellare, eademque nomina, quotquot sunt, memoriâ, stupendâ sanè, tenere? *Gen.* 2: 19, 20.

Quo fine & usu homo ad imaginem Dei factus?

IX. Q. *Quo fine Deus hominem condidit ad imaginem suam?* R. Id docet Catech. verbis; *Ut Deum Creatorem suum recte cognosceret, &c.* Ubi finem subordinatum & ultimum distinguit. Conveniebat verò homini integro, finem summum sibi propositum habere *glorificationem Dei*, eamque suæ beatitudini, quippe non propter se, sed propter gloriam Dei, expetendæ, antehabere. Q. *An ergo Deus fine suo excidit, quandoquidem homo non fecit, quod sui noverat esse officii?* R. Minimè verò: Distinguendus enim est *finis operis* à *fine operantis*: de illo non hoc, intelligenda est Catechesis.

Imaginem Dei fuisse homini naturalem.

X. Q. *Fuitne imago Dei primo homini naturalis?* R. Omninò: quod etiam Catech. intelligendum dat, quando hominem bonum & ad imaginem Dei conditum dicit. Q. *Quomodo homini naturalem fuisse dicis?* R. Quo sensu naturale dicitur 1. Quod homo per creationem accepit. Atqui creatio naturæ, non gratiæ, ergò naturalium, non supernaturalium productio est. 2. Sine quo quid esset imperfectum, velut homo naturæ

turæ vitiô claudus, cæcus, &c. Rectitudo igitur naturæ humanæ sic fuit debita, ut absque ea homo condi non potuerit, nec opus Deo dignum futurus fuerit. 3. Quod per generationem propagatur. Adamus integer & rectus, si perstitisset, sui similem visurus erat progeniem, nempe *semen sanctum*, *Mal.* 2: 15. Obj. *Atqui è Theologis nostris sunt, qui justitiam & sanctitatem vocant dona supernaturalia, ut Wolleb. lib.* 1. *cap.* 8. R. Supernaturalia intelligunt non homini integro, sed lapso: quia in peccati statu naturam excedunt.

Quæst. VII.

Unde igitur existit hæc naturæ humanæ pravitas?

EX lapsu & inobedientia primorum parentum Adami & Evæ in Paradiso; hinc natura nostra ita est depravata, ut omnes in peccatis concipiamur & nascamur.

ANALYSIS.

Falsâ corruptionis nostræ causâ remotâ, veram adstruit.

Quærenti ergò, *Unde existit hæc naturæ humanæ pravitas?* ita respondet, ut causam ejus rejiciat in primum peccatum, quod I. Exprimit nominibus *lapsûs* & *obedientiæ*. II. Describit 1. à causis efficientibus, quæ sunt *primi parentes*, *Adam & Eva*. 2. à locô, *in paradiso*. 3. ab effectis duobus, nim. naturæ humanæ depravatione, & naturæ depravatæ ad posteros propagatione: *hinc natura nostra ita est depravata, ut &c.*

EXEGESIS.

Vera pravitatis humanæ causa rejicitur in peccatum primum.

SI pravitatis nostræ causa non ex creatione est arcessenda, uti proxima Quæstione ostensum: Unde igitur? R. Ex lapsu & inobedientia &c. Sic Catech. falsâ corruptionis nostræ causâ remotâ, nunc veram substituit, non aliunde, quam ex primo illo peccato, voluntaria nimirum defectione primorum parentum, pravitatem naturæ nostræ derivandam esse docens. Unde tralatitia peccati in *primum* & à *primo ortum* distributio. Sicut res pleræque congeneres ex uno principio originem ducunt, velut herbæ ex herbis, arbores ex arboribus, &c. *Gen.* 1: 12. homines *ex uno sanguine*, *Act.* 17: 26. Sic peccata ex uno enascuntur universa. Hinc Moses, postquam omnium rerum primordia descripsisset *Gen.* 1. & 2. etiam ortum pandit peccatorum, *Gen.* 3.

Peccatum illud quare dicatur lapsus & inobedientia?

II. Q. *Unde & quare peccatum illud primum Catechetæ dicitur lapsus & inobedientia?* R. Ex *Rom.* 5: 15, 19. Ubi παράπτωμα, *lapsus*, est delictum cum tristissimo effectu: prosternit enim peccatorem & dejicit, suapte vi nunquam è casu surrecturum. Παρακοὴ, *inobedientia*, dicitur idem peccatum protoplastorum, eò quòd non attenderunt ad id quod audiverant, securè id sinentes præterfluere. Sunt & alia nomina, quibus Apostolus utens haud dubiè multiplicem peccati istius turpitudinem & noxam depingere voluit. Q. *Tantine fuit legem violasse arbitrariam?* R. Lex ista de non comedendo fructu, &c. *Gen.* 2: 16, 17. non ex *materia* sua solùm, sed ex *ratione*, *usu* & *fine* potissimùm spectanda est. Cùm enim fuerit probatoria, explorando homini data 1. Utrùm Deum *ex toto corde*, *tota anima*, *&c.* amaret? 2. Utrùm à deliciis terrenis sibi temperans solò Deò deliciaretur? 3. Utrùm dominium suum dominiò Dei subjiceret, agnoscens, se ne pomi quidem unius esse dominum, nisi Deo concedente? Adde & eò datam, ut Adamus eam negligere ausus tristi experimentò disceret, in quod malum se suamque posteritatem conjecisset, quantòque bonò se suumque genus privâsset. Unde arbori *scientiæ boni & mali* nomen symbo-

Peccati primi gravitas ex mente interdicti divini ostensa.

symbolicum erat inditum. Hinc adeò fieri non poterat, quin Adamus in hanc legem peccando totam naturæ legem, cordi inscriptam, violaret, atque adeò totidem committeret peccata, quot numerari possunt legis moralis utriusque tabulæ præcepta. Q. *Quare igitur Scriptura S. ubi de peccato primo sermo est, non nisi ut de uno loquitur? Rom.* 5: 12. *&c.* R. In loco allegato, eique similibus, respicitur ad illum peccati actum, absque quo si fuerat, cætera peccata non fuissent commissa, nempe ad esum fructûs prohibiti, qui in se spectatus non fuit nisi unum peccatum. Respicitur ergo ad id, quod huic monstro caput facit, cæteris peccatis, quæ plurima trahit, corpus ejus constituentibus.

Peccatum primum Adami & Evæ commune.

III. Q. *Quare dicit Catech. primorum parentum, &c. Nonne satis erat alterutri primæ transgressionis culpam adscripsisse?* R. Commune fuit utriusque peccatum. Mulier quidem, fraudi opportunior, primum à tentatore seducta, descivit, sed pòst suum quoque maritum in eandem defectionem pertraxit. *Dedit enim viro suo & comedit, Gen.* 3: 6. Hoc ex Scriptura S. novisse, satis esse debebat modestis, corrupti generis humani vicem dolentibus. Verùm curiosiras, eô non contenta, quærit; Quomodò Adam in culpæ societatem adductus fuerit? Non videntur à vero aberrare, qui Adamum non rationibus mulieri à tentatore suggestis, sed studiò placendi conjugi in culpæ & miseriæ consortium venisse existimant, moti authoritate Apostoli, & Adam *οὐκ ἠπατήθη non fuit seductus*, 1 *Tim.* 2: 14. Ubi seductum fuisse Adamum simpliciter negat, nulla vel ex ordine, vel ex modo facta seductionis limitatione, quasi vel priorem sua conjuge, vel sine conjuge pararia tantùm seductum negare vellet. Adde, quòd scopus eundem sensum postulet: volens enim ostendere, cur debeat uxor viro assurgere, non in virum insurgere, hôc utitur argumentô, quia æquum non sit, ut quæ facilè seduci passa est, imperet ei, qui seductus non est. Interim haud dubiè Adamus nec factum uxoris probavit, nec exemplum secutus est *sine ratiociniis suis multis, Eccl.* 7: 29. Obj. *Atqui ad unum Adamum prima mali origo refertur, Rom.* 5: 12. R. Ea

Quomodo Adam in culpæ societatem pertractus fuerit?

res singularem habet rationem, de qua infrà, ubi de imputatione primi peccati.

Peccatum primum exaggeratur ex circumstantia loci.

IV. Q. *Quare Catech. adjicit mentionem loci, dicens, in paradiso?* R. Quia, ut aliæ complures circumstantiæ, sic & hæc ad peccati istius exaggerationem non parum confert: Locus admissæ culpæ fuit paradisus, hortus à Deo plantatus, omnibus naturæ deliciis instructus, Dei apparitionibus & quotidiano alloquio primique fœderis sanctione illustris, quem ingratus hospes atque colonus citra graviſſimum perfidiæ crimen peccatô profanare non potuit. Deinde paradisus fuit visibile & palpabile pignus atque symbolum cœlestis & æternæ felicitatis, quod probatu facile ex *Luc.* 23: 43. 2 *Cor.* 12: 2, 4. *Apoc.* 2: 7. Hunc igitur hortum ceu pignus amoris divini intuens, gaudiaque cœlestia anticipans, à susciendo consilio malo abstererri debuerat.

Peccati primi effecta.

V. Q. *Dixisti de primo primorum parentum peccato: quænam sunt ejusdem effecta?* R. Catechetes pro instituti sui ratione duo numerat: 1. Naturæ depravationem. 2. Naturæ depravatæ propagationem. *Hinc nostra natura ita est depravata, ut &c.* Ergò primi parentes non sibi solis labem fœdissimi lapsus intulerunt, sed totam naturam suam, & universam progeniem, eâdem coinquinârunt & unà secum in perniciem pertraxerunt, teste Scripturâ S. *Rom.* 5: 12, *&c.* 1 *Cor.* 15: 22.

Eadem quare Adamo cum posteris sint communia?

VI. Q. *Quam affers rationem hujus communionis?* R. Duplicem. 1. Quia Adamus fuit Caput generis humani, cùm *naturale*, quippe stirps & parens communis, tùm *politicum*, quippe princeps fœderis operum, quod Deus cum ipso & per ipsum cum tota posteritate ejus iniverat. Unde quæ ipsius, eadem & posteritatis universæ sors erat futura; ipso stante staturum, cadente casurum erat genus humanum. 2. Quia Deus occultô, sed justô judiciô peccatum Adami omnibus ejus posteris imputavit. Quod judicium fundatur in jure Dei, à quo etiam denominari voluit, *visitans peccata parentum in filios, &c. Exod.* 20: 5. & 34: 7.

VII. Q. *Memini me olim in Auditorio publico audire,*

dire, super ista imputatione non idem videri Theologis nostris: qua igitur in re dissident? R. Quærunt, Immediatane, an Mediata sit ista imputatio? Clar. D. Josua Placeus sic definit utramque; *Immediatam voco eam, quâ putatur actio illa Adami*, h. e. *vetiti fructus manducatio, ejus posteris omnibus (Christô excepto) proximè, immediatè, hôc ipsô, quòd filii sunt Adami, imputari ad duas istas pœnas propriè dictas, privationem justitiæ orig. & mortem æternam.* Hanc etiam vocat imputationem *antecedentem.* Pergit idem Author: *Mediatam, seu consequentem, appello eam, quæ hæreditariæ corruptionis in nos ab Adamo derivatæ intuitum consequitur, eaque mediante fit. Hujus enim corruptionis participatione communicamus peccato Adami, eique ut ita loquar, habitualiter consentimus; ac propterea digni sumus, qui Adamo peccatori annumeremur. Exam. Tract. Garissol. cap. 2.* Priorem, quam Vir Doctiss. factam negat, *formula consensûs* in Ecclesiis nostris profitetur. Q. *Quibus argumentis eam confirmas?* Brevitatis studiô duo solùm allegâsse satis habebo. I. Gravem dubiô procul rationem habet, quòd peccatum primum *Rom.* 5: 12. &c. non consideratur nisi ut peccatum Adami, quanquam & Evæ fuerit. Atqui cùm posteri æquè propagentur ab Eva, atque ab Adamô, in *imputatione mediata* Evæ certè, quàm Adami, non minor ratio habenda foret. Contrà Apostolus pecccatum primum eo considerat modo, quo tanquam peccatum Evæ considerari non potest. Imò id quasi anxius fuisse, atque studio habuisse videtur, ut peccatum primum tanquam solius Adami peccatum spectandum proponeret. Unde dicit; *ab Adamo*, v. 14. & illud δι' ἑνὸς & τῷ ἑνὸς minimùm octies ingeminat: cum alioqui dici posset, *per duos homines, per duorum offensas, &c.* II. *Rom.* 5: 12. ἐφ' ᾧ πάντες ἥμαρτον *in quo omnes peccârunt;* quî verò? nisi quia Adami peccatum est omnium. Si ἐφ' ᾧ vertas *eò quòd* vel *quia*, nihilominùs supplendum; *quia omnes peccârunt* in eo: secùs intelligi non posset, quomodo per unum hominem peccatum in mundum introiverit. Dicere cum Pelagianis, id factum esse imitatione peccati primi, ineptum est: cum multi nihil unquàm

Imputatio peccati primi immediata vel mediata.

Immediata defenditur duobus argumentis.

de Adamo, nedum peccato ejus, vel fando acceperint, & peccantibus ne semel quidem ejus in mentem veniat, & recens nati, imitationis incapaces infantes, moriantur.

Pravitas naturæ nostræ quomodo describatur in Scriptura.

VIII. Q. *Quia haud dubiè nostrâ non parvi refert pravitatem naturæ nostræ probè novisse, & de ea ex Scripturis persuasum esse, eam mihi describi & demonstrari velim.* R. Ut igitur ordine procedamus, tenendum est, naturæ nostræ corruptionem è duabus quasi partibus describi in Scriptura S. I. Aversione animæ à bono, quam ideò στερητικῶς *privativè* exprimit, *omnes declinârunt, &c. Rom.* 3:12. II. Inclinatione ad malum; seu concupiscentiâ, quam θετικῶς positivè enunciat; *video aliam legem in membris meis belligerantem, &c. Rom.* 7:23. Quas Scripturæ expressiones Catechetes imitatur sequente Quæst. *An verò adeò corrupti sumus, ut ad bene agendum prorsus non simus idonei, &c.* Unde liquet, vim corruptionis istius non satis exprimi, quando Pontificii eam definiunt *Originalis justitiæ carentiam*, intelligentes nimirum, sublato per peccatum dono supernaturali, homini supereſſe naturalia integra. Quæ quò tendant, non difficile est conjectu. Nostri ex adverso, ut naturam peccati originalis juxta Scripturam expressius designent, non verentur illud vocare *qualitatem positivam*, significare volentes qualitatem malam bonæ contrariam, & privationem non otiosam, sed operosam & feracem, quippe quæ sublatis benè agendi viribus facultates veneficio suo affectas ad malè agendum inclinat. Neque enim naturæ pravitas in homine irregenito otiatur unquam, sed novos identidem fructus, *opera carnis*, profert: non secùs ac incensa fornax flammam ac scintillas efflat, aut scaturigo aquam sine fine egerit. De quo etiam ex ipsa mentis humanæ natura constare potest attendenti: cùm enim indesinenter cogiter, neque à cogitando per naturam vel momento interquiescere possit, necesse est, ut, facultatibus omnibus istâ lue nativâ infectis, identidem prava cogiter, judicet, velit, amet, &c.

Naturæ humanæ

IX. Q. *Unde demonstras eam, quam modò describsisti pravitatem nobis inesse?* R. Brevitatis gratiâ in eam rem

rem allegabo illa solùm Scripturæ testimonia, quæ plurimum ἐμφάσεως habent. I. Homo naturâ dicitur ψυχικὸς, *animalis*, 1 *Cor.* 2: 14. nil nisi animam habens, *spiritum non habens*, *Jud. v.* 19. unde quæ Spiritûs Dei sunt, illi non solùm intelligi negat, sed stultitiam reputari dicit Apostolus. II. φρόνημα σαρκὸς quicquid sentit, sapit, studet, &c. caro, *inimicitia est in Deum*, *Rom.* 8: 7. III. Ut ne nesciamus quàm latè pateat corruptio, appellatur *vetus homo*, *Rom.* 6: 6. *Eph.* 4: 22. *Homo*, quia totum hominem, spiritum & corpus, & omnia hominis in-& obsidet: habetque suum φρόνημα, sensum, studium, voluntatem, παθήματα, motus, membra, &c. non secùs ac homo. *Vetus*, quia prima & abolenda filiorum Adami conditio est. IV. Corpus hominis dicitur *corpus peccati*, *Rom.* 6: 6. quasi peccatum sit altera quædam corporis anima, corpus ejusque membra, tanquam sua movens, regens & servituti subjiciens. Idem Apostolo etiam dicitur *corpus mortis*, id est, ut simplicissimè vertamus, *cadaver*: à quo velut onere gravissimo & molestissimo liberari petit, *Rom.* 7: 24. Quid homini molestius accidere, quid magis oneri esse possit, quàm fœtidum circumferre cadaver, humeris vel brachiis illigatum? In Mezentio notata sævities Virgilio;

per peccatum corruptio revincitur ex Scripturæ S. testimonio.

Quid vetus homo?

Quid corpus peccati?

Quid corpus mortis?

> *Mortua quin etiam jungebat corpora vivis,*
> *Componens manibusque manus atque oribus ora,*
> (*Tormenti genus*) *& sanie taboque fluentes,*
> *Complexu in misero, longa sic morte necabat.* Æn. 8.

In ea autem phrasi Apostolus non solam spectat mortem, cui mancipatum est corpus: neque enim mors corporis ex se sola regenito, qualis erat Apostolus, causa esse potest miseriæ, inquietudinis & captivitatis; quâ levari & exsolvi petit ingemiscens & exclamans. Irregenitis autem corruptio oneri non est, cùm ipsi, quanti quanti sunt, cadaver sint, quippe in peccatis mortui. V. Corruptio frequenter appellatur σάρξ *caro*: & σάρκικὸς, qui vel totus vitiosus est, carens Spiritu Dei, vel aliquam vitiositatem reliquam habet: quia homo, peccati labe infectus, in ditionem & dominatum partis

Quid caro?

carneæ, corporis, puta, membrorum & affectuum redactus, & Spiritu illuminatore & rectore destitutus, non sentit, sapit & sectatur, nisi quæ corporis & animalis sunt, nec alium judicandi, volendi & agendi authorem habet, quàm sensum & affectum. Inde adeò quasi hominis nihil nisi caro supereſſet, etiam *caro* appellatur; *quod natum est ex carne, caro est. Joh.* 3: 6. VI. *Peccatum* vocatur κατ' ἐξοχήν, quando corpus, ut suprà, dicitur *corpus peccati, Rom.* 6: 6. perinde ac si aliud peccatum in mundo non esset: quia nim. fœcunda mater est cæterorum omnium peccatorum. Enimverò ut mater etiam consideratur, quando dicitur *concupiscentia, quæ concipiens parit peccatum, Jac.* 1: 15. Sicut mater primùm concipit, deinde parit hominem, qui consummatam ætatem consecutus tandem moritur, ut non tàm hominem quàm mortem peperisse videatur. Iisdem gradibus procedit genitura peccati actualis. Nec concupiscentia, si quid concipit & parturit, aliud quàm peccatum & mortem parere potest. VII. *Peccatum inhabitans, Rom.* 7: 17. instar inquilini, vel ejus, qui domi usum, ac proinde vasis & utensilibus pro arbitrio, utendi facultatem habet. VIII. Denique ut hominem in causa salutis suæ nihil posse intelligamus, naturâ dicitur *mortuus in lapsibus & peccatis, Eph.* 2: 1. *Col.* 2: 13. hincque pravi motus concupiscentiæ & peccata, *opera mortua, Heb.* 9: 14. Habent enim in homine corrupto instar verminii & fœtidæ exhalationis in cadavere. Obj. *Atqui quos Scriptura dicit mortuos, eosdem etiam vocat dormientes: non igitur omnis vita illis deest?* R. Non premendus est significatus vocis *somni*, quia *mortuum* esse & *dormire* alternant in usu Scripturæ, *Eph.* 5: 14. Cæterùm, quod probè notandum, quos Christus non foris tantùm, sed etiam intus alloqui constituit, mortuos certè in peccatis, hoc ipso alloquio, *excitare qui dormis, &c.* è mortuis fiunt dormientes, quia è morte reviviscent, sicut dormientes è somno expergefiunt. Quemadmodum etiam Christus mortuos, quos certò erat excitaturus, dormientes dicere solebat. Objicienti, *peccatores etiam dici saucios: atqui saucius non omni vita caret.*

Pravitas naturæ peccatum dicitur κατ' ἐξοχήν, *& quare?*

Homo natura mortuus in peccatis, quo sensu?

Resp.

Resp. Ut miles vulnere mortuus, & saucius & mortuus dicitur, sic homo animalis peccatis tanquam totidem vulneribus lethalibus mortuus est.

X. Q. *Quî verò unicô peccati actu tanta strages dari, & universa natura corrumpi potuit?* R. I. Peccatum non ea parte spectandum est, quâ est *actio physica* & transiens; verùm maximè ut est *actio moralis* mala, hominem à Deo, Fine suo vero, & Bono, avertens & maledictioni legis subjiciens. II. Qui vel semel peccat, peccati servus fit, ipsa lege, vi maledictionis quam peccatori minatur, peccatorem peccato, tanquam Domino suo, dedente & adjudicante. Hinc *potentia peccati lex est*, 1 *Cor.* 15: 56. In eam mentem intelligo illud Christi; *Omnis qui facit peccatum, servus est peccati*, *Joh.* 8: 34. conf. 2 *Pet.* 2: 19. *Expeditur difficultas, quomodo unô peccatô tantum dari potuerit damnum?*

XI. Q. *Quomodo ostendis eam pravitatem esse hæreditariam?* R. Non temerè Catech. quibus gradibus natura humana propagatur, iisdem & pravitatem naturæ in posteros transplantari docet; *ut omnes in peccatis concipiamur & nascamur.* Ergò à conceptione, adeóque prima usque origine pravitas ista nobis adhæresit: sicuti non tantùm serpentes ex ovis excluſi, sed ipsa etiam ova venenata sunt. Scripturam testem dat Catech. Sic enim David de se; *Ecce*, inquit, *in iniquitate editus sum, & in peccato concepit me mater mea*, *Psal.* 51: 7. Obj. *David hyperbole utitur.* R. Cùm hyperbole plus habeat verborum, quàm sensûs animi, malè congruit ad confessionem ejus, qui se veritatem ex animo, intimisque sensibus amare profitetur, vers. 5, 6, 7. Quod David de se speciatim, idem de universis generatim pronuntiat Scriptura, *Job.* 14: 4. *Joh.* 3: 6. *Eph.* 2: 3. Hinc Adam à lapsu *in similitudine sua, &c.* scil. corruptus corruptum, *genuisse* memoratur, *Gen.* 5: 3. Et lex de puerperæ purificatione quid aliud, quàm conceptionis & prolificationis impuritatem commemorabat & accusabat, *Lev.* 12? Porrò quis designabit tempus, quô nobis primùm inesse incipit *caro, vetus homo, peccatum, &c.* Nonne experientiâ manifestum est, Lernam illam malorum nobiscum nasci & adolescere? *Naturæ pravitas hæreditaria.*

Quomodo propagetur?

XII. Q. *Quomodo propagatur?* R. Ratio propagationis occulta nobis & ferè inexplicabilis est. Hinc August. *Epist.* 29. *ad Hieronym.* suadet, dispiciendum potiùs, quomodo ab eo malo per Christum liberemur, quàm quomodo idem ab Adamo traxerimus, disputandum: adducta in eam rem similitudine ab homine, qui in puteum delapsus non solicitus est, quomodo illuc inciderit, sed quô pactô istinc emergere queat. Satis esto nobis testimonium Dei καρδιογνώστ & experientiæ. Cæterùm multò difficilior est hujus propagationis explicatio illis, qui corruptionem nativam peccati Adami, posteris imputati, effectum atque pœnam esse negant. Q. *Annon satis est, juxta legem generationis Physicæ, simile generari à simili, impurum ab impuro?* R. Non expeditur difficultas: id enim etsi verum fatear de *impuritate physica*, qualis in lepra, &c. attamen quomodo in *impuritate morali*, nisi interveniente judicio divino, de quo suprà, locum obtineat, hactenus non video. Quando igitur de re constat, frustrà fatigabit se Theologus quæstione; *Quomodo peccatum orig. transplantetur? an per animam? an per corpus? &c.* persuasus, ut est 1. Hominem, ceu filium Adami, nasci *filium iræ*, ὑπόδικον & reum. 2. Animam hominis à Deo creari, & eôpte momentô cum corpore jungi. Hinc non morabitur quærentem; *Anima*, quando creatur, *purane, an impura ex Deo prodeat?* Quia enim anima semper fuit cum corpore sociata, ut ne ad momentum quidem extra corpus extiterit, semper fuit anima filii Adami; ergò anima peccatoris & filii iræ.

Naturæ pravitas omnium communis est.

XIII. Q. *An omnium prorsus hominum est ista pravitas?* R. Cùm naturalis sit, utique ut natura, sic naturæ pravitas omnium est. Hinc Catech. ut *omnes* in peccatis concipiamur, &c. quotquot sumus naturales filii atque hæredes Adami. vidè *Rom.* 3: 12, *&c.* & 5: 12. *Job.* 14: 4. *Job.* 3: 6. Solus igitur Servator J. Christus, ab hac labe & communi sorte eximius, atque ab utero sanctus & purus fuit, *Luc.* 1: 35. quippe qui non in Adamo, ut capite fœderis naturæ, ipse alterius fœderis caput, numeratus, neque vi communis & primævæ

Excepto J. Christo.

bene-

benedictionis, *crescite & multiplicamini, &c. Gen.* 1:28. sed peculiaris & gratiosæ promissionis, *semen mulieris conteret, &c. Gen.* 3:15. in mundum venit.

Quæstio VIII.

An verò adeò corrupti sumus, ut ad benè agendum prorsus non simus idonei, & ad omne vitium proclives?

CErtè, nisi per Spiritum Sanctum regeneremur.

ANALYSIS.

I. In Quæst. 1. de corruptionis magnitudine generatim inquiritur; *An adeò &c.* 2. Ea distinctis 9 partib. ex contrariis describitur; *ut ad bene agendum &c.*

II. In Resp. I. Quæstio affirmatur. II. Explicationis & probationis gratiâ subjicitur mentio causæ sanantis & remedii: *nisi per Spiritum &c.*

EXEGESIS.

Nexus.

Q*uis Quæstionis cum præcedente nexus?* R. Hactenus pravitatis humanæ è lege Dei detectæ vidimus originem & causam, Quæst. 6. & 7. Nunc Catech. in ejusdem inquirit magnitudinem, juxta ordinem de quo in Analysi Quæstionis VI. ab initio. Q. *Quò consiliò & fine?* R. Ut ostendat 1. Homini post lapsum nihil superesse virium ad bonum spirituale. 2. Corruptionem istam naturalem non solùm esse *privationem justitiæ orig.* verùm etiam pravum injustitiæ habitum ad contraria inclinantem: habitum puta inna-

innatum, non demùm imitatione & consuetudine obstinatum habentis contractum.

Nos natura ad benè agendum ineptos, & ad omne malum proclives esse probatur.

II. Q. *An igitur adeò corrupti sumus, ut ad benè agendum &c?* sic quæro cum Catechete? R. Certè, &c. Q. *Quomodo assertioni tuæ fidem facis?* R. Duplici argumentorum genere, quæ Scriptura suppeditat. Q. *Quodnam est prius?* R. Eò referenda sunt Scripturæ testimonia, quæ de universali testantur corruptione Cùm totiùs hominis, *Gen.* 6: 5. *Joh.* 3: 6. Tùm omnium hominis facultatum; mentis, *Rom.* 8: 7. 1 *Cor.* 2: 14. *Eph.* 4: 17. Voluntatis, *Eph.* 2: 1. *Col.* 2: 13. Affectûs & appetitûs, *Tit.* 3: 3. Adde denique, etiam in corpore & singulis penè membris ejus, peccati *inhabitantis ἐνέργειαν ostendi*, *Rom.* 3: 13. *&c.* & 6: 12, 13. Q. *Quodnam est posterius?* R. Eò revocanda sunt testimonia & argumenta, quæ regenerationis necessitatem evincunt. Atque hinc dictum nobis in Analysi; *Explicationis & probationis gratiâ subjici mentionem causæ sanantis, &c.* Potest autem Catechetæ sententia hoc axiomate enunciari; Nisi homo naturalis regeneretur, usque adeò corruptus est atque manet, ut ad benè agendum prorsus non sit idoneus, & ad omne vitium proclivis. *Causa* igitur *sanans* est ipsa regeneratio: Cujus meminit Catech. I. Explicationis gratiâ, ut ostendatur, non semper; nec in omnibus manere illam corruptionem, puta, in ἀκμῇ & robore suo: & quæ in nonnullis post lapsum deprehenditur aversio à malo, & propensio ad bonum, tametsi cum lucta, ut in Enocho, Noacho, &c. eam non à natura, sed à nova creatione procedere. Unde improbi, in quibus naturæ pravitas non modò non sanata, sed ne quidem ulla ratione interrupta & coërcita fuit per disciplinam, quominùs in ea adulti & obfirmati quidvis auderent, *alieni fuisse* dicuntur *ab utero*, *& aberravisse à ventre* matris *loquentes mendacium*, *Psal.* 58: 4. Ubi hyperbolen fingi necesse non est, quando è dictis satis liquet, quomodo isti improbi ab aliis irregenitis distinguantur, quanquam naturæ pravitas omnium communis & ex se spectata æqualis sit. II. Probationis gratiâ, sic enim licet concludere; Qui opus habet nova creatione, ille

quantus

quantus quantus est, alius est, atque fuit ex prima creatione: scil. non amplius bonus, imagine Dei præditus, sapiens, sanctus, justus: sed ex adverso malus, imagine Dei destitutus, stultus, pravus. Atqui sanè homo quisque opus habet nova creatione. Ergò, &c. Propositionis ratio manifesta est: facit enim nova creatio alium esse hominem, qui Deum suum cognoscat, amet, &c. Assumptionem comprobant I. Quæ de insuperabili hominis animalis ἀδυναμίᾳ diximus. II. Diserta Scripturæ testimonia, ut *Joh.* 3: 5, 6. Ubi negatur hominem, qui non fuerit *iterum genitus*, *ex aqua & Spiritu posse videre regnum Dei*. Quò locò nova creatio appellatur *regeneratio*. 1. Ut significetur, hominem per istam renovationem *ipsò factò fieri*, quod *jure* est per adoptionem, nempe filium Dei. 2. Renovationem istam fieri tanquam ex semine, quod in homine manet, 1 *Joh.* 3: 9. 3. Hominem ex se nihilò plus ad eam, quàm ad suî generationem, conferre.

Quæstio IX.

Annon igitur Deus homini injuriam facit, qui ab eo in Lege flagitet, quæ præstare non queat?

Minimè: Nam Deus hominem talem condiderat, ut ea præstare posset, verùm homo impulsore Diabolo, suâ ipsius contumaciâ, se & omnem posteritatem divinis illis donis orbavit.

ANALYSIS.

I. Quæstio habet prolepsin; si Deus in lege sua flagitaret ab homine, quæ præstare non potest, faceret illi injuriam? Atqui absurdum consequens, &c.

II. Resp.

II. Resp. negat consequentiam duabus rationibus. I. Deductâ à statu hominis primævo; *Nam Deus hominem &c.* II. A jactura bonorum, quam homo fecit per voluntariam defectionem; *Verum homo impulsore &c.* Ubi jactura ab authore, causis impellentib. & adjuncto gravitatis ex latitudine damni spectatæ, describitur.

EXEGESIS.

Quæstionis scopus.

Q*Uis Catechetæ scopus in hac Quæst. & Resp.?* R. Ostendere 1. Quòd homo legem sibi fecerit inutilem ad justificandum & vivificandum. 2. Quòd nihilominùs teneatur ad integram obedientiam lege præscriptam. Lex dicitur *impotens* facta *ad condemnandum peccatum*, *Rom.* 8: 3. Q. *Quis sensus phraseos; condemnare peccatum?* R. Peccatum, in mundum ingressum, accusationem & actionem toti hominum generi intentavit. Lex peccatum ab hac accusatione depellere, eique suam petitionem abjudicare non potuit: quin potius peccato accusanti, & hominem sibi servum postulanti, patrocinata, hominem ejus servituti addixit per sententiam maledictionis: eaque propter Lex *peccati potentia* dicitur, 1 *Cor.* 15: 56. Unde intelligitur, legem, etsi per peccatum hominis justificandi & sanctificandi potentiam amiserit, habere tamen etiamnum potentiam condemnandi hominem, qui est extra Christum.

Recte ab homine flagitari obedientiam lege præscriptam.

II. Q. *Si homo integram legi tenetur præstare obedientiam, quanquam eam sibi fecerit inutilem & servatu impossibilem, nunquid Deus non videbitur homini injuriam facere, qui ab eo flagitet, quæ præstare non queat?* R. Sic caro insurgit adversus Deum, seque ut purget, objicit quod in præsenti Quæstione est, abutens axiomate, quod in regulis juris est; *Impossibilium nulla obligatio est*, l. 145. ff. de R. J. Catech. objectionem

Hominem causari

dissolvit, per inficiationem consequentiæ, allegatis duabus rationibus, de quibus in Analysi. Quæ respon-

sponsio communi praxi, & exemplis Scripturæ nititur. Q. *Quomodo praxi?* R. Si depositum dolò vel culpâ latâ depositarii, vel casu culpam secuto perierit, depositi Dominus non injustè suum repetit. Homo sua sponte prodegit dona, quæ Deus ipsi, tanquam depositario, ad posteros propaganda crediderat. Ergone injustum criminaberis, si ea velut sacrum quoddam depositum ab homine repetat. In foro satis est ad debitum, accepisse, etsi non ampliùs habeas, unde solvas. Homo obediendi vires in creatione acceperat à Deo, unde obedientiæ debitor est, etsi eam præstare ampliùs non valeat. Q. *Idemne ostendi potest exemplis Scripturæ?* R. Satis est huc retulisse parabolam de iniquo dispensatore, *Luc.* 16: 1, *&c.* & de servo debitore, *Matth.* 18: 23, &c. quæ utramque Catech. rationem egregiè illustrat. *non posse legis servandæ impossibilitatem.*

III. Obj. *In civilibus fieri potest, ut qui nunc solvendo non est, rursus, ubi industriæ fortuna faverit, acquirat, unde creditori satisfaciat. Homini verò legem implere non jam solùm impossibile est, sed etiam æternùm erit: quomodo ergò tenebitur ad id, quod simpliciter impossibile?* R. Probè notandum, hominis corrupti impotentiam non in defectu facultatis physicæ sitam, qualis est impotentia volandi in homine, quippe cui ea facultas nunquam data fuit, neque per naturam debetur: sed totam in vitio, cujus homo sibi causa est, positam esse; quod vitium est malitia mentis & voluntatis, odium adversus Deum & proximum, affectus in res terrenas acerrimus, &c. An igitur æquum esse videbitur, ut homo, quia malus est usque adeò, ut obedire non modò non velit unquam, sed ne quidem per insuperabilem vitiositatem suam velle possit, cum Deo expostulet, quòd impossibilia præcipiat? Imò heic adeò nulla est hominis mali causatio, ut quò major est & magis invicta ejus impotentia, hôc inexcusabilior, detestabilior, magisque damnanda sit, quia quantacunque est, in vitio culpabili posita, & nil nisi vitiositas est, quam etiam conscientia peccatori excusare non permittit. *Impotentia hominis qualis?*

IV. Q. *Quænam sunt ista dona, quæ homo prodegit?* R. Dona imaginis divinæ, de quibus suprà ad Quæst. VI. *Quæ dona peccatò*

Q. *Cur amissa?*

Q. *Cur Cat. vocat divina?* R. Quia non alium autho-rem habere possunt, quàm qui est exemplar, finis & bonum hominis, adeóque Deus: cùm sint dona imaginis divinæ. Quod eò dictum volo, ut intelligas hominem amissa sibi restituere non posse. Q. *Cur dicit hominem se illis donis orbasse; non verò homines, puta, primos conjuges, &c.* R. Hominem dicit Catech. indefinitè. Deinde Evâ tentatâ & lapsâ peccatum demùm in Adamo, ceu capite, complementum accepit: quemadmodum venenum morsu canis rabidi venis immissum & sanguini suffusum in capite demùm vim potissimam exerit. Q. *Quomodo sese donis illis orbavit?* R. Meritoriè & efficienter. Quia peccato suo illa amittere meruit, rupta pace & amicitia cum Deo, etiam Dei communione excludendus. Tùm etiam ipse eadem abjecit, peccati gravitate omnem Dei imaginem & rectitudinis habitum vastante & excutiente, &c. Q. *Quæ causa, cur facti istius damnum non ipse solùm Adamus, sed etiam omnis posteritas ejus sentiat?* R. Causam si meminisse velis, audivisti in Exegesi Quæstionis VII. Res vulgò illustrari solet feudi similitudine. Quemadmodum Vasallus, si ingratitudine, infidelitate, &c. deliquerit in seniorem, feudum non sibi uni, sed toti posteritati suæ amittit, &c. Applicatio ex antè dictis est obvia. Q. *Quî fieri potuit, ut homo peccaret & tantis se donis orbaret?* R. Cùm mutabilis esset factus, à seductore tentari & tentatione vinci potuit, ubi quidem auxilium Dei, quo uno munitus stare posset, exambire negligeret, quo neglecto factum, ut impulsore Diabolo se & omnem posteritatem divinis illis donis orbârit. Quo instrumento, quâ methodo, quibus argumentis Diabolus ad seducendum primos nostros parentes fuerit usus, clarè docet historia sacra, *Gen.* 3: 1, &c. Q. *Nunquid ergò non excusabilis est homo, quod impulsore Diabolo peccavit?* R. Nequaquam: quia nulla subactus necessitate, sed sua abusus libertate, argumentis non fine examine transmissis à Diabolo induci passus est. *Fecerat Deus hominem rectum; at illi quæsiverunt sibi ratiocinia multa. Eccl.* 7: 29. Unde verè Catech. *suâ ipsius*, inquit, *contumaciâ* se donis illis orbavit. Q. *An peccatum*

Quomodo amissa?

ctum Protoplastorum rectè dicitur contumacia? R. Hanc quidem vocem hîc loci solicitant Novatores in suis considerationibus ad Catech. Palatinam, *eò quòd peccatum Adami nusquam contumaciæ, sed plerumque inobedientiæ nomine in Scriptura insigniatur.* Verùm eâ censurâ non erat opus; tùm quia textus Germ. qui solus authenticus est, habet, Muthwilligen Ungehorsam; quâ voce utitur Apost. *Rom.* 5: 19. tùm quia reapse *contumacia* fuit in Eva, rationes, quæ ab esu fructus vetiti absterrere debebant, insuper habuisse & neglexisse, quas certè ignorâsse dici nequit, cùm eas adversus serpentem tentatorem allegaverit. *Gen.* 3: 2, 3.

Quæstio X.

Num Deus hanc contumaciam & defectionem hominis dimittit impunitam?

Nequaquam; imò verò horrendis modis irascitur, tùm ob innata nobis peccata, tùm ob ea, quæ ipsi committimus, eaque justissimo judicio præsentibus & æternis suppliciis punit. Quemadmodum ipse pronunciat: Maledictus omnis, qui non permanet in omnibus, quæ scripta sunt in libro Legis, ut ea faciat.

ANALYSIS.

I. Hactenus de *culpa*: hanc excipit *pœna*. An ab invicem separari possint salvâ Judicis authoritate & justitiâ, hôc locô quæritur.

II. Catechum. strictè negat, rationibus duabus.

I. Quia Deus vult punire, hinc *irasci*

dicitur. Ubi ira describitur 1. Ab adjuncto severitatis; *horrendis modis*, &c. 2. Causis pœnæ meritoriis, *tùm ob innata nobis peccata*, *tùm* &c. 3. Effectis, quæ sunt pœnæ ex adjuncto durationis distributæ; *præsentibus &*, &c.

II. Quia necessariò punit. Ratio necessitatis arcessitur 1. A justitia. 2. A veritate Dei. *Eaque justissimô ---- Quemadmodum ipse pronunciat*, &c.

EXEGESIS.

Nexus. Q. *Vis hujus cum præced. Quæst. nexus?* R. Impotentiam reddendi debitum, qua de in præcedentibus dictum, consequuntur carcer, servitus, bonorum venditio, &c. uti videre est in parabola, *Matth.* 18: 25. Peccatum pede presso sequitur pœna, pars miseriæ humanæ altera, de qua Catech. in hac & sequente Quæst. Q. *Quodnam igitur Catechetæ propositum hoc loco?* R. Ostendere; fieri non posse, ut Deus vel peccatum obliteret simpliciter, nullaque ejus habita ratione peccatorem sua communione & sanctificatione dignetur: vel abrogata lege aliam quamlibet consequendæ vitæ beatæ conditionem ferat.

Altera miseriæ nostræ pars in pœna.

Peccatum nequaquam manere inultum demonstratur. II. Q. *An ergò peccatum & judicium pœnæ separari non possunt?* R. Non possunt. Unde Catech. quærenti; *num Deus hanc contumaciam ---- dimittit impunitam?* respondet strictim negando, *nequaquam*, *imò verò irascitur*, *&c.* Q. *Quibus argumentis negat?* R. Duobus. Quia 1. vult peccati pœnam exigere. 2. Necessariò exigit. Q. *Unde ostendis, velle?* R. Quia horrendis modis irascitur ob peccata, &c. *Psal.* 90: 11. *Deut.* 32: 22. *Nah.* 1: 3, 4, 5, 6. 1 *Sam.* 2: 25. *Heb.* 10: 27, 31. Ira in Deo justitiam denotat ultricem cum decreto puniendi conjunctam, sive voluntatem puniendi. Per iram homo in offendentem, qui malè fecit, vel malè facere conatus est, incitatur. Deo autem per ἀνθρωποπάθ-

1. Quia Deus peccata vult punire.

ποπάθειαν attribuitur, non ad similitudinem *affectûs*, quô animus hominis commoveri solet, sed *effectûs*; qui est, velle peccatum vindicare, & peccatorem affligere. Ista porrò ira severissima est, & peccatori ineluctabilis & intolerabilis, ut testimonia mox citata docent. Q. *Omniane peccata istam Dei iram provocant?* R. Omnia planè, tùm *innata nobis*, tùm *ea quæ ipsi committimus*: sicut Catech. pro more peccata dividit. Q. *Quare numero plurali dicit peccata innata? nonne peccatum innatum unum duntaxat est?* R. Utitur certè quidem Scriptura numerô singulari de peccato originali loquens, neque tamen desunt loca, ubi pluralem adhibeat, ut *Eph.* 2: 1, 2. *Col.* 2: 13. Nec incommodè peccatum orig. quod in se unum est, è partium, facultatum & membrorum hominis distributione, *peccata* dici potest, cùm totum hominem & omnia hominis possideat, aliâ in aliis partibus & facultatibus ἐνεργείᾳ sese exerens: vide *Rom.* 3: 13, *&c. Eph.* 4: 18. *Tit.* 3: 3. Q. *Unde probas, Deum quoque ob innata peccata irasci?* R. I. Scriptura hominem *filium iræ*, adeoque irâ dignum nasci testatur, *Eph.* 2: 3. II. Homo ex peccato innato est ἐχθρὸς *hostis*. Carnem enim ex carne habet, cujus φρόνημα est *inimicitia in Deum*, *Rom.* 8: 7. Hostemne Dei omni odiô & irâ Dei dignum negabimus? III. Per *peccatum mors regnat* etiam in infantes, *qui non peccârunt* ἐπὶ τῷ ὁμοιώματι τῆς παραβάσεως Ἀδὰμ, *Rom.* 5: 12, 14. Si nos serpentum & scorpionum ova pedibus obterimus, quippe quibus inesse scimus semina quædam rerum, quæ ad hominum perniciem erumpere possunt: quidni Deus infantes tot vitiorum germina in pectore foventes per mortem auferre possit? IV. Homo per peccatum orig. Deo quàm dissimilimus est, ergò communione ejus indignus.

Omniane peccata?

Etiamne innatum peccatum?

III. Q. *Dixisti, Deum velle: unde demonstrabis, Deum necessariò peccata punire?* R. Argumentis cùm à justitia tùm à veritate Dei arcessendis. Primùm à *justitia*, quæ est illa in Deo rectitudo, per quam Deus veritatis & gloriæ suæ amans non potest non manifestare odium peccati per pœnam peccatô dignam. Æterna & indemutabilis veritas est, Deum esse hominis

2. *Necessariò punit.*

1. *Quia justus est.*

Dominum, Exemplar, Finem, Bonum. Hanc veritatem peccator, quantum in ipso est, factis saltem abnegat. Deus contrà eandem amat, & cùm se ipse abnegare, aut virtutes suas atque jus dissimulare non possit, nedum id facere, quò testetur, se non esse eum qui est, puta Dominum, Judicem, Exemplar, &c. hominis, necessariò etiam cum peccatore juxta veritatis illius amorem agit, ut pœnis pro meritò affectus sentiat, quanti sit, Dominum suum, &c. abnegâsse.

In Deo ineſſe juſtitiam ultricem probatur.

IV. Q. *Quî verò probabis talem in Deo ineſſe juſtitiam ultricem?* R. Eam benè multa Scripturæ sive testimonia, sive argumenta comprobant. Deo attribuitur I. *Puritas oculorum, ut non videat malum*, i. e. illud ante oculos ferre non possit, *Hab.* 1: 13. II. Δικαιοκρισια, *justa judicatio*, quæ *secundùm veritatem fit*, *Rom.* 2: 2, 5. conf. *Esa.* 42: 3. adde *Gen.* 18: 25. III. *Zelus*, quo Deus veluti cum flagrantia asserit rem sibi longè charissimam, à peccatore læsam, nomen videlicet & gloriam suam, *Exod.* 20: 5. IV. *Odium* in peccatum & peccatorem, *Psal.* 5: 5, 6, 7. & 11: 5, 6. Peccatum enim necessariò insequitur separatio peccatoris à Deo omnibusque bonis ejus. Cùm enim Deus peccatori non modò similis non sit, sed ne quidem videri possit, *Psal.* 50: 21. nulla illi cum peccatore communio, nulla amicitia, intercedere potest. Quin imò quantum intersit inter Deum & peccatorem, necessariò pœnis arguendum est. Unde post illa Psalmi; *hæc feciſti, & ſilui: putâſti me omnino tui ſimilem eſſe*: additur, *Arguam te*, &c. V. Deus nomini suo adscripsit נקה לא ינקה *minimè impunitam dimittet*, nempe, *pravitatem, defectionem & peccatum*, *Exod.* 34: 7. conf. *Exod.* 20: 7. VI. Adde, propitiationi, per sanguinem Christi factæ, finem præstitutum fuisse *demonſtrationem juſtitiæ* Dei, postquam Deus præteritorum seculorum peccata quasi silentio transmiserat, expiatione nondum facta, longanimitate usus, *Rom.* 3: 25, 26.

2. Quia verax eſt.

V. Q. *Quomodo pœnæ neceſſitatem arguis ex veritate Dei?* R. Eò pertinet, quòd 1. *maledictus* pronunciatur *omnis, qui non permanet in omnibus*, &c. *Deut.* 27: 26. *Gal.* 3: 10. h. e. non tantùm reus, omnisque pœnæ

pœnæ ferendæ debitor, sed etiam jam jam judicatus, & ubi contemptor legis fidei fœderisque gratiæ fuerit, procul omni spe veniæ puniendus. II. Deus homini comminatus est, futurum, ut, quô die comederet de fructû vetito, moriendo moreretur, *Gen.* 2: 17. III. Quid omnis ille sacrificiorum apparatus & pecudum lanienæ in Vet. Test. aliud quàm pœnæ peccati luendæ necessitatem clamabant? IV. Hinc etiam, ut sua prophetiæ, quà typorum, quà verborum, veritas constaret, Filium Dei in plenitudine temporis venire nascentem ex muliere, legi subjici & mori oportuit, *Gal.* 4: 4.

Pœna peccati temporalis & æterna.

VI. Q. *Audivi, Deum & velle punire, & necessariò punire peccatum, sed quâ pœnâ, nondum dixisti?* R. Pœnas peccatis debitas Catech. dividit in *præsentes* sive *temporales*, & *æternas*, quando dicit, *eaque justissimo judicio præsentibus & æternis suppliciis punit.* Q. *An ergò unius peccati multiplex peccatori ferenda est pœna?* R. Cautè notandum: Catechetæ sic pœnas distingui non *ex genere*, sed *adjuncto durationis*. Temporalis enim pœna æternæ initium; æterna verò temporalis pœnæ continuatio est. Malè igitur Pontificii peccata quædam venialia putant, quasi quæ pœnam duntaxat temporalem mereantur, quæ cum æterna non idem pœnæ genus constituat. Q. *Unde constat idem esse pœnæ genus?* R. Inde, quia Deus universam violatæ legis pœnam singulari numerô complexus est, significans, non nisi unam peccati pœnam esse, quanquam ut multiplex è varietate respectûs & graduum considerari possit. Velut, quando transgressorem legis *maledictum* pronunciavit, *Deut.* 27: 26. Et quemadmodum obedientiæ præmium *vitam*, ita inobedientiæ pœnam *mortem* dixit, mortis vocabulô omne genus miseriæ, quæ mors appellari solent in Scriptura, complexus, *Gen.* 2: 17. *Quo die comedes de illa, morte morieris.* Cujus mortis quatuor gradus sunt. 1. Mors spiritualis, consistens in separatione à Deo, vitaque & regno ejus, quam sequitur regnum peccati, *Eph.* 2: 12. 4: 18. 2. Mors, quæ hominem felicitatis primævæ commodis privat, & ex adverso omnibus ærumnis, laboribus atque doloribus, quibus vita præsens afflicta ægrè trahitur,

Illa pœnæ distributio qualis sit?

Quomodo mortis nomine omne genus miseriarum complectatur Scriptura.

bitur, implicat, *Gen.* 3: 16, 17, 18. Ubi mala, quæ Adamo & Evæ imponuntur, necessariò mortis nomine comprehenduntur, secùs in pœnæ irrogatione plus esset, quàm fuerat in comminatione, *Gen.* 2: 17. 3. Mors corporis per reditum ejus in pulverem, *Gen.* 3: 19. 4. Mors æterna, in animæ translatione ad locum cruciatuum, *Luc.* 16: 23, 24, 25. & corporis tandem resuscitatione ad pœnas æternas, *Act.* 24: 15. 2 *Cor.* 5: 10, *&c.* Hæc *mors secunda*, quippe quâ moriuntur qui antè mortui fuerant: deinde morte corporis moriuntur qui vixerant; sed hac secunda morte moritur ipsa mors, hoc est, cruciatus erunt æterni, quia mors, in qua corporis cruciatibus finis est, morietur, i. e. esse desinet. *Et mors atque infernus conjecti sunt in lacum ignis*, *Apoc.* 20: 14. Q. *Quomodo omnia ista mala diversissima uno nomine mortis in idem genus compingi possunt?* R. Id mirum non videbitur consideranti, omnes istos unius pœnæ, puta mortis, gradus id habere commune inter se, quòd notionem sive conceptum privationis vel separationis animæ totiusque hominis à bono, cujus possessio felicitatem affert, includant: quemadmodum vulgò loquentibus mortis vocabulum *separationem animæ & corporis* significat. Verè igitur August. *de Civit. D. l.* 13. *c.* 12. *Cùm ergò*, inquit, *requiritur, quam mortem Deus primis hominibus fuerit comminatus -------- utrùm animæ, an corporis, an totius hominis, an illam quæ secunda dicitur: reponendum est, omnes. Prima enim constat ex duabus: secunda ex omnibus tota.* Q. *Unum addo: quomodo comminationi divinæ Gen.* 2: 17. *cujus jam aliquoties mentio incidit, sua constat veritas, Adamò non illicò post peccatum perpetratum mortuò?* R. Vel hinc liquet, necessariò notionem vocabuli *mortis* usque eò extendendam esse, ut omne genus miseriarum comprehendere intelligatur, ne comminatio divina, *quo die comederis, morte morieris*, labefactati videatur, quasi quæ suum sortita non fuerit eventum, morte corporis in longum tempus dilatâ.

Qua ratione unom rtis vocabulo tot & tam diversa mala significari possint?

Inde facilis responsio ad difficultatem superloco, Gen. 2: 17.

Quæ-

Quæstio XI.

Annon igitur Deus est misericors?

ESt ille quidem misericors, verùm ita, ut etiam sit justus. Quapropter postulat ejus justitia, quod adversus summam Dei majestatem commissum est, id quoque ut summis, hoc est, sempiternis cùm animi tùm corporis suppliciis luatur.

ANALYSIS.

I. Contra doctrinam de necessitate pœnæ delicto reddendæ, homo justitiam Dei & peccati turpitud. non ex vero æstimans objicit; *Atqui Deus est misericors. Peccatum igitur hominis tàm graviter non punit.*

II. Catech. I. Concedit antecedens; *Est ille quidem misericors.*

II. Negat consequentiam. Ubi 1. obs. argumentum negationis desumptum à justitia Deo non minùs attribuenda, quàm misericordia; *verùm ita, ut etiam, &c.* 2. Inde concludit ad necessitatem puniendi, ostensis tùm jure pœnæ; *quapropter postulat justitia*, tùm juris severitate ex pœnarum gravitate spectanda; *ut summis &c.* tùm pœnarum æquitate; *quod adversus summam Dei Majestatem, &c.*

EXEGESIS.

Scopus.

QUis *Catech. scopus in hac Quæstione?* R. 1. Cavere abusum misericordiæ divinæ: ne ejus obtentu magnitudo iræ Dei & miseriæ nostræ

elevetur. 2. Viam aperire ad secundam partem, quæ est de Liberatione hominis.

Deum esse misericordem, & quomodo, ostenditur.

II. Q. *Annon igitur Deus est misericors?* R. Est: teste Scripturâ, *Exod.* 34: 6. *Psal.* 103: 8. & alibi passim. Hæc porrò misericordia, quantum ad sufficientiam salvandi miseros attinet, in Deo inest naturaliter: quantum verò ad exercitium & voluntatem salvandi, liberè. Unde inter divina nomina connumeratur שדי ὁ ἱκανὸς, αὐτάρκης, cujus est sufficientia ad omnia, *Exod.* 6: 2. Cujus est τὸ δυνατὸν, *Rom.* 9: 22. *valentia* & *vis* vincendi peccatum per gratiam. Hinc orat Moses; יגדל נא כח אדני *Magna sit virtus Domini, quemadmodum pronunciasti dicendo; Jehova est longanimis ---- condonans iniquitatem*, &c. *Num.* 14: 17. Ubi Doctores Hebræi *Jod Majusculum* ab initio verbi יגדל denarium significans in usu Arithmetico, notam esse volunt memorialem, quæ doceat, Dei clementiam & gratiam usque adeò exuberare, ut vel decuplo superet populi ingratitudinem. Quisquis autem sit usus notæ istius Masorethicæ, locus sanè dignissimus est, in quo attentionem defigamus, & quem memoriæ mandatum fideliter retineamus.

Inde verò malè concluditur ad peccati impunitatem.

III. Q. *Nunquid ergò indè consequitur, peccata impunita dimitti, vel saltem non usque adeo graviter, atque dictum est nobis suprà, puniri?* R. Minimè verò fieri enim nequit, ut Deus peccati odium dissimulet, & non rebus ipsis testatum faciat, peccatorem cum similitudine Dei etiam amisisse amicitiam & communionem Dei. Quapropter rectè Catech. objicienti respondet: *Est ille quidem misericors, verùm ita ut etiam sit justus, &c.* Sic enim *Exod.* 34: 6, 7. nomen Dei explicatur, hinc quidem à *gratia* & *longanimitate*; inde verò à *severitate* & *ira*. Cùm enim dixisset, *condonans peccatum, &c.* illicò subjicit: *Et non dimittit impunitum, &c.* confer, ut suprà, *Exod.* 20: 7. Ut intelligas, etiam peccatum, cui parata est apud Deum venia, puniri, nimirum in Christo Sponsore.

Justitia cum mise-

IV. Q. *Quomodo justitia ultrix & misericordia, simul in Deo locum habere possunt?* R. 1. Distingue virtutem

tutem misericordiæ & justitiæ, prout utraque proprietatem sonat essentialem, ab utriusque exercitio, quod certè ratione modi, temporis, &c. liberum est. 2. Considera Deum habere Filium, quem *mittere* potuit *in similitudine carnis peccati*, & sacrificio *pro peccato condemnare peccatum*, &c. *Rom.* 8: 3. ut adeò decenter & citra præjudicium sanctitatis & justitiæ suæ peccatoris misereretur. Qua in re sapientia Dei præprimis conspicua est & admirabilis, quòd duas illas virtutes, *justitiam* inflexibilem, & *misericordiam* inexhaustam, interventu satisfactionis Christi, inter se ad summam nominis sui gloriam & peccatoris resipiscentis solamen conciliavit.

ricordiæ quomodo conveniat in Deo?

V. Q. *Unde verò probas, peccata non tantùm præsentibus, sed & æternis suppliciis puniri?* R. Cùm Deus sit justus, rectè Catech. inde concludit; quapropter postulat ejus justitia, quod adversus summam Dei Majestatem commissum est, id quoque ut summis, h. e. sempiternis suppliciis luatur. Obj. *Peccatum est vel habitus finitus in subjecto finito; vel actio finita & transiens: ergo non meretur pœnam durationè infinitam, & genere suo gravissimam.* R. Peccatum non è genere *entis*, sed è genere *moris* æstimandum est, quatenus *commissum adversus summam Dei Majestatem*, hoc est, 1. ὑπεροχὴν *eminentiam Dei infiniti.* 2. Gloriam, quæ ex multiplici illa σχέσει inter Deum & hominem intercedente resultat. Constat utique Deum esse *Creatorem*, *Dominum*, *Judicem*, *Exemplar*, *Benefactorem*, *Finem* atque *Bonum* hominis. Quicquid hujus veri est, peccator ipso facto abnegat & gloriam Dei obscurat. Deus ex adverso juxta veritatem judicans necessariò gloriam suam asserit, & quanti haberi velit *æternam veritatem abnegâsse*, & *gloriam Dei obscurâsse*, patefacit per pœnam, quæ facti indignitatem testatur. Scil. peccator summum abnegat *Dominum* & *Judicem*: ut igitur quod summum & sanctissimum est se violâsse sentiat, eam injuriam gravissimâ vindicari pœnâ necesse est. Peccator abnegat *Potentissimum*: æquissimum proinde est, ut iste contemptus vindicetur judiciô potentiæ, hoc est, tali pœnâ, quæ potentiam infinitam manifestet.

Æternæ pœnæ æquitas defensa.

Peccati turpitudo & fœditas multis ostensa.

Q. *Hoc ex Scriptura mihi demonstrari cupiam.* R. Ad id præstandum satis est notâsse, quòd Scriptura S. idem peccatum plus undecim diversis nominibus, quibus singulis sua peculiaris significatûs emphasis est, indigitet. Ea verò nomina cùm Hebraïca ex Vet. tùm Græca ex Novo Test. repetita & explicata videsis apud Celeb. Coccejum, *Summa Theol.* Cap. XXIV. §. 3.4. Id equidem verum fateor, Scripturam nonnulla istorum vocabulorum ita distinguere, ut non in idem peccatum quadrare videantur, ut *Psal.* 32: 5. *Hos.* 2: 9. Sed id eò fit, quòd turpitudo, hoc illove vocabulo significata, in uno peccato insignitior est, quam in altero. Obj. *Atqui peccatum dicitur ἀνομία.* 1 *Joh.* 3: 4. R. Integer versus Apostoli ex origine redditus sic habet; *Omnis qui facit peccatum*, sive aberrationem, *etiam defectionem patrat: & aberratio est defectio.* Ubi non hoc agere videtur, ut perfecta definitione peccatum circumscribat, & quicquid in illo mali inest, una voce determiner; sed ut ostendat, unam peccati fœditatem non esse sine altera, atque adeò *aberrationem à scopo* etiam abnegati dominii & legis reum constituere. Unde concludere licet I. Omne peccatum omnem turpitudinem & fœditatem involvere, siquidem ex se æstimetur. Hinc illud Bernhardi. *Ut modus diligendi Deum est ipsum diligere sine modo: ita peccati detestationi nullus modus definitur.* Obj. Ergone *omnia peccata sunt æqualia?* R. Nihilominus, si ex circumstantiis & turpitudinis suæ gradibus quæque æstimantur, inæqualia esse contingit. II. Nullum peccatum suâ naturâ esse veniale. III. Æternitatem supplicii non rectè arcessi à sola peccati continuatione, eò quòd peccare non desinant, qui peccati pœnas dant apud inferos. Enimverò tanta est peccati turpitudo, ut abjectionem mereatur ad æternam desertionem, quam peccandi perseverantia sequitur. Atque sic ex dictis cùm juris & judicii divini severitas; tùm pœnæ peccatorem manentis æquitas satis patescunt.

PARS

PARS SECUNDA.

De liberatione hominis.

Quæst. XII.

Quoniam igitur justo Dei judicio temporalibus & æternis pœnis obnoxii sumus, estne reliqua ulla ratio aut via, qua his pœnis liberemur & Deo reconciliemur?

VUlt Deus suæ justitiæ satisfieri: quocirca necesse est, vel per nos, vel per alium satisfaciamus.

ANALYSIS.

I. Titulus exhibet ordinem & materiam tractationis.

II. In Quæstione Catech. ex antè dictis, quæ facta transitione paucis repetit; *Quoniam igitur &c.* occasionem captat quærendi, an liberatio sit possibilis, *Estne reliqua ulla ratio, &c.*

III. In Resp. possibilitas affirmatur, non quidem disertè, sed posita possibilitatis conditione, si satisfiat justitiæ Dei. Ubi obs. 1. Necessitatem conditionis; *Vult Deus suæ &c.* 2. Inde concludi necessitatem alterutrius satisfactionis, videl. personalis vel vicariæ; *Quocirca necesse est, vel per nos, vel &c.*

EXE-

EXEGESIS.

Nexus. *Quâ ratione partem hanc connectis præcedenti?* R. Postquam quid de hominis miseria tenendum solidæ consolationis cupido ostendisset, Catech. opportunè transit ad eam partem Catecheseos, quæ consolationis fontem recludit. Inde adeò hanc partem inscripsit, *de liberatione hominis.* Sicut in Medicina partem παθολογικὴν, quæ est de morbis, excipit θεραπευτικὴ, quæ agit de remediis: itidem & hîc cognito hominis morbo, in peccato ejusque pœna, tempestivè quærendum est remedium, ne desperatione absorbeatur peccator: vel certè, ne rationem liberationis sibi fingat ipse, cum ignominia nominis divini & salutis suæ damno irreparabili.

Explicatio rubricæ, sive inscriptionis secundæ partis Catech. II. Q. *Qualis est liberatio, quam hæc Catech. pars promittit?* R. Cùm sit manumissio sive vindicatio peccatoris, supponit captivitatem & servitutem tùm sub *peccato*, hominem vi legis maledicentis sibi addictum habente; tùm sub *pœna*, cui justô Dei judiciô obnoxius est: ut proinde servus sit & peccati & pœnæ. Ab utraque ista servitute liberationem promittit Catech. Q. *Quid opus adjici mentionem subjecti recipientis, nempe hominis?* R. Sicut prima pars Catech. fuit de miseria *hominis*, sic hæc de liberatione ejusdem. Angelis spontanea defectione in exitium prolapsis nulla destinata est liberatio. *Neque enim usquam Angelos apprehendit* Christus, *sed semen Abrahæ, &c. Heb.* 2: 16. Vindicatio creaturæ à servitute corruptionis, cui subjecta est, *Rom.* 8: 20, 21. fructus est liberationem filiorum Dei consequens, & ad cumulatiorem ipsorum gloriam pertinens. Liberationem dicit *hominis* non universaliter, sed indefinitè considerati, juxta mentem Quæst. XX.

Quæ ratio quærendi primùm de possibilitate liberationis? III. Q. *Quænam omnium prima quæstio esse potest homini miseriæ suæ sensu dejecto?* R. An detur, vel exspectari possit liberatio. Quanquam in scientiis soli veritatis indagationi intentis quæstionem, *Quid res quæque sit*, quæstioni, *an sit?* præmitti ut plurimùm præstet, eò quòd accurata rei cujusque definitio eam existere, aut saltem existere posse, vel non posse, doceat: maluit

maluit tamen Catechetes illud primum in quæstionem venire; *An ulla sit reliqua ratio aut via, quâ his pœnis liberemur, &c.* prudenter secutus hac in parte ingenium hominis miseriæ suæ sensu tacti, quem hæc prima omnium cura solicitum habet, *an & quæ pateat è miseria eluctandi via?* Q. *Potestne ulli dubium esse, utrùm Deo satis sit sapientiæ & potentiæ miserum è quavis servitute expediendi?* R. Illud quàm maximè dubium homini consequendæ salutis viam necdum edocto, qualem methodus Catech. hactenus supponit; An nimirum Deus salvâ suâ justitiâ legisque authoritate peccatori delictorum veniam facere, eumque communione sua dignari possit? Quapropter non indiligenter notandus est præsentis Quæstionis scopus. Q. *Quis ergò Quæstionis scopus?* R. Satisfactionis docere necessitatem, quippe citra quam liberationi locus non foret. Sensit enim quæri non de quavis liberatione, sed tali, quæ interveniente λύτρῳ & ἱλασμῷ procuretur, quia Quæstioni additum illud; *Et Deo reconciliemur.* Q. *Quotuplex igitur est liberatio?* R. Alia est liberatio è manu valentioris, qui quid injusta vi detinet, quod proinde solâ liberatoris potentiâ vindicari potest. Alia est liberatio è manu valentioris jure quid captivum detinentis, quæ redemptio est, λύτρον & satisfactionem postulans. Prioris exemplum est in Israëlitarum assertione è manu Pharaonis. Posterioris generis est liberatio, de qua quærit Catech.

Liberatio duplex.

IV. Q. *Estne igitur possibilis liberatio?* Q. Sic quærenti respondere jubetur Catechum. Esse quidem possibilem, si satisfiat justitiæ Dei. *Quia Deus vult suæ justitiæ &c.* Id quod probatu facile est ex suprà dictis. Q. *Qui verò?* R. I. Quia Deus est sanctus, cujus verba, judicia & facta exactissimè congruunt cum voluntate quod verum est amante; ergò & justus, osor peccati, dissimilis peccatori, qui has virtutes neque dissimulare, neque seipsum abnegare, aliumve præbere potest, atque est. II. Quia verax est. Quapropter datam homini legem refigere, jusque suum abdicare non potest. Ut igitur liberetur peccator, requiritur δικαίωμα *meritum, sive causa justitiæ, quod aliud esse nequit,*

Hominem liberari quomodo possibile sit?

quit, quàm obedientia juxta legis postulatum præstita. *Rom.* 5: 18, 19.

Satisfactio alia personalis, alia vicaria.

V. Q. *Cùm igitur peccatoris liberatio satisfactionem requirat, à quonam illa est præstanda?* R. Vel ab ipso peccatore, vel ab idoneo sponsore, qui locum rei subeat. Unde Catech. *Quocirca necesse est, vel per nos vel per alium satisfaciamus.* Illam dicere licet *personalem*, hanc *vicariam*. Q. *Estne in pœnis locus satisfactioni vicariæ?* R. In foro quidem humano fidejussio obtinet in causa *creditî*, non item in causa *capitis*, nisi ad exhibendum reum. Hinc lex; *Si quis reum criminis, pro quo satisdedit, non exhibuerit, pœnâ pecuniariâ plectitur. l. 4. ff. de custod. & exhib. reor.* Neque probanda Vet. Rom. & Græcorum sententia, *vades*, ἀντιψύχους dictos, *capitali judiciô obligari, & ex fidejussione rectè occidi & mutilari posse*: quia homo vitæ & membrorum suorum Dominus non est, neque adeò illa validè obligare potest pro altero. Heic cùm *personali* satisfactione perfungi prorsus impossibile sit peccatori, *vicariæ* locum invenit infinita Dei sapientia, *Rom.* 8: 3. Obj. *Legis divinæ* ἀκριβοδίκαιον *satisfactionem efflagitat personalem*, *Lev.* 18: 5. *Gen.* 2: 17. *Ezech.* 18: 4. R. Is certè legis rigor est, ut pœnam ipsi peccatori irroget, neque fidejussoris substitutionem agnoscat; huic tamen rigori opponere possumus rigorem nequaquam minorem, quando certa fide tenemus, satisfactionem illam vicariam sic comparatam oportere, ut eam præstare non possit, nisi qui Deus sit, ut deinceps docebimur.

Rectène peccator per alium satisfacere dici possit?

VI. Q. *Cùm igitur vicariæ satisfactioni hîc locum esse dicas, quonam sensu peccatorem putas per alium satisfacere posse?* R. Non eô, quasi peccator Deo vadem de suo dare, vel certè Deo ipsi de dando vade author esse queat ulla ratione, id quod non obscurè negari videmus, *Psal.* 49: 8, 9, 10. *Rom.* 11: 34, 35. Nec sanè fuit, qui de Christo cogitaret, cùm se pro nobis Deo ad mortem obtulit. Verum eo sensu, quòd per divitias sapientiæ & gratiæ divinæ fieri posse persuasum habeo, ut peccator alterius officiô & beneficiô satisfeciisse judicetur: tametsi ne hujus quidem sufficientiæ divinæ peccatori unquam in mentem veniisset, nisi

Deus

Deus *consilium pacis*, *Zach. 6*: 13. verbô & factô patefeciſſet: quô ſolô quoque Doctore novimus, quænam in eo, qui pro peccatore in judicio Dei ſatisfacere poſſit atque velit, requirantur.

Quænam requirantur conditiones in eo qui ſatisfactionem vicariam præſtare velit?

VII. Q. *Iſtas conditiones requiſitas hîc mihi paucis deſcribi pervelim.* R. Eas docebunt Quæſtiones 15. 16. 17. 18. Neque tamen piget hîc nonnulla generatim tradere, quæ illis Quæſtionibus tantô felicius explicandis inſervire queant. Illi igitur, qui pro peccatoribus ſatisfacere poſſit atque velit, neceſſe eſt I. Abeſſe, quæ reconciliationem impediunt, peccatum, puta, & reatum. II. Adeſſe ea, per quæ ad ſatisfaciendi officium admittatur, & præſtitæ ſatisfactionis fructus reapſe ad uſum peccatoris applicetur. Q. *Quænam iſtæ ſunt?* R. Oportet 1. Illum eſſe naturæ noſtræ conſortem. 2. Poteſtatem habere ſummam vitæ ſuæ & membrorum. 3. Teneri præceptô diligendi fratres, & præceptô ſanctificandi Deum. *Illud* imperat, ut frater fratrem miſerum cupiat non perire, quin imô illi ſervando quam poteſt curam operamque impendat. *Hoc* jubet, ultrô, conſtanter & ſumma virium contentione facere omnia, per quæ ad conſcientiam peccatoris patefiat, Deum eſſe ſanctum, juſtum, oſorem & ultorem peccati, &c. ſiquidem id peccatori prodeſſe queat: & porrô decenter, ſine præjudicio cauſæ & juſtitiæ ſuæ poſſe *juſtificare impium*, *Rom.* 4: 5. 4. Majorem eſſe hominibus & dignum, qui ſit & nominetur Dominus peccatoris redempti, in quem redemptus credere, certâque fiduciâ de remiſſione peccatorum & vita conſequenda recumbere, quem glorificare, quô denique unô gloriari ſeque beatum prædicare poſſit. 5. Talem denique eſſe, quîcum peccator redemptus unum fieri queat, ad participandam juſtitiam & vitam.

Quæ-

Quæstio XIII.

Possumusne per nos ipsos satisfacere?

NUllâ ex parte: quin etiam debitum in singulos dies augemus.

ANALYSIS.

I. Proposita duplici satisfactione, *personali* & *vicaria*, de priore quærit; *Possumusne per nos ipsos &c.*

II. In Resp. Catechum. posse nos 1. strictè negat; *Nulla ex parte.* 2. Negativam probat argumento ab adversis amplificato; *Quin etiam debitum &c.*

EXEGESIS.

Quæstionis scopus.

Quid hac in Quæstione Catechetæ propositum? R. Homini omnem propriæ satisfactionis spem, meritique opinionem adimere, ut suam ἀδενείαν agnoscens illi solùm sese applicet sponsori, quem Deus de suo dare promisit. Hinc illud primùm quærenti; *possumusne per nos ipsos satisfacere?* simplici negatione occurri vult; *nulla ex parte.*

Posse nos per nos ipsos satisfacere meritò negatur.

II. Q. *Quônam argumentô?* R. Tantum abest, ut satisfacere nos ipsi queamus, ut etiam *debita in singulos dies augeamus:* quæ ratio tanti visa Catechetæ, ut eam unam attulisse satis habuerit; quanquam ex superioribus, præsertim Quæst. XI. plures repetere liceret. Debitum redditur, quod Germanicus textus vocat Schuld / nomine & *debitum* & *reatum* significante. Uterque significatus peccato convenit. Est enim *reatus*, vel certè *reatum* includit citra controversiam. Est *debitum*, ut *Matth.* 6: 12. *Luc.* 11: 4. *Matth.* 18: 24, 34. non ex usu solùm Synagogæ, cui peccata חובות dicuntur; sed ex causa, quia peccata

nos

nos Deo debitores efficiunt ad pœnam. Hinc etiam vulgò ultor *exigere & sumere pœnas;* noxius verò *debere, dare, pendere, solvere pœnas* dicitur: quia noxius pœnam Reip. debet ac legibus. Olim creditori addicebantur, qui non erant solvendo, ut servientes servitutem, quod ære non possent, corpore luerent. Vide 2 *Reg.* 4: 1. coll. *Matth.* 18: 25. Q. *Quomodo debitum in singulos dies augemus?* R. Ante omnia notandum, sic postulante methodo Catech. hôc locô non intelligi homines regenitos, beneficii redemptionis participes factos, quanquam & hi à quotidianis lapsibus non sint immunes, *Eccles.* 7: 20. quotidiè orantes, *remitte nobis debita nostra:* sed homines, quales nascuntur & etiamnum vivunt, gratiæ exsortes. Atque hi debitum adaugent ex congenita sibi corruptione, quippe quibus perinde familiare est peccare, atque bibere, *Job.* 15: 16. *Qui duritie sua sibi accumulant iram*, accumulando debita, *Rom.* 2: 5. Resipiscere nescius dicitur חוטא *peccans*, id est, nihil nisi peccans. *Esa.* 1: 4. *Prov.* 11: 31. *Rom.* 3: 7. & 5: 8. *Gal.* 2: 15.

Quæstio XIV.

Potestne ulla creaturarum in cœlo vel in terra, quæ tantùm creatura sit, pro nobis satisfacere?

NUlla: *Nam principio non vult Deus, quod homo peccavit, id in ulla alia creatura plectere. Deinde nec potest quidem, quod nihil nisi creatura sit, iram Dei adversus peccatum sustinere, & alios ab ea liberare.*

ANALYSIS.

I. Ostensa legalis & personalis satisfactionis impossibilitate, tacitè infertur, vicariæ sa-

tisfactioni locum esse, sed quæritur, an eam nuda creatura præstare possit?

II. Resp. Neg. ob duas impossibilitatis causas, quarum *Prima* respicit in Deum, petita ab ejus justitia; *Nam principio non vult Deus, quod, &c. Altera* in creaturam, desumpta ab ejus ἀδυναμία ad duo opera mediatoria producenda, quæ sunt 1. *Iram Dei adversus peccatum sustinere.* 2. *Alios ab ea liberare.*

EXEGESIS.

Nexus. Q*Uis hujus cum præced. Quæstione nexus?* R. Suppositô, posse pro peccatore substitui vadem, ejus locô Mediatoris instar satisfacturum, disquirit Catech. qualem esse oporteat illum Mediatorem: propositum suum exequens κατ' ἄρσιν hac Quæst. & Resp. καλὰ θέσιν Quæstionibus 15, 16, 17. Hac igitur Quæst. negat, vadem illum atque Mediatorem esse posse *tantùm creaturam.*

Creaturam meram pro peccatore satisfacere non posse, probatur tribus argumentis: Primum. II. Q. *An non Angelus vel Angeli è cœlo? An non homo, vel homines in terra? An non victimæ ex animantium generibus, in vicem peccatoris substitui possunt?* R. Nequaquam. Q. *Qua de causa?* R. Negationis non unam, sed tres, easque gravissimas causas affert Catech. Q. *Quænam est prima?* R. Quia Deus non vult, quod homo peccavit, id in ulla alia creatura plectere; repugnat enim justitia suum cuique tribuens. Justum est, ut malum ferat, qui malum fecit. *Anima peccans, illa morietur, Ezech.* 18: 4. Quô locô etiam Catechetes discipulum suum uti jubet ad fidem dictis firmandam. Obj. *Locus iste non satis videtur appositus ad institutum: negat enim ibi Deus, filios amplius laturos pœnam parentum, &c.* R. Si anima peccans morietur, ita ut filius non ampliùs ferre debeat peccatum patris, vers. 2, 3. haud dubiè Deus, quod homo peccavit, multò minùs puniet in creatura, quæ ne quidem homo est: id quod annotâsse ad scopum Catech. satis est.

III. Q.

III. Q. *Quænam est secunda ratio?* R. Non potest, inquit Catech. quod nihil nisi creatura sit, iram Dei adversus peccatum sustinere. Cujus iræ quanta vis sit, vide *Deut.* 4: 24. *&* 32: 22. *Psal.* 9: 11, *&c. Nah.* 1: 4, 5, 6. Obj. *Quid huc facit locus Esa.* 6: 2. *Ubi etiam non leguntur, quæ Catech. indidem citare videtur?* R. Notandum, verba illa; *quomodò igitur iram Dei ferrent* (scil. Angeli) *quæ est ut ignis consumens?* non testimonium Esaiæ, sed consequentiam ejus continere. Cæterùm Prophetæ locus, etiam Angelos oneri iræ divinæ ferendo impares esse, satis arguit. Quid enim illa faciei obtectio, nisi imbecillitatem Angelorum, lucem atque claritatem Dei non ferentium? Quid pedum obtectio, nisi suæ vilitatis & indignitatis confessionem significet? eô, puta, sensu, ut quanquam omnia fecerint, ad quæ missi essent à Deo, nihilominùs, ceu servi inutiles, non mereantur aspici à Deo, quasi qui dignitatem ex se habeant aliquam. *Secundum argumentum.*

IV. Q. *Quænam tertia ratio?* R. Quia nulla creatura nuda alteram creaturam, vel, ut Catech. habet, alios ab ira Dei liberare potest, ut non tantùm innocentes & reatus exsortes constituantur, quanquam ne hoc quidem beneficii à mera creatura exspectari possit; sed ut insuper vitæ & hæreditatis cœlestis participes reddantur: quæ dare, utique non creaturæ est, sed Dei. Omnes istæ rationes Catech. multis illustrari & amplificari possent ex principiis suprà ad Quæstionem XII. in fine Exegeseos traditis. *Tertium argumentum.*

Quæstio XV.

Qualis ergò quærendus est Mediator & Liberator?

QUi verus quidem homo sit, & perfectè justus, & tamen omnibus creaturis potentior, hoc est, qui simul etiam sit verus Deus.

ANALYSIS.

I. Rejectâ creaturâ, tanquam ad satisfaciendum pro nobis minimè idoneâ, quærit de qualitatibus in idoneo Mediatore & Liberatore requirendis? *Qualis ergò, &c.*

II. In Resp. qualitates enumerantur 4. Necesse enim est esse 1. Verum hominem. 2. Perfectè justum. 3. Verum Deum, *quia omnibus creaturis potentiorem esse oportet.* 4. Deum & hominem *simul*, h. e. in una persona.

EXEGESIS.

Quæstionis occasio & mens.

QUæ *Quæstionis occasio?* R. Cùm negâsset in creaturis reperiri, quæ satisfacere possit, nunc κατὰ θέσιν exponere incipit, qualem oporteat esse illum, qui procurandæ salutis humanæ partes in se suscipere possit atque velit. Q. *Cur Catechetes, de eo quærens, non satis habet, eum appellâsse Mediatorem? Cur adjicit titulum Liberatoris?* R. Haud dubiè ut ostendat, Mediatorem requiri, qui non solùm Interpres sit atque Internuntius, quô missô Deus quid suæ voluntatis sit nobis exponere constituerit; sed qui reapse sit ἱερηνοποιὸς, atque adeò irâ Dei placatâ & pace redintegratâ Liberator. Vide *Col.* 1: 20. Q. *Suntne ista nomina Mediatoris & Liberatoris Scripturæ usitata?* R. Imò: Vide 1 *Tim.* 2: 5. *Rom.* 11: 26. conf. *Esa.* 59: 20. Q. *Quô sensu igitur Mediatorem intelligi vult?* R. De Mediatore quærit, qui Deum homini, offensum offendenti, interpositâ satisfactione reconciliet. Vide *Esa.* 59: 2. Sicut consequenter etiam *intelligi vult Liberatorem*, qui offendentem ab exitio, in quod ex justissima offensæ partis indignatione & ira inciderat, oblatô λύτρῳ vindicet atque liberet, *Col.* 1: 20. *Matth.* 1: 21. *Luc.* 1: 71.

Quid Mediator sit?

Quid Liberator?

Qualem quæri oporteat?

II. Q. *Qualem igitur quæri oportet Mediatorem & Liberatorem?* R. In illô hæc tria requiri: I. Verum esse

esse hominem. II. Perfectè justum esse. III. Simul verum esse Deum.

III. Q. *Quid docere vis phrasi; verum esse hominem?* R. Mediatorem nobis quæri talem, qui eandem cum redimendis naturam, & quidem *ex uno*, *Heb.* 2: 11. communem habeat; eamque integram, anima rationali & corpore organico constantem, nostræ omnium *per omnia similem, exceptô peccatô*, *Heb.* 2: 17. & 4: 15. 1. *Qui sit verus homo.*

IV. Q. *Quid hîc significat, perfectè justum esse?* R. Duo. I. Necesse esse, ut Mediator labis homini congenitæ & omnis peccati prorsus sit expers, totus & per omnia ad legis præscriptum compositus. Qua de re significanter Apostolus; *Talis*, inquit, *nos decebat Sacerdos:* ὅσιος, *sanctus*, in quo enixus amor atque studium boni: ἄκακος *vitiô carens:* ἀμίαντος, *impollutus*, immunis à reatu, in quo nascuntur filii Adæ: κεχωρισμένος ἀπὸ τῶν ἁμαρτωλῶν *separatus à peccatoribus*, qui cum peccatoribus non communicavit unquam in peccato: ut proinde aliena peccata aliter ejus dici non possint, nisi quia, sponsione facta, illa suscepit luenda. II. Necesse esse, ut jus habeat gloriam possidendi, propriô non indigens meritô. Unde Apostolus de Servatore nostro testatur, quòd *pro gaudio proposito*, quod ipsi in promptu, neque adeò ceu præmium obedientiæ meritô consequendum erat, *sustinuerit crucem*, &c. *Heb.* 12: 2. 2. *Qui sit perfectè justus homo. Id quod duo significat.*

V. Q. *Quando Catech. Mediatorem quæri jubet, qui simul verus sit Deus, quare non satis habet dixisse, qui sit Deus?* R. Addit ἐπίδετον διακριτικὸν *Verum*, ut intelligamus Deum, non λεγόμενον, 1 *Cor.* 8: 5. sed φύσει naturâ talem, *Gal.* 4: 8. Q. *An emphasin & rationem aliquam habet particula illa, simul?* R. Omninò. Significat enim, requiri Mediatorem, qui verus ac perfectè justus homo atque verus sit Deus *in una persona*. Quæstio enim est de Mediatore, non Mediatoribus. Et Scriptura, ubi Mediatorem exhibet, de eo non nisi ut uno loquitur; imò multis in locis sermonem de Mediatore habens disertè unitatis numerum addit, 1 *Tim.* 2: 5. 2 *Cor.* 5: 15. & 11: 2. 1 *Cor.* 8: 6. *Rom.* 5: 17, 19. *Matth.* 23: 8. Q. *Quare addit*, & *tamen omnibus* 3. *Qui sit simul verus sit Deus. Quare verus? Quare simul?*

creaturis potentior? R. Cùm proxima Quæstione negâsset, esse vel in cœlo, vel in terra, creaturam, quæ pro nobis satisfacere possit, hoc in antecessum rationis locô interserit, quare Mediator, qui hactenus verus atque perfectè justus est homo, simul verus debeat esse Deus: idem ampliùs confirmaturus in sequentibus.

Quæstio XVI.

Cur necesse est, eum verum hominem & quidem perfectè justum esse?

Quia justitia Dei postulat, ut eadem natura humana, quæ peccavit, ipsa pro peccato dependat, qui verò ipse peccator esset, pro aliis dependere non posset.

ANALYSIS.

In Mediatore requiri

I. *Verum esse hominem*, probat argumento à causa impulsiva desumpto, quæ est justitiæ postulatum 1. positum, *Quæ natura peccavit, eadem pro peccato dependat.* 2. Applicatum: Atqui *humana natura peccavit*; Ergò.

II. *Perfectè justum* hominem, ostendit ex causa impediente satisfactionem; *Qui verò ipse peccator esset, &c.*

Quæstio XVII.

Quare oportet eum simul etiam verè Deum esse?

Ut potentiâ suæ divinitatis onus iræ divinæ carne suâ sustinere, nobisque

que amissam justitiam & vitam reparare, ac restituere possit.

ANALYSIS.

In Mediatore requiri, *esse simul verè Deum*, probat ex tribus ἀποτελέσμασι, sive effectis officii mediatorii.

Primum est, *Potentiâ suæ divinitatis onus iræ divinæ sustinere.*

Secundum, *amissam justitiam & vitam reparare.*

Tertium, justitiam & vitam reparatam communicare, *ac restituere.*

EXEGESIS.

Quæstionum XVI. & XVII.

Scopus.

Q*Uid Catech. hisce Quæstionibus intendit?* R. Seorsim & distinctè demonstrat necessitatem eorum, quæ proxima Quæstione XV. in Mediatore requisivit.

Demonstratur prima conditio in Mediatore requisita.

II. Q. *Quamobrem igitur Mediatorem oportet verum esse hominem?* R. Quia, ut Catech. responderi vult, justitia Dei postulat, ut eadem natura humana, quæ peccavit, ipsa pro peccato dependat. Vide dicta ad Quæst. XIV. ex *Ezech.* 18: 4, *&c.* Obj. *Sic cautsa peccatoris erit desperata, Mediatorem non admittens: quia juxta testimonium prophetæ, anima peccans morietur, justus pro injusto mortem oppetere non potest.* R. Id equidem verum fateor de homine nihil, nisi quæ nudi hominis sunt, habente, qualem etiam intelligi postulat textus propheticus. Sic verò non intercluditur spes mediationis, quam facit *altitudo divitiarum & sapientiæ & cognitionis Dei:* quandoquidem verum est, dari posse peccatori vadem, qui habeat atque præstet omnia, quæ ab idoneo Mediatore hactenus requirimus, quique adeò persona sit extraordinaria, neutiquam illis, de quibus propheticum sonat testimonium, accensenda.

Demonst. secunda conditio.

III. Q. *Quare Mediatorem oportet esse justum hominem?* R. Eô requisitô duo significari dictum est ad 85
Quæst. XV. utriusque verò necessitas defenditur hôc argumentô Catech. *Qui ipse peccator esset, pro aliis dependere non posset.* In foro quidem humano etiam fidejubere potest qui ipse debitor est, quia forte æri alieno aliquid superat. At in foro Dei qui vel uno peccato admisso factus est debitor, neutiquam quod ipse debet persolvere, nedum pro aliis fidejubere potest. *Omnis qui facit peccatum, servus est peccati, Joh.* 8: 34. 2 *Pet.* 2: 19. Hac servitute peccator expediri non potest, nisi *peccatô in carne condemnatô, Rom.* 8: 3. Atqui peccatum condemnare non potest, nisi qui peccati prorsus est expers. Quid? quòd peccato cuique pœna debetur æterna: pœnam verò alienam quomodo dependet, qui suam perferre non potest? Q. *Nondum video, quare Mediator justus debeat esse alterô illô significatu, quô justus notat jus habentem possidendi gloriam?* R. Quomodo gloriam æternam aliis promerebitur, qui perfectè justus non est, neque adeò anteà gloriam sibi habendi jus possidet? *Heb.* 12: 2.

Demonst. tertia conditio tribus argumentis.

IV. Q. *Quare Mediatorem oportet simul verè Deum esse?* R. Necesse est Mediatorem Deum inter & hominem esse Deum & hominem, non tàm ut distet utrinque, quàm ut familiariter utrinsecus agat, familiaritate nisi inter æquales naturâ locum non inveniente. *Quis alioqui in fidem suam recipiat cor suum, ut accedere ausit ad Deum? Jer.* 30: 21. Verùm tria alia necessitatis argumenta affert Catech. quæ distinctiùs expendisse operæ pretium fuerit.

1. *Argumentum.*

V. Q. *Quodnam est primum?* R. Ut potentiâ suæ divinitatis onus iræ divinæ carne sua sustinere possit. *Onus* dicitur, quicquid molesto gravitatis sensu premit ferentem, sive refugienti & invito imponatur, sive spe certa commodi inde proventuri sponte suscipiatur. Ira Dei peccatori *onus* est, quia reluctantem onerat; sed onus *intolerandum*, quia illi ferendo viribus usque adeò est impar, ut ne minimum quidem iræ divinæ ardorem perferre valeat, etiamsi hominum sit potentissimus, uti colligere est ex *Psal.* 2: 12.

Infert

Infert enim ira Dei in peccata pœnam infinitam, quæ nihil nisi tristitiam, anxietatem, horrorem atque desperationem affert peccatori. Quando David, *pravitates*, inquit, *meæ excedunt caput meum; ut onus grave graviores sunt, præut ego sustineam*, *Psal.* 38: 5. sensit, se reatum illarum sustinere non posse, ut satisfaciat, ubi Deus juxta legis postulatum exigere velit pœnam: sed eo sensu afflictus solamen è φιλανθρωπίᾳ Dei & spe redemptionis sibi paratum noverat. Intolerandi oneris argumenta evidentissima sunt ineffabiles illi terrores, qui in Christum incubuere, de quibus alibi. Hinc Prophetia Mediatorem prædicat *Rupem salutis*, *Deut.* 32: 15. *Deum victorem*, *Esa.* 9: 5. Qui de se illud verissimum dicere potest; *Salutem mihi fecit brachium meum*, potentia divinitatis, carnem sub onere iræ divinæ laborantem sustentans, &c. *Esa.* 63: 1.

VI. Q. *Quodnam est secundum?* R. Ut amissam justitiam & vitam reparare posset. Q. *Ubi & quando amissa justitia & vita?* R. In Adamo *constituti sumus peccatores*, *Rom.* 5: 19. amissa cum imagine Dei etiam spe justitiæ & vitæ, quam Adamus, si juxta fœderis operum conditiones in officio faciendo perseverâsset, non tantùm sibi adepturus, sed etiam in posteros suos propagaturus erat. Q. *Quî vero hoc?* R. Cùm Adamus feliciter superata tentatione haud minùs, quàm Angeli qui steterant, confirmandus, certò *semen* habiturus fuerit *sanctum*, h. e. imagine Dei donatum, *Mal.* 2: 15. etiam hinc futurum erat, ut posteri ejus obedirent, atque ita felicitatis Adami hæredes & consortes forent. Nunc quia, omni illa spe vitæ intercluſa, per opera legis non ampliùs datur justitia, *Rom.* 8: 3. justitiam nobis & vitam, justitiæ præmium, acquirere non potest, nisi qui verè divinâ præditus sit potentiâ, atque adeò verè Deus: 1. Ut satisfactio, quam justitiæ reparatio requirit, infiniti sit valoris, ex infinita dignitate personæ satisfacientis. 2. Ut fieri possit Dominus redemptorum: hique de salute parta certam habentes fiduciam atque gloriantes, non confidant neque glorientur nisi in Jehova. *Esa.* 45: 25. 2. *Argumentum.*

VII. Q. *Quônam prætereà argumentô demonstras*, 3. *Argumentum.*

potentiam in Mediatore requiri verè divinam? R. Ut justitiam & vitam hactenus partam *nobis restituere possit.* Neque enim reparâsse tanta bona satis est, nisi etiam reapse fruenda nobis communicentur. Eò necesse est Mediatorem verum esse Deum, qui 1. sibi datos & redemptos secum possit unire per Spiritum S. ut in ipso justitiæ & vitæ communionem habeant. 2. Naturam corruptam restaurare, mentem illuminare, cor lapideum auferre, redemptorum salutem tueri, mortuos resuscitare & glorificare, &c. quæ sanè totidem divinæ potentiæ & gloriæ, nullatenus abalienandæ, opera sunt.

Quæstio XVIII.

Quis autem est ille Mediator, qui simul est verè Deus, & verus ac perfectè justus homo?

Dominus noster Jesus Christus, qui factus est nobis sapientia à Deo, justitia, sanctificatio, & redemptio.

ANALYSIS.

I. In Quæst. Cat. idoneum Mediatorem, hactenus definitum, dari supponens, quærit de definitionis applicatione; *Quis est ille Mediator?*

II. In Resp. I. Illum cui definitio idonei Med. convenit, tribus nominib. atque titulis exhibet; *Dominus noster Jesus Christus.* II. Jesum esse idoneum illum Med. probat

A. Testimonio speciali ex 1 *Cor.* 1: 30. responsioni inserto: in quo observ. 1. Ordinatio-

tionem ab æterno & exhibitionem ejus in tempore factam; *qui factus est nobis à Deo.* 2. Officium Mediatorium, intelligendum ex variis effectis & beneficiis, quæ ab ipso parta in nos conferuntur, *Sapientia, Justitia, &c.*

B. Testimonio generali totius Evangelii Quæstione sequente.

EXEGESIS.

Nexus.

Q*Uid mones de hujus & præcedentium Quæst. cohærentia?* R. Hucusque de idoneo Mediatore in thesi, nunc descendit Catech ad hypothesin, Mediatorem quæsitum exhibiturus. Enimverò parùm hactenus profecisset Catechumenus, nisi audire posset dicentem; *Ecce agnus Dei, qui tollit peccata mundi! Joh.* 1:29. Item, *veni & vide*, v. 47.

Mediatorem hactenus quæsitum exhiberi in Domino nostro J. Chr. probatur

II. Q. *Quis igitur est ille Mediator?* &c. R. Dominus noster, Jesus Christus. De quibus nominibus atque titulis infrà ad Quæst. XXIX. & seq. Q. *Hunc, non alium, agnoscendum esse Mediatorem, unde demonstras?* Primùm disertis Scripturæ testimoniis, hunc unum Mediatorem exhibentibus, qualia bene multa reperire est. Q. *Audiam aliqua saltem selectiora.* R. Apostolus, *unus*, inquit, *est Deus, unus & Mediator Dei & hominum, homo Christus Jesus*, 1 *Tim.* 2:5. Q. *Hominem audio Mediatorem, non qui simul sit verus Deus?* R. Hominem dixit, non ut Deum esse negaret, sed ut propinquum nobis ostenderet, atque adeò eatenus verè Mediatorem esse persuaderet. Idem *Testamenti N. Mediator* appellatur, *Heb.* 9:15. Q. *Quid Mediatori cum Testamento? nonne διαθήκην hîc loci commodiùs vertitur fœdus?* R. Rectè verti Testamentum ostendunt versus 16, & 17. Cæterùm Christus Testamenti Mediator pariter & Testator est. Mediator quidem, quia ejus morte bona testamentò danda fuerunt parta. Testator verò quia testamentum ab ipso conditum, ipsiusque morte interveniente ratificatum est & executionem habet,

I. *Testimoniis S. Scripturæ.*

Quo sensu Christus Mediator Testamenti.

bet. Christum porrò testatorem esse facilè probo ex *Zach.* 6: 13. & *Luc.* 22: 29. Q. *Suntne tibi alia in promptu testimonia, quibus institutum probes?* R. Huc facit egregium illud Apostoli, quod Catech. responsioni suæ insertum voluit; *Qui factus est nobis sapientia à Deo, &c.* 1 *Cor.* 1: 30. h. e. qui secundùm gratiam & voluntatem Dei, hunc nobis Mediatorem dantis, omninò extitit, & reipsa compertus est sapientia, justitia, sanctificatio & redemptio. Q. *Quomodo Sapientia?* R. Non tantùm *efficienter*, ut sapientiæ Auctor & Doctor: sed etiam *objectivè*, uti scholæ loquuntur, quippe cujus cognitione, fide & cultu demùm verè sapientes sumus. Vide 1 *Cor.* 2: 2. Q. *Quomodo Justitia?* Bz. Sapientia quô dictum est modô fieri non potuerat, nisi idem nobis factus esset *Justitia.* Neque enim ideò recta & sancta nos docet, ut ea facientes justi habeamur coram Deo; verùm ipsemet nobis est Justitia, *Jer.* 23: 6. 2 *Cor.* 5: 21. Q. *Quomodo Sanctificatio?* R. Ut in Christo inveniamur, & in ipso justificemur, dat Spiritum fidei, eôque datô nos sibi unit, & magis magisque sanctificat, &c. Hæc porrò sanctificatio non nostræ opis & industriæ fructus est, sed in solidum illius gratiæ in nos exuberanti debetur, quapropter nobis etiam factus dicitur Ἀπολύτρωσις *Redemptio:* qui nos alienos, captivos, peccati servos, hostes, odiosos, in lapsibus mortuos, &c. liberavit, vindicavit, sibique proprios emit, ut per Spiritum suum in nobis vivat atque glorioſus regnet in æternum. Obj. *juxta hanc interpretationem Apostolus non videbitur ordinem sequi naturæ in recensione istorum beneficiorum.* R. Ordine utitur retrogrado. *Redemptio* fons est, unde proximè manat fidei datio, quæ *sanctificationis* est initium. Fide accipimus Christum, qui *Justitia* nostra. Eadem fide proficimus ad *sapientiam*, in qua cumulatissima est veritatis, nominis atque gloriæ divinæ manifestatio, eâque dignum studium quærendi & inveniendi Finem atque Bonum suum.

Quomodo Christus nobis factus sapientia à Deo, justitia, sanctificatio & redemptio.

III. Q. *Suntne tibi præter Scripturæ testimonia alia etiam argumenta, quibus tanti momenti veritatem confirmes?* Bz. Non alium inveniri posse *Oratorem*, qui hominem *gratiâ complectatur ac dicat Deo; redime ipsum,*

II. Argumentô: quia in ipso con-

ne *descendat in foveam; inveni lytrum*, *Job.* 33: 23,24. demonstratur eô, quòd in solo Domino nostro Jesu Christo tria illa idonei Mediatoris requisita concurrant; quorum haud dubiè recens tibi memoria est. *currunt idonei Mediat. requisita.*

IV. Q. *Dixisti, in Mediatore requiri I. verum esse hominem: talem esse Dominum nostrum J. C. qui doces?* R. Hîc ne longus sim in veritate testatissima, pauca allegabo. Apostolus Christum nobis κατὰ πάντα *similem factum*, testatur *Heb.* 2: 17. *exceptô peccatô*, *Heb.* 4: 15. Hinc octogies bis in N. T. *Filius hominis* appellatur, phrasi verisimiliter ex *Psal.* 8: 5. desumptâ, coll. *Heb.* 2: 6. In Scriptura *filii virî*, & *filii hominis*, dicuntur homines *magni* & *plebeji*. Unde Hebræorum Magistris notatum, Ezechielem nonagies bis *filium hominis* fuisse compellatum, ne naturæ & conditionis humanæ oblitus, tot admirandarum revelationum gratiâ, quâ Deus ipsum, quasi Angelorum consortem, dignatus est, insolesceret. Etsi verò nomen *Filii hominis* hoc sensu expositum κενώσει & humilitati Christi non inconveniens videatur, attamen haud paulò significantius est, quippe, ut satis constat historiam Evang. legenti, peculiariter & ἀνδρομαστικῶς Christo toties tributum, ut quasi studiô affectatum videri possit. Designat igitur *puerum illum natum nobis*, *filium illum datum nobis*, *Esa.* 9: 5. & *germen Davidis justum*, *Jer.* 23: 5. & 33: 15. verum illum גאל ἐπιλήπτορα, *cognatum hominem*, *suorum vindicem*: quem sub nomine *feminis* Deus quondam patribus promiserat. Videsis plura ad Quæst. 35. 1. *Verus est homo.*

V. Q. *Dixisti in Mediatore requiri II. perfectè justum esse hominem: quomodo hoc de Christo verum esse ostendis?* R. Etiam in hoc argumento multa est Scriptura. Vide modo *Jer.* 23: 5. *Luc.* 1: 35. *Heb.* 7: 26. *Hab.* 2: 4. *Esa.* 53: 9. 1 *Pet.* 1: 19. Unde discis, Christum sanctum & sine labe natum, etiam sanctissimè & inculpatè vixisse, ut præter ipsum nemo de se prædicare posset, *etiam de nocte erudiverunt me renes mei*, h. e. etiam intimi & abditissimi motus mei sanctitati & legi divinæ fuere conformes, *Psal.* 16: 7. Validissimum haud dubiè inculpatæ vitæ testimonium est, quod hostes & calumniatores, acutum cernentes, si conscientiam audi- 2. *Perfectè justus est.*

re

re velint suam perhibere coguntur. Atqui Christo ea innocentiæ fiducia fuit, ut ad hostium acerrimorum testimonia provocârit; *Quis ex vobis redarguit me de peccato? Joh.* 8: 46.

3. Simul est verus Deus.

VI. Q. *Unde probas, J. Christum* III. *simul esse verè Deum?* R. Unum atque alterum Scripturæ testimonium in eam rem citâsse sufficiet hoc loco, quia eadem veritas ex aliis occasionibus probanda recurret alibi. Christus non tantùm *fructus terræ est*, i. e. homo, sed etiam *germen Jehovæ*, *Esa.* 4: 2. quod *desubter se*, ex se ipso & virtute ac vitâ suâ, *germinabit*, *Zach.* 6: 12. Talem autem reapse esse Jesum, qualem hæc prophetia depingit, testem do Apostolum, cui *extitisse* dicitur ex *semine Davidis secundùm carnem*, sed *definitè notatus Filius Dei in potentia*, *secundùm Spiritum Sanctitatis*. *Rom.* 1: 3, 4. Adde *Act.* 20: 28. *Rom.* 9: 5. 1 *Joh.* 5: 20. Et de J. Christo exaudiendum est illud Apostoli; *Tu in initio, Domine, terram fundasti, & opera manuum tuarum sunt cœli*, &c. *Heb.* 1: 10, 11, 12. Indignationem pariter & risum meritò nobis movet inepta Catechetæ Racovienſis diligentia, quando ad loci hujus sensum, ut mos est, eludendum, Catechumeno suo in compendio Religionis suggerit responsionem, quæ 5 folia implet: & tandem, cùm prolixa oratione contendisset verba authoris Epistolæ non ad Christum referenda esse, cohærentiæ & veritatis evidentiâ victus, verba quodammodo etiam ad Christum referri posse concedit, quatenus nempe verum sit, mundum propter Christum esse conditum. *Sect.* 4. *de Persona Christi cap.* 1. Quasi verò cœlos & terram, tanquam *opera manuum suarum*, condidisse dici possit is, propter quem solùm, sive cujus commodo qualicunque ea facta creduntur. Quando Theologi docent, propter electos mundum esse conditum, an ferrent dicentem, *cœlos & terram esse opera manuum* Electorum?

Notatur ineptum studium Catechetæ Racovienſ. in eludendo ſenſu loci, Heb. 1: 10, *&c.*

Christus simul, in una persona, Deus & homo est.

VII. Q. *Quomodo tandem, quod de adverbio* simul *monuisti, etiam in J. Christo verum esse doces?* R. Scil. quæ hactenus de *humana natura*, *perfecta justitia* & *divinitate* J. Christi edisseruimus, Jesu Christo attribuuntur in una indivisa persona, præcipuè ubi Scriptura per com-

communicationem idiomatum de ipso enunciat, quæ divinæ & humanæ naturæ propria sunt. Q. *Quid est communicatio idiomatum?* R. 1. Veritas denominationis personæ ab utraque natura, quippe utramque habentis & per utramque agentis. Sic *Deus*, *Filius Dei*, *Homo*, *Filius hominis*, &c. appellatur. 2. Veritas prædicationis eorum, quæ sunt utriusque naturæ, de persona ab alterutra natura denominata. Exempla vide 1 *Joh.* 1: 1. *Luc.* 18: 31. *Joh.* 3: 11. *Act.* 20: 28.

Quid & quotuplex communicatio idiomatum.

VIII. Q. *An Christus secundùm utramque naturam Mediator est?* R. Imò. Ex Scholasticorum lacunis promanavit error illius, qui *Christum esse Mediatorem tantùm secundùm humanam naturam*, statuit. Idem enim *Lombardum l.* 3. *sentent. dist.* 19. & *Thomam p.* 3. *q.* 26. *a.* 2. docuisse constat: an ut eo colore fidem Ecclesiæ suæ de Angelorum Sanctorumque demortuorum mediatione faciliùs tueantur: & Filiô Dei in V. T. nondum incarnatô, patribus Mediatorem defuisse, atque adeò cœlo exclusis in limbo commorandum fuisse persuadere possint? Nèque juvat Bellarminum ad declinandam istius sententiæ invidiam arguta distinctio principii *Quod* & *Quô*: quando statuit; *principium* quod *operabatur opera Mediatoris*, *non fuisse Deum solum*, *vel hominem solum*, *sed utrumque simul*: *principium tamen* quô *illa opera à Mediatore fiebant*, *fuisse naturam humanam*, *non divinam. Cap.* 1. *de Christo Mediat. l.* 5. Atqui licèt Christus una tantùm persona sit, & quidem divina, unumque proinde principium *quod*, nihilominùs opus Mediatoris per utramque naturam efficitur: quale est; *suscepta sponsione carnem assumere*; *sanctificare*; *docere sive testari ad fidem in ipso reponendam*; *offerre victimam*; *Heb.* 9: 14. *Joh.* 10: 17, 18. *resuscitare carnem è mortuis*; *remittere peccata*; *dare Spiritum S. unire Deo in se tanquam capite*; *salvare*, *&c.*

J. Christus Mediator secundùm utramque naturam.

Quæ-

Quæstio XIX.

Unde id scis?

Ex Evangelio, quod Deus primùm in paradiso patefecit, ac deinceps per Patriarchas & Prophetas propagavit, sacrificiis reliquisque ceremoniis Legis adumbravit. Ad extremum verò per Filium suum unigenitum complevit.

ANALYSIS.

I. Quæritur, quô mediô argumentum, quô utitur Catech. in Quæstione præced. nobis innotescat & ad fidem confirmetur: *unde* &c.

II. In Resp. notificationis medium I. Exprimitur nomine *Evangelii.* II. Describitur ex distinctione temporum & graduum œconomiæ divinæ, quibus gratia Evangelica variè manifestata est; quô spectant 1. Prima ejus patefactio. 2. Propagatio. 3. Adumbratio. 4. Completio. Quæ singula suis causis principalibus, instrumentalib. &c. describuntur.

EXEGESIS.

Nexus. Q*Uis Catechetæ scopus in hac Quæst. & Resp.* R. Ostendere quô mediô certa nobis fides fiat de veritate, quam proxima Quæstione asseruit, nim. Jesum reapse nobis *factum esse sapientiam à Deo, justitiam, sanctificationem & redemptionem*, atque adeò Chri-

Christum & Mediatorem unicum. Q. *Quodnam igitur est illud medium?* R. Evangelium. Q. *Qualis est ista vox origine sua & significatu?* R. Græca, ex εὖ & ἀγγέλω conflata, *lætum nuncium*, aut *læti nuncii præmium*; vel etiam *sacrificium* pro rei feliciter gestæ narratione oblatum, significans apud Homerum, Isocratem, & alios. Verùm Scriptores N. T. eam vocem non ab authoribus profanis, sed à LXX. Interpretibus mutuati sunt, qui verbum Hebr. בשר & nomen בשורה per εὐαγγελίζεσθαι & εὐαγγέλιον reddidere: ut videre est *Esa.* 52:7. Est etiam ubi בשורה *boni nuncii præmium* significet, 2 *Sam.* 4:10. LXX. εὐαγγελία, Judæi, quando fatente Elia Lev. Germ. in Lexico Thisbi, הכבו שמו אין גליון in se dictum ostendunt illud *Psalmi* 109:18. *Induit maledictionem instar togæ suæ*, &c. Hîc autem *Evangelii* nomen denotat verbum Dei de gratia, justificatione, & vitæ æternæ donatione: quô quidem verbô nihil gratius, nihil suavius, lætius nihil perturbatis animis obtingere potest. *Evangelii nomen quale sit originе & significatu.*

II. Q. *Verbum istud gratiæ quando notificatum fuit?* R. Pro diversis temporum vicibus & intervallis diversimodè etiam innotuit. Unde Catech. Evangelium, ut est verbum sive notificatio gratiæ, secundum tempora & varios dispensationis divinæ gradus distinguit. Antequam complementum accepit in diebus Messiæ exhibiti dicebatur ἐπαγγελία *promissio*, eratque προευαγγελισμὸς, q. d. *anticipatum Evangelium*, & patres προευλπικότες, *Rom.* 1:2. *Eph.* 1:12. Nunc idem gratiæ verbum Christi exhibitione impletum stricto sensu dicitur Evangelium, prout est *rei gestæ annunciatio*. *Verbum gratiæ in promissione.*

III. Q. *Quandonam omnium prima verbi gratiæ revelatio facta?* R. In Paradiso: *Gen.* 3:15. *Inimicitiam ponam inter te & inter mulierem*, &c. Hoc verbo promissionis aperitur & notificatur testamentum gratiæ: estque hoc verbum quasi fons omnium gratiæ promissionum, per universum Scripturæ latifundium dimanans, ut quicquid unquam de gratia dictum est, cum hoc verbo conjungatur, tanquam id ipsum supponens & comprehendens, ac ejusdem explicatio quædam & *Primò notificatum in paradiso.*

applicatio. Quin imò hoc totius Scripturæ S. thema est, cujus commentaria sunt Scripta Mosis, Prophetarum, &c. Cæterùm prolixam & doctissimam hujus oraculi expositionem vide apud Cel. Coccejum ad *Gen.* 3: 15. & *Sum. Theol. cap.* 40.

Propagatum deinde per Patriarchas & Prophetas.

IV. Q. *Quî verò deinceps idem gratiæ verbum fuit dispensatum?* R. Per Patriarchas & Prophetas fuit propagatum, ita quidem, ut ejus mysteria usque & usque clariùs effulserint, variè elucidatis rei promissæ circumstantiis, &c. Q. *Quos dicis Patriarchas?* R. Capita familiarum, in quibus Deus verbum salutis ἄγραφον ante Mosis tempora conservari & propagari voluit ad posteros, in quibus etiam erat semen electum mulieris. Tales fuere Adam, Seth, Enoch, Noah, Sem, Heber, Abraham, &c. quos Deus liberis & posteris doctores atque rectores dedit. Q. *Habesne hujus rei argumentum?* R. Diserte Deus de Abrahamo, *cognovi ipsum*, inquit, h. e. rationem ejus habui, eumque amavi, conf. *Amos.* 3: 2. *Psal.* 101: 4. *ut præcipiat filiis suis & domui suæ post se, & observent viam Jehovæ, &c. Gen.* 18: 19. Neque dubium est, quin etiam cæteris patribus ante diluvium idem officii à Deo fuerit mandatum: *tum* quia Deus parentibus passim liberorum institutionem & directionem commendat, unde legem Dei Salomo etiam *legem patris & matris* dixit. *Prov.* 1: 8. *tum* præcipue, quia facile constat, Patriarchas, qui vixerunt ante diluvium, fuisse Prophetas, ut Enochum, *Judæ v.* 14. Lamechum, *Gen.* 5: 29. &c. Quosdam etiam elogio præconum justitiæ, & divino testimonio ornatos, ut Enoch, Noah, *Heb.* 11. Adde, eopte fine Deum illis etiam dedisse esse tàm longævis, ut verbum gratiæ incorruptum ad seros usque posteros propagare possent. Quemadmodum Deus Mosi, Josuæ & Calebo, *Deut.* 34: 7. *Jos.* 14: 10, 11. & 24: 29. singulari beneficio vitam prorogavit, ut Israëlitis Cananæam ingressis vel ingressuris testes fierent oculati rerum in exitu ex Ægypto & in deserto gestarum. Sic exempli causâ, Adamo dedit annos vivere 930. ut quod ex ore Dei audiverat πρωτευαγγέλιον, ipsissimis Dei verbis etiam longissimâ generationum serie pòst nascituris referre,

Patriarchæ.

Patriarchæ Doctores familiarum suarum, &c.

Quare Deus illis dederit esse tàm longævis.

referre, & ubi quis idem perperam recenseret, vel falsitatis admistione adulteraret, narrationis vel expositionis vitium corrigere posset. Miraculô factum, ut Israëlitis totos 40. annos in deserto degentibus vestimenta non veterarent, &c. *Neh.* 9: 21. Quantò verisimilius est, Deum curam conservandæ religionis miraculô comprobare voluisse? Ut proinde frustrà sint, qui longævitatis illius causas requirunt naturales, velut in simplicitate victûs, gulæ artificia nesciente; in alimentorum cœlique salubritate; in perpetuo vere ex axium Æquatoris & Eclipticæ parallelismo, &c.

V. Q. *Quia idem gratiæ verbum per Prophetas quoque propagatum dicis, quosnam vocas Prophetas?* R. Prophetam lingua Sancta appellat נביא à verbo נבא quod notat *actum à Spiritu Dei loqui*, 2 *Pet.* 1: 21. 1 *Sam.* 10: 11. Quare non tantùm futurorum prænunciator, sed & omnis verbi divini ad se facti pronunciator Propheta dicitur. Alias nominis & verbi significationes hîc omitto. In Prophetis porrò distingui possunt χάρισμα sive *donum prophetandi* & *munus* in Ecclesia *publicum*. Considerandi deinde *modi revelationis*, *notæ* vel κρίνρια, *adjuncta*, &c. quæ quia ab instituto nos longiùs avocarent, aliunde repetenda relinquimus. *Propheta quis dicatur.*

Q. *Quid igitur de Prophetis hôcloco tenendum mones?* R. Inter præcipuas muneris prophetici partes fuisse, sedulò repetere, declarare, & inculcare doctrinam veræ justitiæ in Messia, semine illo benedicto, consequendæ; eâque doctrinâ, veluti pluviâ aut rore fœcundo, populum ad omnem χρείαν τῆς οἰκοδομῆς clementer, assiduè & cujusque ad captum irrigare & quasi perpluere: unde טיפים *stillantes* dicti Prophetæ, *Ezech.* 21: 2, 7. *Mich.* 2: 6, 11. Hinc in Prophetarum Scriptis sermo frequentissimus de *persona*, *adventu*, *officio*, *statu*, *beneficiis Messiæ*, *fide in ipsum*, &c. Isque sermo subinde tàm distertus, ut Prophetæ non tàm vaticinari futura, quàm narrare gesta Christi videantur, quasi testes oculati, turbæ mixti, Christo passim adfuissent. Unde, quod Prophetis familiare fuit, gaudia & exultationem eorum, qui prædictorum implementa erant visuri in N. T. anticipârunt, eorumque *Præcipua muneris prophetici pars.* 1. *Instillare doctrinam veræ justitiæ in Messia consequendæ.*

verba, de rebus futuris loquentes, assumserunt, vel certè illis verba præformârunt. Eandem doctrinam, quæ clavis instar habebat, sicubi à Sacerdotibus & Scribis neglecta vel corrupta forer, à contemptu & corruptela vindicare, etiam officii erat Prophetici. Vide *Jer.* 8: 8. *Mal.* 2: 7. *Luc.* 11: 52.

2. *Eandem doctrinam à contemptu & corruptela vindicare.*

Verbum gratiæ adumbratum Legis cæremoniis.

VI. Q. *Quando insuper verbum gratiæ sacrificiis reliquisque cæremoniis legis adumbratum dicis, quæram ante omnia, quid nomine Legis intelligas?* R. Totum illum sermonem per Mosen promissioni superadditum, qui continet partim præcepta morum, partim præcepta rituum; & lex dicitur in oppositione nudæ promissionis. Q. *Quid sunt cæremoniæ Legis?* R. Ritus externi Israëlitis divinitus præscripti, cùm in vita, quà publica, quà privata; tùm præsertim in sacris, sive cultu divino, servandi. Q. *Quotuplices igitur erant cæremoniæ?* R. Duplices aliæ quidem erant *usûs publici*, in cultu solenni ab universis: aliæ *usûs privati*, à singulis sive domi suæ, sive foris versantibus, observandæ. Ita Deus gentem Israëliticam undiquaque repagulis quasi perpetuis cohibuit, & continuo veluti legis sepio inclusit, ut nihil vel publicæ vel privatæ rei, nisi Deô arbitrô, agere possent.

Quid, & quotuplices sint cæremoniæ.

Quis cæremoniarum V. T. usus.

VII. Q. *Quis erat cæremoniarum usus?* R. Multiplex: Unus è præcipuis quidem, quem unum quoque Catechetes prò instituti ratione attendit, hic erat, ut nim. *adumbrarent* bona futura, piosque in exspectatione Christi venturi continerent. Unde dicuntur *umbra futurorum, corpus autem Christi esse, Col.* 2: 17. Q. *Qualem intelligis umbram?* R. Non *solarem*, quam corpus opacum parte suî à sole aversâ spargit; sed quam *pictor* corpus delineando facit. Apostolo enim constitutum est docere, legis cæremonias præsente corpore evanescere, id quod de umbra solari dici nequit. *Imagine opus non est*, inquit Hieron. ad locum, *veritate præsente.* Nunquid imaginem Regis inspiciendam requirit, cui Regem coràm intueri datum est? Typorum ergò V. T. quædam erat prophetia, & cæremoniæ visibile quoddam quasi verbum erant: ut in iis Judæi spectarent, quæ in promissione audita exspectabant. Sic in sacrificiis

ficiis hilasticis mortem Christi vicariam, verumque & unicum sacrificium expiatorium prospiciebant fideles. Atque eô pactô ceremoniæ non tantùm habebant usum legalem in *commemoratione* & *exprobratione* peccati, necdum verô sacrificiô expiati, *Heb.* 10: 3, 18. Verùm etiam Evangelicum & sacramentalem: sacra quippe *signa* erant, mysterium Dei indicantia, & *sigilla fœderis gratiæ*, statui fidelium sub œconomia legali accommodata. Unde *Chirographum in placitis* ὑπεναντίον ἡμῖν, *subcontrarium*, non omni modo contrarium, appellat Apostolus. *Col.* 2: 14. *Ceremon. usus legalis & Evangelicus.*

VIII. Q. *Estne amplius, quod de Evangelio, sive verbo gratiæ, moneas?* R. Supereſt ejus implementum: de quo Catech. *ad extremum verò per Filium suum unigenitum complevit.* Ubi notanda complementi tempus, causa & complementum ipsum. Q. *Quandonam igitur complevit?* R. Ad extremum. Sic Scriptura אחרית הימים *extremum dierum*, dicere solet ultimos dies temporis œconomiæ Vet. Test. Apostolus vocat *novissima dierum horum*, *Heb.* 1: 1. Et dies, in quibus vivebat ipse ante occasum urbis & templi Hierosolym. appellat τὸν αἰῶνα τοῦτον: tempusque N. T. à templi occasu τὸν αἰῶνα τὸν μέλλοντα, 1 *Cor.* 2: 6. *Eph.* 1: 21. Christus ergò venit gratiæ verbo complementum allaturus, sub novissimum dierum Vet. Test. quod erat *statum tempus*, *Hab.* 2: 3. Q. *Quare Deo visum*, προευαγγελισμὸν *in paradiso auditum, ejusque complementum tanto seculorum intervallo discludere?* R. 1. Sic placuisse Deo, satis esto nobis rationis. 2. Haud dubiè, ut diuturniore experimentô carnis ἀδυναμία quantùm satis esset, revinceretur. Quapropter etiam *Legem subintrare* oportuit, *ut abundaret lapsus*, *Rom.* 5: 20. i. e. ut lapsûs Adami, qui totum præcipitaverat mundum, potentia demonstraretur. *Verbi gratiæ implementum factum.* 1. *Quandò?*

IX. Q. *Quam dicis causam complementi?* R. Unigenitum Dei Filium in carne manifestatum. Sic enim Catech. *per unigenitum*, inquit, *Filium suum*, &c. Q. *An ergò Filium Dei causam hujus implementi facit instrumentalem?* R. Præpositio illa *per* non denotat hîc causam, quæ nihil nisi instrumentum sit in manu Dei, qualem certè significat, quando Evangelium *per Patriarchas*, &c. 2. *Per quem?*

dicitur propagatum: sed *causam primariam* ἀμέσως agentem. Quemadmodum *Rom.* 11: 36. *Omnia* etiam *per ipsum*, Deum, *esse* dicuntur. Christus certè est Ἀρχηγὸς τῆς σωτηρίας, *Princeps Author salutis*, *Heb.* 2: 10. Neque tamen negem, Catechetem ea loquendi ratione etiam docere voluisse, Christum missu & mandato Dei Patris venisse, verbum gratiæ impleturum.

3. *Quomodo.*

X. Q. *Quomodo igitur Christus tandem Evangelium complevit?* R. I. Eô quòd locutus est verba Dei, quæ Deus sibi reservaverat dicenda, ad glorificationem suî, ad consolationem & plenitudinem lætitiæ, & inflammationem amoris populi sui. *Quem misit Deus, verba Dei loquitur*, *Joh.* 3: 34. Q. *Nonne etiam alii à Deo missi, ut Joh. Baptista, &c. verba Dei locuti sunt?* R. *Qui ex terra sunt, ex terra loquuntur*, ibid. v. 31. h. e. loquuntur audita, quæ quidem ministri, in terra stantes, loqui possunt. Sed Christus è cœlo est, loquens *verba Dei*, quæ non jam audivit tantùm, sed vidit, quippe conscius consilii Patris, & *unum* cum Patre: quique adeò loquitur verba Dei, ut sua. Q. *Quænam sunt ista verba, quæ nemo ministrorum in terra loqui poterat?* R. Illorum verborum Dei instar est *Esa.* 45: 22, *&c. Respicite ad me & salvamini omnes fines terræ, &c.* sic *Matth.* 11: 28. *Venite ad me, &c. Joh.* 14: 6. *Ego sum via, veritas & vita.* Qualia occurrunt quàm plurima, quæ ad implendum gratiæ verbum dicenda restabant, sed dicere nemo nisi Deus poterat. II. Eô quòd omnes Dei promissiones, imprimis illa, quâ se Abrahamo & semini ejus *in Deum fore* dixerat, *Gen.* 17: 8. In Christo *factæ sunt næ & amen.* 2 *Cor.* 1: 20. Christus proinde & illa præstitit, quæ se Deus per se solum præstiturum receperat, *Esa.* 45: 21. Ut Deus in Christo, promissa implente, nobis fieret in Deum. III. Eô quod in Christo implementum habent, quæcunque in Vet. Test. de Messia fuere prædicta & præfigurata. In ipso enim est veritas vaticiniorum & corpus umbrarum. *Joh.* 1: 17. *Col.* 2: 17.

Quæ-

Quæstio XX.

Num igitur omnibus hominibus, qui in Adamo perierant, per Christum salus redditur?

NOn omnibus: verùm iis tantùm, qui verâ fide ipsi inseruntur, ejusque beneficia amplectuntur.

ANALYSIS.

I. Explicatâ doctrinâ de liberationis possibilitate, modo & veritate. Nunc quæritur de ejus subjecto recipiente: An quæ *salus* à Christo affertur æquè latè pateat, ac *interitus*, cujus causa extitit Adamus?

II. In Resp. Catech. I. Negat salutem esse universalem, *non omnibus.* II. Eam determinat ad solos credentes, duabus rationibus, petitis à fidei effectis: 1. Quia *verâ fide* Christo *inseruntur.* 2. Quia *ejus beneficia amplectuntur.*

EXEGESIS.

Quæstionis occasio.

UNde *præsenti Quæstioni nata occasio?* R. Ex hactenus dictis. Docuit enim Catech. ex lapsu Protoplastorum universum genus humanum labem atque reatum contraxisse, atque ideò temporalibus & æternis suppliciis esse obnoxium: interim solamini esse, quòd datur Mediator, quem etiam in Jesu Christo exhibuit. Hinc jam proclive est quærere; An igitur liberatio, per Mediatorem exspectanda, æquè latè pateat ac miseria? præsertim cùm hactenus Catechetes generaliter locutus, quibus id beneficii contingat, non docuerit.

Quæstionis scopus.

II. Q. *Quis scopus Quæstionis?* R. Ostendere modum ac rationem percipiendæ salutis, cujus Mediator ille est Author. Id namque præcipuè intendit quærens; omnesne an aliqui liberationis beneficii participes fiant? frustrà enim facta esse non potest.

Salus per Christum omnibus reddi negatur: non obstante loco Rom. 5: 18. &c.

III. Q. *Num igitur omnibus, qui in Adamo perierant, per Christum salus redditur?* R. Non omnibus. Q. *An neganti non obstat illud Apostoli; Sicut per unum lapsum in omnes homines in condemnationem: ita & per unum justitiæ meritum in omnes homines in justificationem vitæ, Rom. 5: 18. adde 1 Cor. 15: 22.* R. Non obstare patet attendenti ad id quod agit Apostolus. Contendit Adamum, ut stirpem & caput suorum, qui sunt omnes ex Adamo naturali generatione nati, cum Christo ut stirpe & capite generationis supernaturalis, ad quam non omnes & singuli homines, sed οἱ Χριστῷ, *qui sunt Christi* solùm, *1 Cor. 15: 23.* pertinent: unde frustrà concludas partem utriusque progeniei latitudinem.

Duabus de causis.

Prima.

IV. Q. *Quasnam negandi rationes habet Catech.?* R. Duas, quarum unam è Scriptura supponit; alteram exprimit. Q. *Quæ igitur prima?* R. Quia ex una parte Scriptura salutem omnibus reddi negat, & paucis assignat. Vide *Matth. 7: 14, 21. & 20: 16. & 25: 34, &c.* Hinc servandæ dicuntur *reliquiæ* ex multis pereuntibus, *Esa. 10: 22. Rom. 9: 27. & 11: 5.* Hi sunt *signati* 144000. &c. *Apoc. 14: 1.* ut olim sanguis victimæ paschalis non profuit nisi illis, qui eò postes aspersissent: sic sanguis Christi illis prodest solis, *qui accedunt cum vero corde, in plenitudine fidei, aspersi corda à conscientia mala. Heb. 10: 22.*

Secunda.

V. Q. *Quænam est secunda causa?* R. Quia ex altera parte Scriptura etiam docet, quinam è multis serventur: videlicet 1. Quos Pater Christo servandos dederat, *Joh. 17: 2, 9.* Hanc rationem à *priori* desumptam Catech. reticet, propositum habens docere, quâ ratione salutis participes reddamur. Hinc affirmat 2. solos credentes servari, qui soli quoque sunt electi, Christo dati, *Act. 13: 48.*

Nos per fidem partæ salutis

VI. Q. *Nos per fidem salutis reddi compotes, unde probas?* R. Catech. duas affert rationes. I. Quia *per fidem Christo inserimur*, atque adeò in communione ejus omnium

omnium ipsius beneficiorum consortes simus, *Gal.* 3: 26, 27. *Eph.* 3: 17. *Joh.* 15: 5, *&c. Rom.* 6: 5. Cum ipso, ceu membra cum capite, unum facti, quod jus & quæ gloria capitis est, eandem & corporis universi atque adeò & nostram esse, persuasum habemus. II. Quia vera fide *Christi beneficia amplectimur.* Q. *Quomodo concludam, Christi beneficia sore mea, si amplectar?* R. Ratio concludendi petenda ex fœdere & veritate Dei. Enimverò Deus 1. Christum ejusque beneficia proponit & offert amplectenda. 2. Jubet amplecti. 3. Amplectentibus promittit Christi atque beneficiorum ejus communionem. Id quod multis Scripturæ testimoniis testatum fit. Ὃν προέθετο *quem*, Christum J. *in publico posuit Deus*, &c. *Rom.* 3: 25. Nosque ad eum accedere jussit: *accedamus igitur cum fiducia ad thronum gratiæ*, &c. *Heb.* 4: 16. Et *beati* prædicantur *qui confugiunt ad ipsum*, *Psal.* 2: 12. adde *Joh.* 1: 12. *Heb.* 6: 18. Atqui Deus verax est, fidem fallere nescius: neque dicit *semini Jacobi*, *frustra quærite me*, *Esa.* 45: 19. Cæterùm quæ de *gratia universali* cùm inter fratres, tùm inter Theologos diversarum partium, disputari solent, eruditè tractata videre est inter alios apud Cel. Coccej. in aureo libello de *Fœdere & Test. Dei cap.* 5. §. 108. &c.

compotes reddi, præbatur.

Quæstio XXI.

Quid est fides?

EST non tantum notitia, quâ firmiter assentior omnibus, quæ Deus nobis in verbo suo patefecit: sed etiam certa fiducia à Spiritu Sancto per Evangelium in corde meo accensa, quâ in Deo acquiesco, certò statuens non solùm aliis, sed mihi quoque remissionem peccatorum, æternam justitiam & vitam donatam esse, idque

gratis ex Dei misericordia, propter unius Christi meritum.

ANALYSIS.

I. Occasione præced. Resp. quærenti *quid vera fides* sit.

II. Respondetur per amplam fidei descriptionem ex ejus partibus, sive actibus tribus.

Primus est *Notitia*, ab adjuncto certitudinis in textu Germ. descripta.

Secundus est *Assensus*, cujus notantur 1. Adjunctum, *Firmiter*. 2. Objectum, *Omnibus quæ Deus in verbo suo patefecit.*

Tertius est *Fiducia*, descripta 1. ab adjuncto certitudinis, *certa*. 2. A causis, cùm principali, quæ *Spiritus S.* tùm instrumentali, quæ est *Evangelium*. 3. A subjecto recip. quod est *cor meum*. 4. Ab actibus duobus

1. Acquiescientia, *quâ in Deo acquiesco.*
2. Applicatione beneficiorum Christi, tanquam ad te, me, &c. pertinentium; *Certò statuens non solùm aliis, sed mihi quoque* &c. Ubi beneficia suis nominib. expressa, *remissio peccatorum, æterna justitia & vita*, declarantur à causis impellentibus, quæ sunt *Dei misericordia & unius Christi meritum.*

EXEGESIS.

Nexus. Q*Uomodo hæc Quæstio cum præced. cohæret?* R. A doctrina de liberatione per Mediatorem facta transit Catech. ad doctrinam de ejus applicatio-

ne

ne per fidem: idque occasione Responsionis ad præced. Quæstionem, quâ salus per Christum iis duntaxat reddi dicitur, qui vera fide ipsi inseruntur. Hinc commodùm quærit, quid sit vera fides?

II. Q. *Cur de vera fide, non autem simpliciter de fide, quærit?* R. Id facit tacitâ antithesi ad alias fidei species, per quas communio Christi ejusque beneficiorum non obtinetur. Est enim fides quædam *historica* dicta, est alia *temporaria*, alia *miraculorum*. Q. *Quam vocas historicam?* R. Generalem illum assensum, quô quis vera affirmat, quæ in verbo Dei revelata novit. *Historica* porrò dicitur ista fides, non quòd historias tantùm amplectatur, sed quòd illam habens revelatis assentiatur non aliter, ac historiæ, nihil aut certè nullô suô commodô ad se pertinenti. Unde cor nullô veritatis amore, nullôque salutis desideriô in Deum exardescit. Sic credidit Agrippas Prophetis, *Act.* 26: 27. Sic *Dæmonia credunt, & tremiscunt*, *Jac.* 2: 19.

Cur de vera fide quæratur?

Quid sit fides historica.

III. Q. *Quam vocas fidem temporariam?* R. Ubi historica eò usque proficit, ut accedat aliquis veritatis gustus, animique gaudium & in Evangelio recipiendo & publicè profitendo alacritas. Temporarius etiam sibi applicat, quæ promissa credit in Evangelio, sibique & aliis, quoad inter credentes nomen profitetur suum, veram habere fidem videtur. De hac Christus *Matth.* 13: 20, 21. *Qui sermonem audit, & statim cum gaudio recipit, non verò habet radicem in se, sed pro tempore est, &c.* Q. *Quomodo à vera fide differt?* R. Non solùm *durazione*, sed *naturâ*, quia radicem, τὸ στερέωμα τῆς πίστεως, *Col.* 2: 5. non habet: i. e. 1. Caret cognitione fundamenti, in quo omnis ratio divinæ sapientiæ fundatur. 2. Caret fiduciâ misericordiæ & adoptionis divinæ exploratâ. 3. Nititur non jam sanctitate doctrinæ, sed novitate, jucunditate & utilitate, quibus tempore tribulationum mutatis, vel deficientibus (ut certè deficere possunt, æstimata ex ingenio & concupiscentia ipsius προσκαίρου) ipsa fides solstitialis herbæ adinstar repentè exorta, repentinò occidit.

Quid sit fides temporaria.

Cur sic appelletur.

IV. Q. *Quænam est fides miraculorum dicta?* R. Qua quis persuasus est, idque divino lumine & singulari pro-

Quid sit fides miraculorum.

promissione Dei, de eventu vel opere aliquo miraculoso in se ipso, vel per seipsum in aliis patrando. Unde in *passivam* & *activam* Theologis dividi consuevit. De fide miraculorum Christus; *Si habeatis*, inquit, *fidem, quantulum est granum sinapis, dicetis huic monti, transgreditor hinc illuc: & demigrabit*, &c. *Matth.* 17: 20.

Explicatur illud Pauli, Si habeam omnem fidem.

Et Paulus, *si habeam omnem fidem, adeò ut montes transferam.* 1 *Cor.* 13: 2. Q. *Si fidem intelligit miraculorum, quid sibi vult dicens, omnem fidem?* R. Sicut varia fuere genera miraculorum, quorum fortè maximum Apostolis visum, transferre posse montes; sic etiam alia & alia fides fuit miraculi patrandi. Poterat quis habere fidem sanandi morbos, quâ tamen fide non poterat alia edere miracula. Unde Apost. dicit, *si habeam omnem fidem.* Illud etiam tenendum, fidem miraculorum non ut *habitum*, sed ut *actum* considerari oportere; quod vel inde liquet, quia Apostolis non ubique, semper, & omni in rerum genere, datum fuit miracula facere, sed prout Spiritu S. persuadente fides miraculorum in illis excitata fuerat, & Christus ad illustrationem gloriæ nominis & Evangelii sui signa fieri voluerat. Cæterùm fieri potuisse, ut quis fidem haberet miraculorum, non habens veram justificantem fidem, patet ex *Matth.* 7: 22, 23.

Quid sit vera fides.

V. Q. *Quam tandem appellas veram fidem?* R. Quam Scriptura dicit ἀνυπόκριτον, 1 Tim. 1: 5. δι' ἀγάπης ἐνεργουμένην, *Gal.* 5: 6. *Fidem Electorum*, *Tit.* 1: 1. Theologi *justificantem*, *salvificam*, &c. quam etiam Catech. è *partibus* suis, sive *actibus* tribus definit, quando quærenti; *quid est vera fides?* responderi vult; *Est non tantùm certa notitia*, &c.

Primus fidei actus, vel necessarium antecedens, notitia est.

VI. Q. *Quis est primus fidei actus?* R. Notitia: quam, ut hactenus cavillandi ansam præcidamus adversariis, *necessarium antecedens* dici permittimus. De hac *notitia* paucis notandum, tùm *quòd*, tùm *qualis* requiratur ad fidem. Q. *Requiri ergo, unde probas?* R. I.

Quam requiri ad fidem probatur.

Testimoniis Scripturæ. *Credimus & cognovimus, quòd tu es Christus*, &c. *Joh.* 6: 69. adde *Joh.* 17: 3. 1 *Joh.* 2: 20. Paulus *ingressus Synagogam, liberè loquebatur ad tres menses, edisserens & persuadens, quæ ad regnum Dei*, *Act.* 19: 8.

Disser-

Dissertationum usus est, rerum afferre notitiam. Quæ ratio, cur דעת *scientia* pro *fide* ponatur, *Esa.* 53: 11. nisi quia sine credendorum notitia fides non est. II. Ratione: sine notitia constare non potest bona conscientia, neque hac carere fides. Etenim *qui bonam conscientiam repellunt, circa fidem naufragant*, 1 *Tim.* 1: 19. Et tantò absurdior est Bellarminus, notitiam non tantùm fidei esse partem, sed omninò ad fidem requiri, negans, quòd fidei *subjectum* statuit intellectum, non voluntatem. Quî quæso fides in solo intellectu residere potest, & juxtim carere notitiâ? An intellectûs aliud est, quàm intelligere & nosse?

Qualis sit ista notitia.

VII. Q. *Qualem requirit fides notitiam?* R. Certam, ut docet Catech. quæ non simplex tantùm rerum credendarum cognitio est, levi & evanida luce mentem perstringens, sed intima vivaque agnitio, assensum & amorem veritatis trahens, suavi sensu in animum descendens, ejusque affectus intimos permulcens: quemadmodum rem amatam non sine gustu quodam ac voluptatis sensu novimus, ejusque imagini tota mente inerramus. Q. *Quid eum in finem nosse oportet?* R. Non tantùm *testimonium*, quod fides amplectitur, sed etiam *testem* ipsum, & *testificationem*. Q. *Quamobrem?* R. Ad fidem satis non est novisse *testimonium*. Sciebant Judæi testimonium J. Christi de se perhibitum, sed fidem illi negabant. Non ignoramus quid Muhammed de se testetur, sed vanum & mendacem judicamus. Necesse igitur est, etiam noveris *testem*, cui credas. Enimverò nemo prudens facilè fidem adhibuerit ei, quem præjudicaverit esse vanum; quemve si in testimonio suo quid promittat, antè noverit esse nec divitem, nec potentem, nec bonum. Denique necessaria est notitia *testificationis;* velut, quòd Deus revera locutus sit per Mosen, &c. quòd reapse hoc, illud, promiserit. Notitia tamen hæc non est τῦ διότι & *evidentiæ*, quando credenda ut plurimùm sunt mysteria, sed τῦ ὅτι, ut mox dicta ostendunt.

Nim. notitia testimonii, testis, & testificationis.

Quæ sit fides implicita Pontificiorum.

VIII. Q. *Habesne amplius, quod de fidei Notitia moneas?* R. Modò audita me docent, rejiciendam esse *fidem implicitam* Pontificiorum. Q. *Quæ hæc fides implicita?*

plicita? R. Propiùs inspecta nihil aliud est, quàm voluntaria animi subjectio in obsequium Papæ & multitudinis ei adhærentis, quâ eligas dicere & facere, quæ ille cum sua multitudine dicendi faciendique author sit, absque examine & studio omnia probandi, & quod verum bonumque fuerit retinendi. Q. *Cur implicitam vocant?* R. Eô quòd in fide Prælatorum involvatur. Eam Stanislaus Hosius, Episcopus Varmiensis, *Confut. Prolegom. Brentii lib.* 3. Satis lepidô illustrat exemplô Carbonarii cujusdam, unde vulgò *fides Carbonarii* dicta.

Fides Carbonarii unde dicta?

Ex quo (inquit author cit.) *cùm animi causâ vir quidam doctus quæsiviſſet, quid crederet? ſymbolum recitavit. Cùm interrogaret ille, quid præterea crederet? reſpondit; quod Eccleſia Catholica: Ille verò, quid credit Eccleſia? Quod ego, inquit, credo. Cùmque ſubinde ille quæreret, circulô hôc uſus Carbonarius nihil aliud reſpondit, quàm ſe credere, quod Eccleſia credit: Eccleſiam credere, quod ipſe crederet: nec aliud ab illo quicquam elicere potuit.* Sed quod tu etiamnùm mirere magis, idem author deinde memorat, virum illum doctum, & S. Literarum peritum, morbô gravi correptum & à Satana tentatum, ad hanc fidem Carbonarii, cujus tùm commodùm in mentem venerat, velut ad asylum unum omnium tutissimum confugisse, & in ea plus præsidii adversus Satanæ insultus, quàm in omni Scripturarum exercitatione, invenisse. Q. *Quid tu ad hæc?*

Confutatur.

R. Digna utique sunt, quæ carbone notentur. 1. Siccine facilis est negotii, veram adipisci fidem, & vincere Satanam? 2. Eccleſiam, Romanensem puta, humanum adeóque nomen, pro fidei Magistra indubioque cœli interprete venerari, quanquam ipse nescias, nec etiam inquiras, quid Eccleſia credat, nunquid non est insanire, & perinde, ac si cæcus jactet se videre omnia, quæ luscus, quem fortè ducem nactus est, videt? 3. Sed etiam majus hic periculum est. Ubi de salute nostra agitur, non aliena, sed sua cuique fide utendum, suis cuique manibus Christus apprehendendus, & suo cuique ore sanguis ejus hauriendus est. Qui aliena, puta, Prælatorum, vel aliorum Eccleſiæ Præstitum, fide fretus ignotam sibi salutis semitam terit, ani-

animum securum atque lætum, nedum ab errandi periculis tutum, habere non potest. Consule in eam rem dicta *Hab.* 2: 4. *Luc.* 7: 50. adde *Matth.* 9: 22, 29. *Jac.* 2: 18. *Gal.* 6: 4, 5.

IX. Q. *Quis est secundus fidei actus?* R. Assensus, quem fidei actum formalem vocant scholæ. Q. *Quænam de eo tenenda?* R. 1. Quid? 2. Qualis sit? 3. *Quodnam* ejus objectum, sive in quid feratur? Q. *Quid igitur est assensus?* R. Judicium animi affirmans veritatem dicti divini. Germ. textus habet, für wahr halten. Q. *Quare actum fidei formalem vocant?* R. Nosse, nisi assentiaris, fidem non esse clarum est. Judæi audiverant sermonem Christi, & nonnihil ejus intellexerant, verbi gr. ipsum esse Filium Dei, Patri æqualem: minimè tamen credebant. Q. *Quid sibi vult Catech. quòd assensum notitiæ tribuit?* R. Non est cur id Philosophaturientem offendat. Enimverò dicens; *Est non tantùm notitia, quâ firmiter assentior*, notitiam assensûs causam facit. Hinc adeò non quamlibet intelligi vult notitiam, sed eam solùm, quâ fiat, ut assentiaris. *Secundus fidei actus, Assensus, de quo nos. 1. Quid sit assensus.*

X. Q. *Qualis est fidei assensus?* R. Firmus. Sic enim Catech. *quâ firmiter assentior.* Quo ipso haud dubiè certitudinem notitiæ, de qua textus Germ. monet, expressam voluit. Q. *Quare assensum dicit firmum?* R. 1. Quia in vera fide certum est judicium de veritate verbi audiri, à formidine contrarii liberum. Verùntamen cùm possit esse certitudo de re ingrata, quando nim. convictus verum esse, quod tu verum nolles, assentiri cogeris; sicut *Dæmones credunt, & tremiscunt*, *Jac.* 2: 19. Idcircò 2. Assensus iste fidei est voluntarius, & hoc ipso firmior, quò magis est volentis. Hinc veteribus ἑκούσιος συγκατάθεσις, *voluntaria assensio*, Scripturis ὁμολογία *adstipulatio*, dicta, 2 *Cor.* 9: 13. 3. Proficiscitur iste assensus è tali notitia, quâ perspectum habeo, verbum Dei quod audio non jam modò verissimum esse, quippe à Deo revelatum & Deo dignissimum, sed etiam peccatori salutare & amabile. Hinc fides eleganter dicta ὑποταγὴ τῆς ὁμολογίας εἰς τὸ εὐαγγέλιον τοῦ Χριστοῦ. 2 *Cor.* 9: 13. Quæ subjectio coërcet & elidit omnia murmura & ratiocinationes fal- *2. Qualis sit fidei assensus.*

sæ

sæ sapientiæ adversus Dei verbum, credentique inserit amorem veritatis atque studium glorificandi Deum: ut liquet exemplô Abrahami, *Rom.* 4: 20, 21.

3. Quodnam ejus objectum generale & speciale.

Assensus generalis fertur in omnia revelata, & quæ ex revelatis necessariâ consequentiâ deducuntur.

XI. Q. *Quodnam denique est assensus fidei objectum?* R. In genere quidem sunt *omnia*, quæ Deus nobis in verbo suo patefecit. In specie verò est verbum gratiæ *de remissione peccatorum, æterna justitia & vita, tibi mihique donata, idque gratis, &c.* ut habet Catech. Hinc Theologis fidei assensus *generalis* & *specialis* distinguitur. Illo amplectimur, quæcunque Deus verbo suo revelare dignatur. Ad revelata verò pertinent etiam quæ in virtute verbi Dei continentur, & necessariâ consequentiâ indidem colliguntur. Quapropter conclusio è duabus præmissis, quarum una est luminis naturalis, altera fidei, fluens etiam de fide atque adeò tanquam verbum Dei recipienda est. Q. *Quî verò hoc probatum dabis?* R. Exemplo Servatoris, qui *Matth.* 22: 31, 32. demonstraturus, Abrahamum, Isaacum & Jacobum, dudum mortuos, meliore suî parte etiamnum vivere Deo, & futurum, ut olim corpore reviviscant, duas adhibet propositiones, unam ex Revelatis, nim. *Deus est Deus Abrahami*, &c. alteram ex Ratione; *Atqui Deus non est Deus mortuorum, sed viventium*: unde concludi vult; Ergò Abrah. Isaac. &c. Deo vivunt, & è morte corporis reviviscent. Huic conclusioni omnis sua vis constat ex propositione revelata, quippe cujus in virtute latet, unde deducendæ conclusioni tanquam instrumentum inservit propositio è Ratione arcessita. Neque enim ideò sequitur, Abrahamum, Isaacum, &c. Deo vivere & resurrecturos esse, quia Deus non est Deus mortuorum; sed ideò solùm, quia Deus in fœdere suo se dixerat Deum Abrahami, &c. ut patet rectè attendenti. Q. *Anne quod Christus fecit, idem nobis hac in re faciendum?* R. Imò nostri officii esse, spiritualia cum spiritualibus conferre, & è verbis Dei prudenter consideratis concludere, multis ostendi potest. Satis esto unum illud; 1 *Joh.* 2: 21. *Nostis veritatem, & quod nullum mendacium ex veritate sit.* Cujus regulæ Apostolicæ nullus erit usus, si quod hodierni Methodistæ contendunt, ex Sacris Literis argumentari non licet.

Q. *Intel-*

Q. *Intelligo quid generalis fidei assensus amplectatur: de speciali autem quid tradis?* R. Hic amplectitur verbum fœderis gratiæ, de gratuita remissione peccatorum, &c. Atque hic specialis assensus est fidei justificantis, & Catechetæ dicitur fiducia, de qua rectè cognoscenda præcipua illi cura est. *Specialis assensus fertur in verbum fœderis gratiæ, &c.*

XII. Q. *Quis tertius fidei actus?* R. Catechetæ est certa fiducia, quâ in Deo acquiesco, certò statuens, non solùm aliis, sed mihi quoque &c. *Quænam de ea scitu quàm maximè necessaria tenenda putas?* R. 1. Eam veræ & justificanti fidei inesse. 2. Quæ sit ejus indoles, juxta traditam descriptionem. *Tertius veræ fidei actus est fiducia: quæ*

XIII. Q. *Fiduciam ergo veræ fidei inesse, quibus argumentis doces?* R. I. Eò ducit ipsum nomen Heb. אמונה à verbo אמן *ulnis vel sinu gestare*, *Num.* 11: 12. *Esa.* 60: 4. deductum. Unde verbum האמין *credere*, est se quasi gestandum rejicere in alicujus veracitatem, potentiam & bonitatem, se cuipiam committere, eôque niti, ut securus sit: sicut infans alumnus, matrem sive nutricem amplexus, nihil adversi metuit, securus periculi in sinu ejus requiescens. Ergò non secùs, ac Græcum πεποίθησις, fiduciam connotat. II. Fides frequenter definitur, πεποίθησις, 2 *Cor.* 3: 4. *Eph.* 3: 12. παῤῥησία, ibid. πληροφορία, *Rom.* 4: 21. ὑπόστασις, 2 *Cor.* 11: 17. *Heb.* 11: 1. & alibi. Nomine ὑποστάσεως, Apostolo familiari, LXX. reddiderunt Heb. תוחלת quod exspectationem boni certò futuri, cum fiducia & patientia moræ, significat. Sive autem verbum ὑφίστασθαι, unde ὑπόστασις, vertas *recipere* sibi vel aliis, *certum promittere*, *polliceri*: sive, *subsistere*, h. e. non trepidare, statu immoto sustinere impetum: sive denique *rem præsentem sistere*, quæ locô vel tempore abest, quô sensu Chrysostomus & Syrus Interp. sumunt, *Heb.* 11: 1. idem certè, quantum ad rem, dices, & fidei fiduciam asseres. III. Inde adeò fit, ut fidei & fiduciæ eadem sint oppositæ, ut intelligas unam alteri esse innexam: uti patet attendenti & conferenti loca *Matth.* 14: 31. *Rom.* 4: 20. *Luc.* 12: 29. *Matth.* 6: 30. *Esa.* 12: 2. *Gen.* 15: 1, 6. IV. Idem probari posset ex fidei effectis benè multis, & similibus; quibus veræ fidei ἐνέργεια adumbrari so- I. *Fidei ineße demonstratur.*

II. *Explicatur.* let in Scriptura. Sed his ſtudiô brevitatis omiſſis pergo ad indolem fiduciæ propiùs inſpiciendam ex ejus deſcriptione. Ubi occurrunt fiduciæ *Adjunctum*, *Cauſa procreans Principalis*, *Inſtrumentalis*, *Subjectum*, *Actus & Objectum.*

Ubi fiduciæ occurrunt conſideranda

I. *Adjunctum certitudinis.* XIV. Q. *Qualis eſt fidei fiducia?* R. Catech. eam ab adjuncto deſcribens dicit *certam*: nec immeritò: Certitudinem enim ejus vel ſola vox πληροφορία plus ſatis probat, quippe quæ certitudinis notionem habet, ubi de fide & ſpe ſermo eſt, velut *Heb.* 6: 11. & 10: 22. Quam vim etiam verbum πληροφορεῖσθαι habet, de rebus credendis, & de fide uſurpatum, *Luc.* 1: 1. *Rom.* 4: 21. egregiâ metaphorâ à plenitudine & abundantia fluvii pleno alveo decurrentis: vel quod eodem redit, à navibus, quæ plenis velis feruntur, quò iter eſt naviganti.

II. *Cauſa procreans principalis.* XV. Q. *Quænam cauſa fiduciæ procreans principalis?* R. Spiritus S. unde *Spiritus fidei*, 2 *Cor.* 4: 13. Ea re duo docere vult Catech. I. Veriſſimum eſſe, quod præced. Quæſt. dixerat, nos *per fidem Chriſto inſeri.* Enimverò qui fidem habet, Spiritum Chriſti habet; porrò hunc qui accepit, is in Chriſto eſt; *In uno Spiritu in unum corpus baptizati ſumus.* 1 *Cor.* 12: 13. II. Fidem eſſe donum merito obedientiæ Chriſti & gratiæ Dei accepto ferendum, *Eph.* 2: 8. *Phil.* 1: 29. Fides itaque primum Spiritûs ſanctificantis opus eſt, ante quod in homine nihil niſi ignorantia & odium Dei eſt. Quomodo alioquin peccator ex ſe ſibi polliceri poſſet veniam peccatorum à Deo impetrandam? Quæ peccatori fiducia, niſi quam Spiritus Dei fecerit, accedendi ad Deum, petendi & exſpectandi vitam? *Jer.* 30: 21.

III. *Cauſa inſtrumentalis.* XVI. Q. *Quamnam dicis cauſam fidei inſtrumentalem?* R. Evangelium prædicatum, auditum & perceptum, *Rom.* 10: 14, 15, 17. h. e. verbum gratiæ, quod olim in promiſſione erat, nunc autem in annunciatione eſt reconciliationis factæ: Vide ſuprà Quæſt. XIX. Tota lex, non auditô & receptô gratiæ verbô, manet litera, inſcripta lapidibus, quantum ad ejus auditorem: imò eum *occidit*, h. e. damnat, 2 *Cor.* 3: 6, 9. neque ad ſanctificandum valet, quin potiùs irritat, *Rom.* 7: 8--13. *Cupientes* enim, *ſi inhibeamur, magis inardeſcimus*,

mus, Chrys. ad locum. Ex adverso, *Evangelium Christi est potentia Dei ad salutem omni credenti, Rom.* 1: 16. inde *verbum fidei* dictum, *Rom.* 10: 8. De his amplius infrà ad Quæst. LXV.

XVII. Q. *Quodnam fiduciæ subjectum recipiens?* R. Catech. cum Scriptura fiduciam in corde residere docet. *Si credis ex toto corde, Act* 8: 37. *corde creditur ad justitiam, Rom.* 10: 10. Q. *Quid cordis nomine hic intelligis?* R. Partem animæ principem, cùm intellectum, tùm voluntatem. Hoc sensu in corde sedem esse fidei, probant actus fidei, qui sunt *assentiri, requiescere, confidere, &c.* Neque Pontificii alia de causa negant, *subjectum fidei esse voluntatem*, quàm quia ferre non possunt docentes, fidei inesse fiduciam, uti patet ex Bellarm. *lib.* 1. *de Justif. c.* 4. IV. *Fiduciæ subjectum recipiens.*

XVIII. Q. *Actus fiduciæ unusne est, an multiplex?* R. Catech. in textu Latino duos illi tribuit. Q. *Quis prior?* R. Acquiescentia in Deo: *quâ* inquit Catech. *in Deo acquiesco.* Nimirum fides Deum in Christo propitium intuetur, & animam longis erroribus lassam in ejus sinum, veluti tutissimum salutis portum tandem componit, suaviterque recumbere facit. Id Scriptura dicit *inniti Jehovæ, &c. Esa.* 10: 20. Q. *Quis posterior?* R. Applicatio beneficii remissionis peccatorum, &c. Sic enim Catech. *certò statuens, non solùm aliis, sed mihi quoque remissionem peccatorum, &c.* Quemadmodum Apostolus, itidem & fidelis quisque statuit; *Vivo autem non jam ego ---------- in fide vivo Filii Dei qui dilexit ME & tradidit semetipsum pro ME, Gal.* 2: 20. Quæ ut rectiùs intelligantur, distinguendæ sunt fidei proficientis quasi fibræ in tribus illis fidei actibus, quos Theologi distinguere solent, nim. *Dispositivo, Justificatorio* formaliter & *Consolatorio*: quos actus benè percepisse operæ pretium fuerit non spernendum. V. *Actus fiduciæ duplex.* *Fidei proficientis quasi fibræ.*

XIX. Q. *Quem vocas actum dispositivum?* R. Quò persuasum habeo, Deum ex gratuito amore atque benignitate, non tantùm alios, sed & me vocare ad communionem Christi, in quo exposita & parata est peccatorum remissio omnibus confugientibus & credentibus, adeóque & mihi remissum iri peccata, si resi- *Fidei actus I. Dispositivus.*

puero, & verâ fiduciâ in Christum recubuero. Eâ porrò charitate & benignitate Dei, quâ ad peccatorum veniam faciendam propendet, intùs degustatâ fit, ut cor peccatoris seria peccati agnitione, dolore atque pudore conteratur, humilietur, dejiciatur, ut de se suisque viribus desperans, & se propriamque justitiam abnegans, fame & siti justitiæ veræ ardeat & ad Christum confugiat. Obj. *Nonne credere quis potest, Deum ad condonandum peccata propendere resipiscenti, quam tamen fidem nulla sequatur cordis contritio: ut proinde actus ille nec dispositivus, nec veræ fidei sit?* R. Id equidem verum fateor de peccatore illo, qui hoc primo fidei actu charitatem & benignitatem Dei non persentiscit. Aliud enim est, persuasum fieri de veritate: aliud veritatis dulcedine intimo cordis sensu degustatâ permulceri. Alia est persuasio de propensa Dei voluntate ad condonandum resipiscenti; & alius est sensus & gustus divinæ charitatis, quæ in corde credentis effunditur, *Rom.* 5: 5. Qui credit sua sibi peccata remissum iri, ubi resipuerit, neque tamen resipiscit, is nihil nisi veritatem consequentiæ apprehendit, convictus luculentis Scripturæ testimoniis, quibus peccatorum venia promittitur resipiscentibus. Qui verò contritus corde resipiscit, non tantùm persuasus est de veritate nexûs, quò resipiscendi studium & remissionis beneficium cohærent; sed sublimius quid apprehendit, quod lumen naturæ attingere nequit; nimirum amorem & gratiam Dei, quam devota admiratione maximi facit, in quam mutuo amore, ut ignis ignem elicere solet, exardescit, cujus etiam sensu tactus omni studio enititur, ne in cassum apprehendisse videatur. Inde suspiria & lachrymæ, quibus testatum fit, quantoperè doleat resipiscenti, Deum Optimum toties peccatis offendisse, &c. Fidem, ubi hucusque profecerit, sequitur resipiscentia; & hanc excipit actus fidei justificatorius, de quo paulò posthac. Actus igitur iste fidei tùm demùm *dispositivus* est, quando sensum charitatis divinæ ingerit: *Nos diligimus eum, quoniam ipse prior dilexit nos*, 1 *Joh.* 4: 19. Hinc proclive expedire difficultatem; Obj. *Novi equidem, nemi-nem persuasum habere posse, sibi remissa esse peccata, prius-quàm*

Quo sensu fides resipiscentiam præ-

quàm resipuerit; hactenus ergò resipiscentiam præcedere oportet: atqui nihilominùs fidei prior locus debetur, quandoquidem quod ex fide non proficiscitur, Deo placere nequit. R. Id certè verissimum est, resipiscentiam sine fide non modò Deo ingratam, sed omninò nullam fore: verùm fides, quæ hactenus resipiscentiam præcedit, *dispositiva* est, non *justificans*. Hac enim fide nondum mihi applico meritum Christi, ejusque fructum in remissione peccatorum, &c. sed persuasum habeo fore, ut ubi resipuero etiam mihi ad Christum confugienti prosit meritum ejus ad remissionem peccatorum & vitam. *cedat, & rursus sequatur eandem.*

Q. *Habesne Scripturæ dicta, quæ de hoc fidei actu dispositivo intelligenda sint?* R. De eo exaudiendum illud *Psalmi* 130: 4. *Apud te est condonatio, ut timearis.* Sine spe veniæ propositа fieri non potest, ut Deus timeatur, hoc est, contrità corde & reverentiâ, quæ timor est amore mixtus, colatur, & ut omninò homines convertantur à peccatis suis. Sic illud Prophetæ; *Agedum convertamur ad Jehovam: nam ille laniavit, etiam sanabit nos, &c. Hos.* 6: 1. credere, futurum ut sanet, si convertaris, nondum est sanationem *suam* facere: id adeò fidei est disponentis. Et sanè, nisi peccator, priusquàm resipiscat, aliquo sensu tactus fuerit illius favoris, quô Deus se paratum testatur remittere peccata propter meritum Christi, ejus resipiscentia amore Dei carebit, atque eô ipsô nulla erit. Neque enim vera pœnitentia est, ubi solo metu perculsum peccati pœnitet. Atqui fides, quô hactenus dictum est modô, pœnitentiam prævertens, Deum peccatori amabilem exhibet, atque facit, ut Deum, qui nos amat, peccatis offendisse summoperè ei doleat. *Actus fidei dispositi. testimoniis Scripturæ declaratur.*

XX. Q. *Quem dicis actum fidei formaliter justificatorium?* R. Illum, quô Christum cum omni ejus merito recipiens, atque in eum suaviter recumbens confido, in præsens *mihi remissionem peccatorum, æternam justitiam & vitam donari, &c.* II. *Actus fidei justificatorius.*

XXI. Q. *Quid tandem de actu fidei consolatorio dices?* R. In hoc actu fiducia (prout etiam non una hujus vocis significatio est) in præteritum respicit, & in futurum prospicit. Quando nim. fide sua proficiente III. *Actus consolatorius.*

fidelis, intimo divinæ gratiæ sensu perfusus, de impetrata remissione peccatorum, justitia & vita æterna, velut in arce salutis constitutus, posità formidine, gloriatur: adeò ut persuasum habeat, omnia sua peccata jam sibi fuisse remissa, seque nulli ampliùs subesse condemnationi; tùm verò etiam in futurum sententiam absolutionis sibi per Spiritum adoptionis intimatam ita valere, ut eâ adversus omnia peccata, in quæ ex infirmitate labi contingit, animum solari queat. *Justificati igitur ex fide pacem habemus ad Deum, &c. & gloriamur spe gloriæ Dei, &c Rom.* 5: 1, 2.

Fiducia ad gloriationem proficiens sæpè tentationibus labefit & interrumpitur.

XXII. Q. *Hancce fiduciam, quæ ad gloriationem usque proficiat, veræ fidei dicis esse perpetuam?* R. Minimè: sæpè enim tentationibus interrumpitur: sæpè fidelis de se metuit, ne non, prout dignum est tantâ gratiâ expositâ, ad Deum accurrat: sæpè sentiens suam corruptionem & indignitatem trepidat, non audens sibi vendicare gratiam: quo casu fames & sitis justitiæ atque desiderium hominis fidelis, pro πληροφορίᾳ laboramis & luctantis, vehementiùs accenditur. Qui sic sunt paratum habent solamen, *Matth.* 5: 6. *Beati qui esuriunt & sitiunt justitiam: quoniam ipsi saturabuntur.* Q. *Annon verè fidelis eò tentari potest, ut dubitet num sibi remissa sint peccata?* R. Imò etiam, ut tentatus sibi remissa esse neget. Quid si dubitans de peccatorum remissione sibi facta moriatur, an salus ejus desperanda? Non equidem putem. Aliud enim est perseveranter negare, peccata sibi remissa esse, eique negationi succumbere, quod à verè fideli alienum: aliud dubitare, & dubitantem luctari & mori. Quemadmodum navis tempestate jactata, sic tentatus dubitationum fluctibus, in portum deferri potest. Fides inter dubitationes luctans habet instar lychnuchi fumigantis, & arundinis ventô quassatæ; quam tamen Deus penitùs interire non patitur, quia donum est vocationis, cujus vocantem nunquam pœnitet, *Rom.* 11: 29. adde *Luc.* 22: 32.

Neque tamen non rectè definitur fides à Catech.

XXIII. Q. *Siquidem fides sic est comparata, quare Catech. eam definit certam fiduciam?* R. Quemadmodum solet virtus ab Ethicis, sic fides à Catechete, definiri ex eo, quod in ipsa perfectum est, & ad quod omnis con-

confugiens jus habet, & per gratiam Dei magis magisque contendere debet & proficere. *Per consilium Dei immutabile & jusjurandum ipsius, qui confugerunt, habent validam instigationem ad arripiendam spem*, Heb. 6: 18. Atqui spes fundata in dono justitiæ, cum qua vita, justitiæ præmium, conjuncta est, parit gloriationem, Rom. 5: 2. Unde πληροφορία τῆς ἐλπίδος, Heb. 6: 11. Certum etiam est hominem, quò plus fidei habet, eò plus habere fiduciæ; quâ suis subinde intervallis imminutâ fides ipsa sua quasi deliquia patitur; & rursus ubi robore collecto sese explicat, in fiduciam certam evalescit. Q. *Quid sentis de illorum Theologorum sententia, qui fidei innectunt amorem Dei atque veritatis, timorem Dei, &c.* ex 2 Tim. 4: 8. *ubi credentes dilexisse* dicuntur *apparitionem Christi.* Cùm ex adverso 2 Thess. 2: 10. *hypocritæ* negentur *excepisse amorem veritatis?* R. Fateor equidem ista omnia in verè credentibus reperiri, & ex fidei actibus enasci: neque tamen ad fidei essentiam, quæ in assensu fiduciali sita est, pertinent. Doctrina de natura fidei, etiam Catechumenis necessariò inculcanda, quò simpliciùs, eò feliciùs & utiliùs traditur.

An ad fidei naturam pertineat amor Dei, &c. timor Dei, &c.

XXIV. Q. *Quodnam proprium fiduciæ fidei objectum est?* R. Juxta Catech. est remissionis peccatorum, æternæ justitiæ & vitæ donatio, ut quæ mihi fit, idque gratis ex Dei misericordia, &c. de quibus beneficiis ad Quæst. 56. & 60. Atque hîc Pontificii præcipuam super hoc fidei objecto controversiam nobis movent, strictimque negant, fidei justificantis objectum esse specialem misericordiam: vel quod idem est, verè fidelem certò apud se statuere posse atque debere, non solùm aliis ad Christum confugientibus, sed & sibi remissionem peccatorum, æternam justitiam & vitam donatam esse. Sic cum Catechumeno nostro sentientibus anathema dicit Concil. Trident. *Si quis dixerit, fidem justificantem nihil aliud esse, quam fiduciam divinæ misericordiæ peccata remittentis propter Christum; vel eam fiduciam solam esse, quâ justificamur, anathema sit. Sess. VI. Can.* 13. Eandem fiduciam specialis misericordiæ operosissimè impugnat Bellarm. *lib.* 1. *de Justif. c.* 8. *&c.*

Fiduciæ objectum.

Notantur Pontificii fidem justif. negantes esse fiduciam specialis misericordiæ, &c.

Q. *Quæ causa illis fiduciam illam negandi?* R. Quia fidem non nisi *dispositivè* ad justificationem concurrere volunt, eamque adeò per assensum generalem definiunt. Q. *Quid tu ad illa Pontificiorum placita?* R. Fidei inesse fiduciam, & salutis dari certitudinem suô locô argumentis probatum dedimus. Huc cumprimis facit testimonium Spiritûs S. *contestificantis Spiritui nostro, quòd simus filii Dei, Rom.* 8: 16. Quod qui persentiscit in corde suo, cavilla Bellarmini & aliorum, fiduciam atque spem populi Dei ridentium, nihil morabitur. Et verò qui non oscitanter attenderit ad ea, quæ de actibus & gradibus fidei proficientis suprà nobis dicta fuere, facili negotiô adversariorum sophismata diluet.

Quæstio XXII.

Quæ sunt illa, quæ necesse est hominem Christianum credere?

OMnia, quæ nobis in Evangelio promittuntur: quorum summa in Symbolo Apostolico, seu in capitibus Catholicæ & indubitatæ omnium Christianorum fidei, breviter comprehenditur.

ANALYSIS.

Definitioni fidei justificantis subjicitur plenior ejus explicatio, quæ versatur in declaratione.

1. Objecti fidei, à Quæst. 22. ad 59. 18
2. Effecti fidei, à Quæst. 59. ad 65. 14
3. Causarum fidei, à Quæst. 65. ad 86. 15

I. Quæstio præsens est de objecto fidei. Ubi distinctè

distinctè notari possunt 1. Credenda; *quæ sunt, &c.* 2. Credendi necessitas, si salvus esse velis; *quæ necesse est —— credere?* 3. Cui ista necessitas imponatur; quæ necesse est *hominem Christianum* credere.

II. Resp. I. In genere, *esse omnia, quæ nobis in Evangelio &c.*

II. In specie & κατ' ἐπιτομὴν credenda exhibet in Symbolo Apost. quod describit: *Compendium continens capita Catholicæ & indubitatæ omnium Christianorum fidei.* Ubi I. Materia symboli expressa nomine *fidei*, quæ metonymicè ponitur pro *doctrina fidei*, ut *Act.* 6: 7. *Gal.* 1: 23. II. Descripta ab adjunctis, *Catholicæ & indubitatæ.*

Quæstio XXIII.

Quod est illud Symbolum?

CRedo in Deum, Patrem omnipotentem, Creatorem cœli & terræ:

2. *Et in Jesum Christum, Filium ejus unigenitum, Dominum nostrum:*

3. *Qui conceptus est de Spiritu Sancto; natus ex Maria virgine:*

4. *Passus est sub Pontio Pilato, crucifixus, mortuus & sepultus: Descendit ad inferna:*

5. *Tertio die resurrexit à mortuis:*

6. *Ascendit ad cœlos: Sedet ad dextram Dei Patris omnipotentis:*

7. *Inde venturus est judicatum vivos & mortuos:*

8. *Credo in Spiritum Sanctum:*

9. *Credo sanctam Ecclesiam Catholicam: Sanctorum communionem:*

10. *Remissionem peccatorum:*

11. *Carnis resurrectionem:*

12. *Et vitam æternam, Amen.*

ANALYSIS.

I. Cùm in Evangelio nobis promissa & ad salutem creditu necessaria Symbolô Apostolicô comprehendi dixisset, opportunè nunc quærit; *Quod est illud Symbolum?*

II. Respondens recitat Symbolum Apostolicum: *Credo in &c.* Partitionem ejus generalem videbimus proximâ Quæstione: Analysin singularum partium specialem exsecuturi Quæstionib. seqq. usq; ad 59.

EXEGESIS
Quæstionum XXII. & XXIII.

Occasio Quæst.

Q*Uænam Quæst. istarum occasio?* R. Tradita veræ fidei definitione transit Catech. ad considerationem objecti. Necesse enim est ostendi, quæ explicita credenda sint Religionem Christianam profitenti.

Fides Christianorum

II. Q. *Quæ sunt igitur illa quæ necesse est hominem Christianum credere?* R. Omnia quæ nobis in Evangelio

gelio promittuntur. Q. *Cur ad solum Evangelium nos vocat?* R. I. Ut excludat traditiones hominum, placita Paparum, &c. quibus fides, certum & inconcussum depoſcens fundamentum, tutò ſatis inniti non poteſt. II. Ut doceat, fidem Chriſtiani non nuda promiſſione, ut quondam Chriſtô necdum exhibitô, ſed lætô illô nunciô de juſtitia & ſalute patta & adducta niti. *Evangelium* enim eſt redemptionis factæ & juſtitiæ adductæ annunciatio. Q. *Quare dicit, quæ promittuntur?* R. Fides ut juſtificans, promiſſa Evangelica, ut ſpeciale & proprium ſuum objectum, reſpicit; & ex promiſſis demùm naſcitur fiducia, ſpes viva & gloriatio. *nititur promiſſione & rerum promiſſarum cauſis exantibus.*

III. Q. *Poſſesne omnia quæ nobis in Evangelio promittuntur, & credenda proponuntur in compendium aliquod contrahere?* R. Tale compendium eſt Symbolum Apoſt. continens capita Catholicæ & indubitatæ omnium Chriſtianorum fidei. Obj. *Atqui Symbolum Apoſt. hiſtoriam potiùs, quam promiſſiones Evangelicas continere videtur.* R. Continet 1. Promiſſiones, velut de Sanctificatione ad fidem, remiſſione peccatorum, glorioſa reſurrectione, & vita æterna. 2. Cauſas promiſſionum extantes, velut ſunt Chriſti exhibitio in carne, paſſio, mors, reſurrectio, &c. 3. Denique fiduciæ profeſſionem, quoties Catechumenus ſe credere profitetur in Deum Patrem, in Filium, &c. Quibus obſervatis facile eſt reſpondere Bellarmino objicienti; In Symbolo Apoſt. contineri multa neceſſariò credenda juſtificari volenti ex fide: At de ſpeciali miſericordia ne verbum quidem, &c. *Promiſſorum in Evang. & credendorum ſumma Symbolô Apoſt. comprehenſa.*

IV. Q. *Quia de Symbolo Apoſt. dicere cæpiſti, quæram primùm quæ iſtius vocis ſit ſignificatio?* R. Duo ſunt præcipui ejus apud Authores ſignificatus. Prior denotat partem, quam quiſque è pluribus unà cibum capturis confert. Unde apud Terent. *ut eſſemus de ſymbolis.* Alterô *ſymbola* dicuntur in re militari omnia inſignia & teſſeræ ſive notæ, quibus vel hoſtes ab hoſtibus, vel turmæ à turmis diſtinguuntur, vel milites invicem ſe internoſcunt. Utramque ſignificationem Ruffinus, Aquilejenſis presbyter, inſtituto ſuo accommodat in Expoſitione Symboli ab initio. Q. *Facilè intelligo,* *Vocis* Symboli *ſignificatio.*

ligo, quomodo usus vocabuli militaris hîc locum inveniat symbolô scil. Christianis ad discernendum se ab exteris inserviente: sed de priore illo usu paucis abs te doceri cupiam?

Ruffini & aliorum veterum de Symboli compositione & authoritate sententiâ.

R. Ruffinus, qui circa annum Christi 395. innotuit, & alii eum secuti, in ea fuerunt opinione, ut existimarent, Apostolos ita Symbolum istud composuisse, ut eorum quisque ad ejus constitutionem aliquid conferret. Unde inter Augustini opera circumfertur Sermo, qui est de *Tempore*, in quo quid Apostolorum singuli contribuerint, sic ediſſeritur; *Symbolum est comprehensio fidei nostræ atque perfectio, simplex, breve, plenum, ut simplicitas consulat audientium rusticitati, brevitas memoriæ, plenitudo doctrinæ. Quod enim Græcè symbolum dicitur, Latinè collatio nominatur, &c.* Et paulò post; *Petrus dixit: Credo in Deum Patrem omnipotentem. Johannes dixit: Creatorem cœli & terræ. Jacobus dixit: Credo & in Jesum Christum, Filium ejus unicum, &c. Andreas dixit: Qui conceptus est de Spiritu S. natus ex Maria Virgine. Philippus ait: Passus sub Pontio Pilato, crucifixus, mortuus, & sepultus. Thomas ait: Descendit ad inferna, tertia die resurrexit à mortuis. Bartholomæus dixit: Ascendit ad cœlos, sedet ad dextram Dei Patris omnipotentis. Matthæus dixit: Inde venturus judicare vivos & mortuos. Jacobus Alphæi: Credo & in Spiritum S. sanctam Ecclesiam Catholicam. Simon Zelotes: Sanctorum communionem, remissionem peccatorum. Judas Jacobi: Carnis resurrectionem. Matthias complevit: Vitam æternam, Amen.* His similia leguntur apud Leonem Pap. *Epist.* 96. ad Pulcheriam Augustam, & apud Venantium Fortunatum in *Præfat. Expos. Symb.* & alios Baronio citatos ad An. Christi 44. XVII.

Sententia ista refellitur.

V. Q. *Quid de hisce censes?* R. Quominùs admittamus multa obstant. Ex. gr. I. Sermo ille, qui Augustini esse dicitur, indubitatæ fidei non est, Baronio non dissimulante. Nec si Augustini esset, aut ille, aut alii, fidem certam facerent illius traditionis, quæ symboli collationem sic particulatim & viritim in Apostolos erogat. Ubi enim idoneus hujus facti testis? Ubi signum certum, quô ad credendum adducamur ea certitudine, quâ idem crederet ὁ αὐτήκοος καὶ αὐτόπτης?

cùm

cùm hîc Pontificii agi velint de fide verbi divini traditi. Unde Coppensteinius Responsioni ad Quæst. XXII. hanc subjicit glossam: *Hoc est, quæ in verbo scripto ac tradito continentur. Nam symbolum est traditum.* II. Pontificiis authoribus malè convenit in multis, quæ super ista traditione controvertunt. III. Ipsa digestio articulorum, quâ quidam connectendi divelluntur, & contrà, non præ se fert Apostolicam authoritatem. IV. Quid si verba illa, *descendit ad inferna*, irrepserunt in Symbolum longo tempore post illius compositionem: cùm ex Veterum scriptis, qui Symbolum enarrant, ea desiderari appareat, Thomas certè hanc particulam non contribuit? Quid si Symbolum hoc paulatim, nonnullorum articulorum adversus exortas hæreses adjectione, crevit? uti ostendit Erasmus *contra Censur. Facult. Theol. Paris. Tit. II.* Ita quidem ut clausula Symboli hujus in principio fuerit, *Credo in Spiritum S.* uti ex Tertull. adversus Praxeam inter alia non obscurè colligitur. Plura videfis apud Usserium, Vossium, Amyrald. & alios.

Unde doctrinæ Christ. breviarium dicatur Symbolum?

VI. Q. *Undè igitur hoc doctrinæ Christianæ breviarium Symboli nomine designatum existimas?* R. Ex altero illo significatu vocis Symboli, quem habet in re militari: quoniam illius professione Christiani sese ab Ethnicis, Judæis, & à religionis Christi interpolatoribus & corruptoribus, tanquàm tesserâ aliquâ, distinxerunt & separârunt.

Unde Symbolum Apostolicum?

VII. Q. *Quâ de causâ dicitur Apostolicum?* R. Plerique omnes Veteres in ea quidem opinione fuisse videntur, ut reverâ Apostolos Symboli istius conditores crederent: unde factum, ut pro Apostolico ab Ecclesiis receptum, eandem ferè cum Scriptura S. authoritatem & reverentiam à Christianis consequeretur. Veterum sententiam arctè tenent Rom. communionis Doctores, Traditionis non scriptæ authoritatem eò inter alia argumentò propugnantes. Verùm nec hæc indubitata sunt. Q. *Habesne dubitandi rationes justas?* R. Imò verò. 1. Ecclesia, quando N. T. scripta in Canonem redegit, Symbolum illud prætermisit, haud dubiè non prætermissura, si verè ab Apostolis conditum credidisset. II. Quæ causa cur nec Apostoli in Epistolis, nec

Rejicitur sententia Romanensium.

Lu-

Lucas in Actis ullam ejus fecerint mentionem? Cùm multa alia obiter saltem notârint, quæ non sunt æquè magni momenti. III. Si Apostoli id abs se conditum Ecclesiis commendârunt, cur alia Symbola in Ecclesiis Oriental. primitùs usurpata, alia quoque in Conciliis Oecumenicis, ut Nicæno, Constantinop. &c. condita, Apostolici nulla mentione?

Incertum, quos Symbolum Apost. habeat authores.

VIII. Q. *Unde igitur initiò profectum existimas?* R. Id satis idoneis testibus atque argumentis hactenus compertum non est: quanquam ab uno aliquo privatim fuisse conscriptum, verisimile non sit, *quum*, ut inquit Calvin. *ab ultima usque memoria sacrosanctæ inter pios omnes authoritatis fuisse constet. Quod unicè curandum est, id extra controversiam positum habemus: totam fidei nostræ historiam succinctè distinctoque ordine hic recenseri: nihil autem contineri, quod solidis Scripturæ testimoniis non sit consignatum. Quò intellectò de authore vel anxiè laborare, vel cum aliquo digladiari nihil attinet: nisi cui fortè non sufficiat, certam habere Spiritûs S. veritatem, ut non simul intelligat, aut cujus ore enunciata, aut cujus manu descripta fuerit.* Quod beati Viri judicium maximè nobis probatur.

IX. Q. *Necdum tamen causam dixisti, cur Apostolis fuerit attributum?* R. Id ideò factum videri possit, quia tanta est illius antiquitas, ut ignoratô illius authore, & universâ Ecclesiâ Christ. illud recipiente, nihil commodius, aut vero propius visum sit, quàm si ad divinam illam originem referretur. Certiorem tamen puto rationem, quia ex Apostolorum Scriptis haustum summam continet doctrinæ Apostolicæ, quam tenere ac profiteri debebant Catechumeni; quorum institutioni præcipuè accommodatum fuisse, docet numerus singularis primæ personæ. Ipsi namque petentes baptizari sigillatim interrogabantur; *Quid credis?* ad quod tùm sigillatim respondebant; *Credo in Deum, &c.* Q. *Qualis ergò Symboli hujus authoritas?* R. Ecclesiastica: qualis esse solet Scriptorum Catholicorum, quæ publico totius Ecclesiæ nomine à Doctoribus ejus edita, vel approbata sunt, nec inter principia fidei recensentur, sed inter conclusiones, quæ omnem certitudinem à principiis mutuantur.

Apostolicum dicitur à doctrina Apostolica, quam continet.

Symboli authoritas Ecclesiastica.

X. Q.

X. Q. *Quænam Symboli materia est?* R. Doctrina fidei, in certos articulos distributa, qui Catechetæ dicuntur *Capita fidei:* h. e. præcipua & summaria dogmata & fundamenta, quæ virtute cætera omnia complectuntur. Q. *Quare ista fides dicitur Catholica omnium Christianorum?* R. I. Partim, quia est fides Catholicæ Ecclesiæ, quæ est Ecclesia N. T. ex omnibus gentibus collecta, ad quas Evangelii prædicatio ex æquo pervenit, 1 *Cor.* 14: 36. Ut nunc temporis necesse non sit, legem Dei & clavem cognitionis à collegio hominum, authoritate munito & certo in loco residente, ut quondam in Vet. Test. repetere. II. Partim, ut opponatur opinionibus Hæreticorum, quæ suis authoribus inscribuntur, ut Ario, Photino, Paulo Samosat. & aliis, qui primi ista sua dogmata propria protulerunt, quibus qui se opposuere, vulgò Catholici appellabantur. Q. *Annon hujus honoris prærogativa quædam Ecclesiæ Romanæ?* R. Quanquam Pontificii unà nobiscum illas hæreses abominentur, non tamen, præsertim hodie, æquo jure Catholicæ Ecclesiæ elogium suæ communioni, nedum soli, arrogant: tùm, quia fidem suam ad antiquam confessionem revocari & examinari non patiuntur: tùm quia Romani volunt appellari, h. e. propter sedis Romanæ authoritatem retinere dogmata, quæ non sunt omnium Christianorum. Q. *Quare eadem fides dicitur indubitata?* R. Quia hujus fidei capita ex verbo Dei πάσης ἀποδοχῆς ἀξίω 1 *Tim.* 1: 15. sunt repetita, & nemo, qui Christianus perhiberi velit, dubitat, quin hæc verba in confessione primorum Christianorum fuerint.

Symboli Apost. materia.

Fides, cujus doctrinam tradit Symb. dicitur

I. Catholica: & quare.

II. Indubitata.

Quæstio XXIV.

In quot partes distribuitur hoc Symbolum?

IN tres partes: Prima est de æterno Patre & nostri creatione. Altera est de Filio & nostri redemptione. Tertia est de Spiritu Sancto & nostri sanctificatione.

ANA-

ANALYSIS.

I. Audita Symboli descriptione & recitatione Catech. ejusd. divisionem requirit.

II. Responsio 1. Divisionis modum generatim exprimit; *In tres partes:* fundamentô ex fidei objectis personalib. & effectis desumptô, ut seqq. ostendunt. 2. Partes illas suo ordine enumerat; *prima est de Deo Patre, &c.*

EXEGESIS.

Distributio Symboli in tres partes Catechetæ meritò probata.

Q. *Quæ ratio dividendi Symbolum Apost.?* R. Alia aliis instituitur. Catechetes tripartientem distributionem cæteris præfert. Q. *Quamobrem?* R. I. Quia evidentiùs expressa est in Symbolo, quod ad usum Catechumenorum, in nomen Dei Patris, Filii & Spiritûs Sancti baptizandorum, comparatum est. II. Ipsa Scriptura personas divinas similiter conjungit & distinguit, atque ex operationibus singulariter cuique attributis describit, 2 *Cor.* 13: 13. *Apoc.* 1: 4, 5, 6.

Ratio attributionis œconomicæ operationum Dei ad extra.

II. Q. *Qua de causa Creatio nostri Patri; Redemptio Filio; & Sanctificatio Spiritui S. attribuitur, cùm juxta Canonem Theol. opera Dei ad extra sint indivisa, sive tribus Deitatis personis communia?* R. Opera Dei ad extra communia sunt & propria. *Communia*, quantum ad ipsam effectionem. Ut enim una trium est Essentia, Potentia, Sapientia, &c. sic ista opera Personis divinis communia sunt, ut etiam sint indivisa. Quomodò apud JCtos cohæredes agrum habent communem, non eo sensu, quasi alius aliam in agro partem possideat; sed quòd totus, quantus quantus est, indivisus & omnium communis sit. Eadem verò opera rursus *distincta* sunt & *propria*, quantum ad efficiendi modum & ordinem, qui singulis personis proprius est. Quanquam igitur Creatio non solùm Patri, sed & Filio ac Spiritui S. conveniat, ut multis Scripturæ locis ostendi possit,

posset, videantur inter alia *Joh.* 1: 3. & *Gen.* 1: 2. Nihilominus Patri attribuitur in Symbolo Apost. consentiente Scripturâ, *Matth.* 11: 25. Q. *Quas istius attributionis afferres rationes?* R. Quia Pater fons est, ut Deitatis, ita omnium operationum divinarum. Hinc adeò qui ordo est subsistendi in divinis, idem est & operandi. Pater agit à se per Filium; Filius à Patre; unde *Pater* dicitur *monstrare Filio, quæcunque facit, &c. nec posse Filium facere à se ipso quicquam, nisi viderit Patrem facientem, &c. Joh.* 5: 19, 20. Atqui si alius esset à Patre, quidni ex se ipso quid facere posset? Ista igitur verba agendi ordinem insinuant, Patrisque & Filii unitatem supponunt. Spiritus denique S. à Patre & Filio procedens etiam ab utroque agit. Atque ex hoc operandi ordine patescit, cur Patri adscribatur prima rerum productio; Filio continuatio, Spiritui S. consummatio; h. e. Creatio, Redemptio & Sanctificatio. 1. *Quare Patri attribuatur Creatio?*

III. Q. *Quamobrem Filio tribuitur Redemptio?* R. Quia solus assumpsit carnem nostram, & in ea redemptionis opus peregit, *Joh.* 1: 14. *Gal.* 4: 4, 5. *Act.* 20: 28. *Tit.* 2: 14. Quapropter etiam quæcunque in Scriptura de Jehova Deo & Sancto Israëlis, Assertore ac Vindice populi sui, Salvatore ac justitia ejus, & unica salutis tupe, Angelo Fœderis, &c. prædicantur, de Filio speciatim exaudienda sunt. 2. *Quare Filio Redemptio?*

IV. Q. *Quare Spiritui S. adscribitur nostri Sanctificatio?* R. Catech. sequitur Scripturam, 1 *Cor.* 6: 11. *Joh.* 3: 5. & alibi. Hujus autem œconomiæ ratio est 1. Quia Spiritus S. in ordine existendi & operandi tertia atque ultima persona est: inde illi operis cujusque divini consummatio peculiariter attribuitur. Vide *Gen.* 1: 2. Quæ autem eatenus primæ creationis ratio est, eadem est etiam secundæ & novæ. II. Quia sanctificatio est operatio Spiritûs S. eum in finem nobis dono dati, ut nobis sit sigillum, arrhabo & obses voluntatis atque amoris æterni Patris & Filii: cùm sit Spiritus utriusque. Unde, quod attendenti, vel veriùs sentienti liquet, fons solatii scatet uberrimus. 3. *Quare Spiritui S. Sanctificatio?*

V. Q. *Quare Catech. quæ tribus ultimis articulis, de remissione peccatorum, carnis resurrectione & vita æterna,* *Quomodo tres posteriores*

mi articuli Symb. Apost. referri possint ad sanctificationem.

na, *nos credere profitemur, ad sanctificationem refert?* R. Tenendum est, *sanctificationem* in Scripturis nonnunquam ita lato sensu intelligi, ut non solum glorificationem in anima & corpore, sed ipsam etiam redemptionem & purificationem, vel expiationem peccatorum, complectatur. Prioris usûs argumentum occurrit in armilla aurea, *Rom.* 8: 30. ---- *quos autem justificavit, hos etiam glorificavit.* Ubi glorificatio sanctificationem dicit consummatam. Posterioris exemplum ex *Heb.* 2: 11. *Qui sanctificat, & qui sanctificantur, ex uno sunt omnes.* Sic latè sumitur, quando *Jehova* dicitur *Sanctificator Israëlis. Exod.* 31: 13. *Lev.* 20: 8. & 21: 8, 15, 23. *Ezech.* 20: 12.

Quæstio XXV.

Cùm una tantùm sit essentia divina, cur tres nominas, Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum?

Quia Deus ita se in suo verbo patefecit, quòd tres hæ distinctæ personæ sint unus ille verus & æternus Deus.

ANALYSIS.

I. Quæstio habet πρόληψιν· *Deus est unus Essentiâ: Ergò non tres nominandi sunt*, &c. Antecedens est in verbis; *Cum una tantùm sit Essentia.* Consequens; *Cur tres istos*, &c.

II. Responsio negat consequentiam; *Quia Deus ita se in verbo* &c.

Ubi notantur

I. Veritates fundamentales tres

1. Deus ille verus & æternus, unus tantùm est.

2. Tres

2. Tres sunt distinctæ Personæ in Deitate, Pater, Filius & Spiritus S.
3. Tres hæ distinctæ Personæ sunt unus ille verus & æternus Deus.

II. Principium ex quo veritates illæ innotescunt, quod est revelatio supernaturalis, cujus instrumentum est verbum Dei scriptum; *Ita se in verbo suo patefecit.*

III. Certitudo istarum veritatum, quæ fidei divinæ est, cùm Deus ipse de se nobis testis fiat in verbo suo; quia *Deus* ita se patefecit.

EXEGESIS.

Quæstionis occasio.

UNde nata *Quæstioni occasio?* R. Cùm in partitione Symboli trium fiat mentio, Patris, Filii & Spiritûs S. quorum singuli sunt Deus; Scriptura verò frequenter meminerit unius duntaxat essentiæ divinæ, hinc proclive erat quærere; quare tres nominentur, & quomodo trinitati cum unitate conveniat.

Ex solo Dei verbo revelato in Scripturis S. hauriendæ Personarum divinarum cognitio.

II. Q. *Unde hauriendæ est Trinitatis & personarum divinarum cognitio?* R. Ex solo Dei verbo. Hinc Catechetes, carnis ratiocinationi occursurus, & fidei de Trinitatis mysterio necessitatem ostensurus, ad revelationem divinam nos revocat. Heic adeò non sapiendum ultra id quod in verbo Dei scriptum est, neque Personis divinis attribuenda, nisi quæ illis in verbo Dei attributa leguntur.

III. Q. *Suntne qui eam in partem peccent?* R. Culpandi haud dubiè sunt, qui hac in Doctrina curiositati suæ nimium permittunt, non contenti Scripturarum institutione, etiam *quæ non viderunt occupant*, & scire volunt, quæ scire nemini mortalium datur. Quales sunt qui accuratè definire præsumunt, in quo *ratio formalis*, quam vocant, *personalitatum* divinarum consistat; quomodo personæ cùm ab essentia, tùm à se invicem differant, & alia similia. Cognoscere personas divinas,

ut in se sunt, itemque scire quæ personas distinguunt, ipsarum Personarum divinarum gloria propria est, *Joh.* 1: 18. & 5: 19. 1 *Cor.* 2: 10. Obj. *Si hac in parte ex solo verbo Dei sapiendum est, etiam solis Scripturæ verbis erat utendum Catechetæ: atqui vocabula* Essentia & Persona, *non sunt in Scripturæ usu?* R. Non desunt nomina in Scripturis, quæ *essentiam* designent, quale est φύσις *natura*, *Gal.* 4: 8. Θεότης, *Col.* 2: 9. תושיה οὐσία, *res, id quod est*, *Job.* 12: 16. *&c. Personæ* vocem quod attinet, etsi in Scriptura non occurrat, Apostolo nomen ὑποστάσεως, *Heb.* 1: 3. verisimiliter vulgari potiùs significatu, pro *substantia*, quàm Academico, pro *supposito* usurpante: id quod etiam Latinis visum, qui ὑπόστασιν vertentes *substantiam*, Græcorum locutionem refugiebant, quâ dicere solebant τρεῖς ὑποστάσεις· unde lis super ambiguitate vocis ὑπόστασις inter ipsos Orthodoxos exorta tandem in Synodo Alexandrina An. Christi 362. composita fuit. Videatur Forbes. *Instruct. Hist. Theol. l.* 1. *c.* 2. *n.* 8. Nihilominùs Catechetæ cum pia antiquitate licet fidem suam exponere vocabulis, quæ sensum Scripturæ continent, & indidem plus satis defendi queunt: quale certè est vocabulum *personæ*, quandoquidem Scriptura S. de Patre, Filio & Spiritu S. talia prædicet, qualia personis, prout à rebus & actionibus distinguuntur, attribui solent. Quid? quòd ipsa nomina, *Pater*, *Filius*, & *Spiritus S.* nomina sint personarum. Atque hæc de vocabulis monuisse sufficiat. Nunc pergendum ad considerationem veritatum, quas Catech. de Deo credendas inculcat.

Recte utitur Catech. vocabulis Essentia & Persona.

IV. Q. *Quænam igitur prima?* R. Deum illum verum & æternum, unum tantùm esse, indubitata fide tenendum est. In cujus veritatis fide asserenda & inculcanda etiam multa est Scriptura, quia plures unô colenti Deos omnis religionis fructus perit, *Joh.* 17: 3. Israëli dictum, *Audi Israël, Jehova Deus noster Jehova, unus est*, *Deut.* 6: 4. Quem versum Judæi suis *Thephillin* inserunt, & quotidiè manè & vesperi recitant. Masora etiam momentum doctrinæ fortè significare volens, postremam primæ & ultimæ vocis literam majusculâ formâ expressit. Quinimò Judæi Christianis insul-

Deus ille verus & æternus unus tantùm est. *Explicatur locus Deut.* 6: 4.

insultaturi hunc versum recitant, omnimodam unitatem non essentiæ solùm, sed etiam personæ, eô verbô adstrui existimantes. Verùm ea mente versum istum recitantes perinde faciunt atque Muhamedani, cantillantes illud suum *La Allah illallah, non est Deus, nisi Deus*, intelligentes, Filium non esse Deum: atque sic fidem Israëlis abnegant, dum ejus confessionem ore ferunt. Illud mihi certum affirmare videor, verba hæc; *Jehova, Deus noster, Jehova, unus est*, tametsi non habeant disertum de SS. Trinitate testimonium; uti nonnullis visum, nomine Dei ter posito: nihilominùs Personarum Trinitati non modò non repugnare, sed verò viam ad ejus fidem aperire, ut patebit vocabulorum potestatem, uti par est, vitatô tautologiæ vitiô, expendenti.

V. Q. *Cùm unitatis non una sit ratio, quo sensu Deus unus est?* R. Non fictione & conceptu mentis, quomodo propter similitudinem suam una dicuntur, quæ genere vel specie conveniunt: sic enim Deus de se affirmare & testari non posset, *præter se non esse alios Deos*: Sed unus est re ipsa & *unitate numerica*, quam vocant, ita ut simul sit *unicus*, eique repugnet habere socium. Si enim unô plures essent Dii, nullus eorum foret Deus, quippe nullô dominium satis augustum & Deô dignum habiturô. Etsi unicus sit sol, solem tamen soli socium creari, non involvit contradictionem. At plures fingere Deos, est verum Deum abnegare. Unde & veri Dei epithetum בדד *solus*, *Deut.* 32: 12. *Esa.* 37: 16. Atque hæc de prima veritate dicta satis sunto. *Quo sensu Deus sit unus.*

VI. Q. *Unde probas, tres esse distinctas Personas in Deitate, Patrem, Filium & Spiritum S.?* R. Istháec veritas fundamentalis multis demonstrari posset cùm Scripturæ testimoniis, vel pluralitatem, vel trinitatem personarum disertè docentibus; tùm etiam factis in verbo Dei testimonium habentibus & SS. Trinitatis mysterium supponentibus. Verùm brevitatis studiô satis habebimus tantisper examinâsse unum atque alterum è testimoniis Catechetæ citatis ex utriusque Testam. libris. Q. *An huicce veritati comprobandæ testes etiam habes Vet. Testamenti Scriptores?* R. Imò verò. *Tres sunt distinctæ personæ in Deitate, Pater, Filius & Spiritus S. Quanti sit, eam ve-*

 ritatem te-

stes etiam habere Scriptores Vet. Test.

Prudenter adeóque factum à Catech. quando ad utriusque Test. tabulas provocat. Enimverò, ne jam illud moneam, nos, nisi Veteris Test. authoritate munitos, hactenus cum Judæis, primis illis atque omnium acerrimis hujusce veritatis hostibus, congredi non posse; Si SS. Trinitatis mysterium Prophetis V. T. nulla revelatione fuisset cognitum, nobis Christianis haud abs re foret suspectum, quando Paulus & *omne consilium Dei Ecclesiis annuntiavisse*, *Act.* 20: 27. & *nihil extra ea, quæ Prophetæ dixerunt futura*, & *Moses*, docuisse se profitetur, *Act.* 26: 22.

Ista veritas probatur 1 *ex Esa.* 61: 1.

VII. Q. *Quodnam igitur primum testimonium producis ex V. T.?* R. Illud *Esa.* 61: 1. *Spiritus Domini Jehovæ super me est, quia unxit Jehova me, ad Evangelium nuntiandum mansuetis, &c.* Quæ verba non sunt Esaiæ, quasi se unctum & missum prædicantis, & Judæos in Romana captivitate, sicut vocant præsentis suæ conditionis sortem, consolantis, quod Rabbinorum glossema est: sunt enim hîc tàm magnifica prædicata, quæ nec Mosi, nec ulli Prophetarum accommodari queant. Et enim qui loquitur, se Jehovam appellat, vers. 8. Et nullus Prophetarum annum gratiæ prædicavit; satis fuit Prophetis, istam prædicationem prænunciâsse. Quem ergò sic ex abrupto verba facientem introducat Esaias, non obscurum est attendenti. Videt Propheta in Spiritu aliquem in medium prodeuntem, & hæc verba facientem Israëli; *Spiritus Domini est super me, &c.* q. d. futurum aliquando, ut Israël has voces audiat, &c. Quem autem Propheta in Spiritu videt, & loquentem audit, haud aliter ac si sermoni ejus ad turbam habito interesset, is est Filius Dei, in carne manifestatus, Spiritu Sancto unctus à Patre eò ut evangelizaret mansuetis, &c. Hîc adeò audimus Patrem, Filium & Spiritum Sanct.

Eò etiam Veteres retulerunt locum Esa. 6: 3. *quem modernorum multi non*

VIII. Q. *Qua de causa omittis prius illud Esaiæ testimonium Catechetæ citatum ex Cap.* 6: 3. *Et clamabat hic ad illum, dicens; Sanctus, Sanctus, Sanctus Jehova, Deus exercituum?* R. Fateor equidem Veteres hanc δοξολογίαν, quam vocârunt τρισάγιον, tanquam testimonium de SS. Trinitate allegâsse contra Arium & Paulum Samosatenum, uti constat ex testimonio Athanasii eum

in

in finem hunc hymnum citantis *Tom. I. Oper. Athan. edit. Pariſ. an.* 1627. *pag.* 154. 155. Verùm ut non negemus piè feciſſe Veteres, noſtri tamen Theologi poſt Calvinum plurimi iſtum locum ad hoc quidem inſtitutum non adhibent, efficacioribus argumentis in certamine contra hæreticos utendum arbitrantes. Q. *Quamobrem?* R. 1. Quia probari non poteſt, per Ἅγιον, ὑπόστασιν; & per Jehova *unitatem eſſentiæ* intelligendam eſſe. 2. Adjectivi continua geminatione Hebræi ſuperlativum gradum circumſcribere ſolent. Exempla videſis apud Buxtorf. *Theſaur. Gram. lib.* 2. *c.* 2. Terna igitur repetitio elogii *ſanctus*, prò linguæ ſanctæ ingenio, ſummum ſanctitatis gradum, vel *multis nominibus ſanctum* ſignificat, ut qui ſanctitatem ſuam & olim per legem, & modò per Chriſtum manifeſtavit, mox eandem ampliùs manifeſtaturus per judicium populi.

abs re ad inſtitutum minùs idoneum arbitrantur.

IX. Q. *Eſtne aliud, quod in eandem rem proferas teſtimonium è Vet. Teſt.?* R. Optimè Catech. citat *Pſal.* 110: 1. *Dixit Jehova Domino meo, ſede ad dextram meam, &c.* Nequicquam ſequioris ætatis Judæi contendunt, Davidem loqui de Abrahamo: vel Cantorem aliquem, Davidi coætaneum, de Davide; hôc ipsô teſtatum facientes, ſe niſi abſurdiſſimis interpretamentis vim veritatis evadere non poſſe. Chriſto inter homines verſante in confeſſo fuit, Pſalmum hunc & Davidis eſſe, & Chriſtum canere: ut liquet ex *Matth.* 22: 43, 44. Ubi elenchus Chriſti Phariſæos ad ἐχεμυθίαν redigens ſatis arguit, eos non idem cum ſequioris ævi magiſtris de Pſalmi argumento ſenſiſſe. Canit autem hic Pſalmus exaltationem Meſſiæ, cujus quidem in verſu citato occurrit collocatio in throno cùm expreſſa verbô; *Sede ad dextram meam:* tùm variè deſcripta & amplificata. Ad inſtitutum ſufficit notâſſe, quòd deſcriptio in primis contineat tûm *perſonam collocantem*, qui Pater eſt, *Jehova* dictus in pleniſſima nominis poteſtate: tùm *perſonam collocatam*, quæ eſt Filius Dei. In textu quidem appellatur אדון. *Dixit Jehova* לאדני *Domino meo.* Sed tantundem erat dicere; dixit *Jehova Jehovæ:* ſi rem ſpectes. I. Quia etiam alibi nomen Dei proprium *Jehova* Chriſto non rarò tribuitur. Unum locum alle-

II. *Probatur ex* Pſal. 110: 1.

gâsse satis sit, ubi similiter atque hîc Jehova promissa dat Jehovæ, *Esa.* 45: 21. *Ego Jehova, & non est amplius Deus præter me: Deus justus & Salvator non est præter me.* Hîc Jehovam loqui, clarissimum est. Idem verò deinceps ℣ss. 24, 25. hanc promissionem sibi à Jehova factam declarat; *tantùm in Jehova* (לי אמר *mihi*, vel *de me dixit*) *justitia & robur, ad illum accedet quivis ----- In Jehova justificabuntur & gloriabuntur omne semen Israëlis.* Si verba לי אמר exponas *mihi dixit*, & de Propheta intelligi velis, omni usu carebunt. Quid enim opus moneri, hoc illudve Esaiæ dici, quod in ipsius prophetico sermone legitur? Necesse autem est moneri, quid de qua persona dicatur: at Prophetæ nulla mentio in præcedentibus. II. Davidis Dominus dici non poterat, nisi cujus se servum profiteri posset David, Rex, in terris se superiorem non agnoscens, quique adeò non nisi Dei servus erat. Maluit autem uti nomine אדון quàm Jehova, ut eò evidentiùs significaret officium Christi, & officii fructum ad Davidem, omnesque sanctos redundantem. Atque sic fuerunt testimonia Catechetæ è Vet. Test. repetita: sequuntur citata ex Nov. Test. eaque omnium evidentissima, quia Catechumeno suggerenda.

III. *Probatur ex* Matth. 3: 16, 17.

X. Q. *Cuinam primum das locum?* R. *Matth.* 3: 16, 17. Ubi Christo baptizato à Johanne & ex aquis ascendente, aperti memorantur cœli, Spiritus S. descendens quasi columba & veniens super ipsum, vox è cœlo audita, dicens; *Hic est Filius ille meus, &c.* Ubi non tantùm fide, sed quod admirabile est, etiam sensu SS. Trinitatis mysterium assequi dabatur. Hinc Augustinus, *videmus*, inquit, *& tanquam propositô divinô spectaculô contuemur, apud flumen Jordanem commendari nobis Deum nostrum in Trinitate.* Et paulò pòst; *Habemus ergò distinctam quodammodo Trinitatem. In voce Patrem, in homine Filium, in columba Spiritum Sanctum, Serm.* 63. Meritò igitur in SS. Trinitatis hostes illud usurpabant Veteres; *Abi Ariane ad Jordanem, & videbis Trinitatem.*

IV. *Probatur ex*

XI. Q. *Cuinam secundum?* R. *Matth.* 28: 19. *Profecti docete omnes gentes, baptizantes eos in nomen Patris, Filii,*

Filii, & Spiritus S. Unde colligitur, cùm in nomen Filii & Spiritus S. æquè ac in nomen Patris baptizemur, Filium & Spiritum S. cum Patre unum eundemque esse Deum. Q. *Qui verò?* R. Nemo nisi Deus populi sui assertor atque Dominus est: atqui in nomen alicujus baptizari nihil aliud est, quàm in cultum & obsequium ejus, tanquam Domini sui & assertoris, solenni ritu sacrari, & præstitô veluti homagiô auctorari; uti liquet ex eo, quod Paulus ex Corinthiis quærit; *An Paulus pro vobis crucifixus est? aut in nomen Pauli baptizati estis?* 1 *Cor.* 1: 13. In Christi ergò nomen baptizamur, quia Christus pro nobis crucifixus est, atque adeò nos redemit & vindicavit, Dominus inde noster factus. Obj. *Israëlitæ in Mosen baptizati sunt in nube & mari,* 1 *Cor.* 10: 2. R. Sunt, qui εἰς Μωσῆν idem esse velint, quod *per Mosen*, vel *Mose Ministro.* Sic Syrus Interpres; *Omnes illi* ביד משה עמרן *per manum Mosis baptizati sunt.* Verùm plus ea phrasi exaudiendum puto: aliud tamen est *in Mosen* baptizari, & aliud *in nomen Mosis:* prius factum affirmat Apostolus in Israëlitis, non posterius. Illud significat, Israëlitas ad verbum Mosis sub umbraculo nubis mare ingressos, atque adeò periculum submersionis non veritos, eo ipso testatum fecisse, se Mosen habere pro legato Dei & teste Θεοπνεύστῳ voluntatis divinæ, &c. Nisi enim Mosen pro tali indubitatè habuissent, jussi ab ipso maris profunda non subivissent. Sed *in nomen Mosis* baptizari idem foret atque in Mosis tanquam Domini sui obsequium sese dedere, suæ voluntati renunciare, totoque affectu se illi subjicere, idque ipsum suscepto baptismo testatum facere: id quod de Israëlitis nec factum legitur, neque fieri potuisse palàm est. Cæterùm si inter duos illos loquendi modos nihil interesset, nulla fuisset Apostolo causa quærendi; *An in nomen Pauli baptizati estis?* quando Paulus non minori jure pro infallibili teste atque interprete voluntatis divinæ haberi potuit, atque Moses. Matth. 28: 19. *qui locus explicatur & vindicatur.*

XII. Q. *Estne tertium, quod in eandem rem alleges testimonium?* R. Evidentissimum est illud 1 *Joh.* 5: 7. *Tres sunt qui testantur in cœlo, Pater, Sermo & Spiritus:* 5: 7. *qui* V. *Probatur ex* 1 Joh. 5: 7.

explicatur & vindicatur.

& hi tres unum sunt. Johannes probaturus, fide in Jesum Christum, Filium Dei juxta prophetiam in carne exhibitum, vinci mundum, concupiscentiam & omnem tentationem, eo utitur argumento, quia ista fides summâ irrefragabili & indubitatâ testium authoritate nititur; sive spectes *testium numerum*, quos tres allegat: in ore duorum vel trium constat veritas; sive *testium qualitatem:* non Angelos, aliosve testes creatos appellat, qui quidem innumerabiles, sed in re tanta non irrefragabiles, forent. Sed tres personas divinas, quas numerat & nominat, *Patrem*, *Sermonem & Spiritum S.* cùm hîc de testimonio infallibi atque divino agatur. *Si testimonium hominum accipimus, testimonium Dei majus est*, vers. 9. Sive denique *unitatem*, & *hi tres unum sunt.* Quod ne quidem de necessaria testimonii & consensûs unitate intelligi potest, nisi pariter & essentiæ inter testes istos unitas reperiatur. Quicquid enim est non-Deus, cùm mutabile atque fallibile sit, & proinde deficere, aliudque velle possit, ejus testimonium divinum, ac cum illo Dei unum dici nequit. Hîc igitur uniuscujusque voluntas est testimonium voluntatis trium. Obj. *Locus hic in quibusdam codicibus desideratur.* R. Id nos turbare non debet; satis enim firmamenti nobis est in eo I. Quòd in plerisque, iisque probatissimis codicibus reperitur, uti ex doctorum annotationibus in hunc textum liquet. II. Quòd idem locus controversiâ, inter Athanasium & Arium motâ, est antiquior. Ejus enim meminit Cyprianus his verbis; *De Patre & Filio & Spiritu S. scriptum est; & tres unum sunt. Tract. de simplicit. Prælat.* III. Quod Apostolici sermonis nexus & filum satis manifestò versiculum istum postulat, ut patet attendenti. Atque hæc sunt testimonia, quibus Catech. fidem firmat mysterii de SS. Trinitate Personarum in una essentia divina.

Tres sunt distinctæ personæ.

XIII. Q. *Unde verò ostendis, tres illas personas distinctas esse?* R. Id præter jam dicta docent I. Diserta Scripturæ verba, quibus Pater alius esse perhibetur à Filio; *Alius est, qui testatur de me. Joh.* 5: 32. Et Spiritus S. alius à Patre & Filio; *Ego*, inquit Christus, *rogabo Patrem, & alium paracletum dabit vobis. Joh.* 14: 16.

II. Ope-

II. Operationes *ad intra:* velut quòd Pater generat Filium, & Filius generatur: quòd Spiritus S. à Patre & Filio procedit. Ex hisce & similibus, tanquam notionibus constat, personas differre, verùm quæ proxima & propria differentiæ illius sit ratio, scire negatum est mortalibus. Atque hæc de secunda veritate dixisse sufficiat. Supereſt tertia, quæ docet; *tres* illas distinctas Personas esse unum illum, verum & æternum Deum.

XIV. Q. *Quia ista veritas cùm explicatione, tùm confirmatione opus habere videtur, Quæram primum, quare dicas*, verum *Deum?* R. Ut significem, nullam istarum personarum esse tantùm λεγόμενον Θεόν. *Etsi sint, qui sunt unus dicantur Dii, nobis unus est Deus*, 1 *Cor.* 8:5,6. Q. *De quid opus dici*, æternum *Deum?* R. Ut significem, non esse factitium, *non novum, qui è propinquo venerit, quem non formidaverint patres nostri, Deut.* 32:17.

Tres illæ distinctæ personæ unus Deus.

Id I. *explicatur.*

XV. Q. *Quomodo eandem veritatem sic explicatam probas?* R. 1. Disertis Scripturæ testimoniis. 2. Rationibus. Q. *Quænam habes in hanc rem testimonia?* R. 1 *Joh.* 5:7. *Atque hi tres unum sunt.* Ubi consensûs unitas intelligitur consequenter ex unitate essentiæ, cùm non dicantur *in unum*, ut testes in terra, sed *unum* esse. *Quorum una est divinitas*, inquit Augustus. *non potest esse dispar voluntas.* Deinde *unum* dicuntur significatu nominis perinde proprio, ac cùm perhibentur esse *tres:* atqui tres numerô dicuntur, scil. personæ: ergò & unum numerô scil. essentiâ, quia *unum*, non *unus*, dicuntur. Sic Christus, *Pater sancte*, inquit, *serva eos in nomine tuo, quos dedisti mihi, ut sint unum, sicut nos. Joh.* 17:11. Obj. *Atqui fideles unum sunt animi consensu & amore.* R. Sensus verborum Christi est; ut non sint inter eos schismata, sed ut uno spiritu, una fide, uno nomine, contineantur, quemadmodum est unus Deus, & unus Dominus, qui unum sunt, *Eph.* 4:5,6. Ita ut uni Deo & Domino una de Deo sententia & una omnium fides respondeat. Per schismata enim & dissensiones Deus quasi discerpitur, aliô alium Deum, alium Christum, alium Dominum, nominante. Unde concordiâ in fide stabilitâ dicitur *Jehova esse unus, & nomen ejus unum. Zach.* 14:9. adde *Joh.* 17:21, 22, 23. 1 *Cor.* 12:13. Illud igitur

II. *Probatur.*

1. *Testimoniis Scripturæ.*

igitur καθὼς *sicut*, *Joh.* 17: 11. non significat eundem *unitatis modum*, sed verò *unitatis causam;* ideò namque fideles oportet esse unum inter se concordiâ fidei & amoris, quia unum sunt Pater & Filius, qui in ipsis est, eosque secum unit per eundem Spiritum & fidem.

2. *Rationibus.* XVI. Q. *Quibus rationibus eandem veritatem adstruis?* R. I. Quod Scriptura S. & Ratio non nisi unum essentiâ & numerô Deum agnoscunt: atqui Filius & Spiritus S. sunt Deus, ut suprà nobis probatum; Ergo, &c. II. Quod una æternitas, una omniscientia, omnipotentia, omnipræsentia, unus honor divinus, idem opus divinum tribuitur, Patri, Filio & Spiritui S. unde consequitur, illos esse unum eundemque Deum. III. Quod omnis gloria ex operibus divinis, sive Patri, sive Filio, sive Spiritui S. singulariter & œconomicè adscriptis, ad unum Deum tendit: ita ut quemadmodum *ex uno Deo*, & *per unum Deum*, sic etiam *ad unum Deum*, sint omnia. Unde vetamur quicquam operis vel gloriæ divinæ alienare, statuendo atque dicendo; *Non-Jehova operatus est omne hoc*, *Deut.* 32: 27.

DE DEO PATRE.

Quæstio XXVI.

Quid credis, cùm dicis: Credo in Deum Patrem omnipotentem, Creatorem cœli & terræ?

CRedo æternum Patrem Domini nostri Jesu Christi; qui cœlum & terram cum omnibus, quæ in iis sunt, ex nihilo creavit, quique eadem æternô suô consiliô & providentiâ sustentat ac gubernat; propter Christum, Deum meum & Patrem meum esse. Itaque sic ei confido,

do, sic in eo acquiesco, ut non dubitem, quin provisurus sit omnibus tùm animo tùm corpori meo necessariis. Quin etiam quæ mihi mala in hac ærumnosa vita immittit, ea in meam salutem sit conversurus, cùm & facere id possit, ut omnipotens Deus, & facere id velit, ut benignus Pater.

ANALYSIS.

I. Titulus, *De Deo Patre*, generatim exhibet materiam tractationis ex primo Symboli art. suppeditatam.

II. Quæstio 1. Repetit primum Symboli articulum; *cùm dicis, credo in &c.* 2. Ampliorem fidei declarationem circa eundem articulum postulat; *Quid credis?*

III. Responsio aperit, quid explicitè credat Catechum. de Deo Patre, duobus fidei actibus distinctis.

Primus est certum animi judicium, quô

I. In genere certò statuit, 1. Quod sit æternus Pater Domini nostri J. C. *credo æternum Patrem.* 2. Quòd habeat æternum consilium de creatione, sustent. ac gubernatione omnium rerum; *Quique eadem æterno suô consiliô, &c.* 3. Quòd *cœlum & terram, &c. ex nihilo creaverit.* 4. Quòd idem *omnia sustentet, &c.*

II. In specie certò statuit, *eundem propter Christum Deum suum ac Patrem suum esse.*

Ubi

Ubi certum judicium de adoptione suî, *Deum meum &c.* & de adoptionis fundamento; *propter Christum.*

Secundus actus fidei est fiducia; *Itaque sic ei confido, &c.* Cujus fiduciæ effectus est spes minimè fallax, quâ de paterna Dei providentia duo sibi promittit.

1. Proposita, quæ sunt 1. Bonorum necessariorum provisus; *quin provisurus sit, &c.* 2. Malorum in bonum conversio; *quin etiam quæ mihi mala, &c.*

2. Demonstrata ex spei fundamento, hinc quidem Dei omnipotentia, quâ potest; illinc verò benignitate, quâ vult; *Cùm & facere id possit, &c.*

EXEGESIS.

Nexus.

Q*Uis nexus?* R. Eum indicat præsentis tractationis inscriptio, quæ est, *De Deo Patre.* Nimirùm partitionem Symboli Apost. superiùs propositam deinceps ordine exsequitur Catech. initium faciens à Deo Patre, prima in Deitate Persona.

Quare in Symbolo usurpetur num. sing. Credo, non Credimus?

II. Q. *Priusquàm quæ Symbolum continet membratim exponere aggrediaris, generalia quædam eò pertinentia doceri velim: velut primum, quare in Symbolo usurpetur numerus singularis,* Credo, *non* Credimus. R. Cùm propter morem Veteris Ecclesiæ, ubi Catechumeni interrogati de fide suâ, pro se quique sigillatim respondebant: tùm etiam, ut sic declaretur ingenium fidei, quâ promissionem generalem fidelium quisque sibi applicat & propriam facit. Q. *Recténe id fit?* R. Omninò: quia id faciendi jus habet, vide *Joh.* 1: 12. Hinc in Scriptura videas, Spiritum S. quod certè observatu dignissimum est, verba præire & præformare fidelibus, quibus generaliter promissa omnibus quisque sibi applicet. Ex. gr. *Psal.* 118: 4, 6, 7. *Dicant agedum timentes Je-*

Fidelium cuique jus est sua faciendi, quæ universis generatim

Jehovam. Jehova est meus, non timebo, &c. Viden' plurali numero? *timentes Jehovam*, subjici singularem, quô quisque fidelis Jehovam suum dicere jubetur, *Jehova est meus?* Hinc Apostolus; *Ita ut confidenter* dicamus, *Dominus* mihi *adjutor, & non timebo, &c. Heb.* 13:6. *premissa sunt in verbo Dei.*

III. Q. *Differuntne credere in aliquid & credere aliquid?* R. Ex usu Symboli saltem non parùm inter illa duo interest. Etenim *credere in Deum*, est fiduciam suam in eo reponere: & *credere Ecclesiam*, est persuasum habere, esse Ecclesiam, ejusque communionem ad omnes pertinere credentes. Idem discrimen olim notavit Cyprianus in Expos. Symb. Apost. *Non dixit, in Sanctam Ecclesiam; nec, in remissionem peccatorum; nec, in carnis resurrectionem. Si enim addidisset* [in] *præpositionem, una eademque vis fuisset cum superioribus.* Et paulò post; *hâc itaque præpositionis syllabâ Creator à creaturis secernitur, & divina separantur ab humanis.* Unde vulgata distinctio phrasium, *Credere Deum, credere Deo*, & *credere in Deum:* ut *illud* sit persuasum habere, esse Deum: *Istud*, fidem adhibere Deo loquenti: *Hoc* denique, Deo fidere. *Quid intersit inter credere in aliquid, & credere aliquid.*

IV. Q. *Quomodo nomen Dei sumitur profitenti*, credo in Deum? R. Sumitur ὑποστατικῶς de Deo Patre. Neque id infrequens Scripturæ est, primam personam vocare Deum; secundam, Filium Dei, &c. Q. *Qua de causa id fieri existimas?* R. Quia Deus frequentiùs se nobis revelat juxta divinam salutis nostræ œconomiam, quàm juxta mysterium SS. Trinitatis in se spectatum. Atqui in salutis œconomia Pater, prima SS. Trinitatis Persona, jus, authoritatem & gratiam totius SS. Trinitatis sibi attribuit: id quod fieri solet, quando cum Filio & Spiritu S. conjungitur: *Hæc scripta sunt, ut credatis Jesum esse Christum, Filium Dei, Joh.* 20:31. *Quia estis filii, emisit Deus Spiritum Filii sui, &c. Gal.* 4:6. *Quomodo nomen Dei in primo Symboli articulo sumatur.*

V. Q. *Quid Catechumenus significare vult verbô illô Credo?* R. Duo: 1. Certum animi sui judicium. 2. Fiduciam. Q. *Istud animi judicium de qua re est?* R. Tùm in genere de veritatibus, quas primus Symboli Apost. articulus complectitur: tùm in specie de jure, quod Deus permittit credentibus, Deum dicendi Deum suum. *Quid in virtute verbi* Credo *contineatur: videlicet credere in*

Q.

Deum, &c. est

I. *In genere. Certo statuere:*

Q. *Quænam sunt istæ veritates?* R. Ut ordine procedamus 1. Certò statuit, eum, in quem credit, esse *Æternum Patrem Domini nostri J. Christi:* eumque adeò habere Filium æternum, sibique ὁμοούσιον cui per æternam & ineffabilem generationem dedit *habere vitam in se*, *Joh.* 5:26. & 6:57. sed de his infrà ad Quæst. XXXIII.

2. *Deum esse æternum Patrem Domini nostri J. Christi.*

Q. *Unde ostendis, hîc Patrem appellari respectu Jesu Christi?* R. 1. Convenit, eam paternitatis rationem hîc intelligi, quæ juxta Scripturam omnium prima & augustissima est. 2. Manifestè hîc agitur de relatione personarum divinarum inter ipsas, quæ in hac confessione fidei ad credendum proponitur. Unde eam etiam agnovit inter alios Veteres Cyprianus; *Patrem cum audis, Filium intellige & Patrem, cujus Filius imago substantiæ, &c. Expos. Symb. Apost.*

2. *Eundem habere æternum consilium de creatione, &c.*

VI. 2. Certò statuit, seque credere profitetur, illum æternum habere consilium de creatione, sustentatione ac gubernatione omnium rerum. Q. *Unde probas Deo tale esse consilium?* R. Scriptura Deo tribuit *consilium voluntatis*, juxta quod facit omnia, *Eph.* 1:11. *Psal.* 33:11. Unde eleganter *Dei manus & consilium determinare* dicitur, *quid fieri habeat*, *Act.* 4:28. Ubi per ἡ χεὶρ καὶ ἡ βουλὴ denotatur consilium efficax. Quemadmodùm enim homo *manu*, sic Deus *decretô* efficit quidlibet, ut non aliâ, quàm consilii divini virtute res quæque fiant, vide *Apoc.* 4:11. Q. *Unde ostendis esse æternum?* R. Scriptura id disertè docet, *Act.* 15:18. *Eph.* 1:4. 2 *Tim.* 1:9. Ut absurdi sint, qui Deo decreta affingunt horaria, quæ quasi rerum casibus atque vicissitudini intentus ex oblata occasione captet vel mutet. *Atqui Deus fortis non est homo ----- quem pœniteat*, *Num.* 23:19.

3. *Eundem omnia creâsse.*

VII. 3. Certò statuit &c. Deum Patrem *cœlum & terram cum omnibus, quæ in iis sunt, ex nihilo creâsse*, i. e. virtute voluntatis, vel decreti sui, fecisse, ut existerent, cùm universim omnia, eo ordine, qui in Scripturis describitur; tùm speciatim homo, ad imaginem Dei, id passim testante Scripturâ S. cujus hæc prima sententia; *In principio creavit Deus cœlum & terram.* Creationis gloriâ, tanquam Divinitatis charactere, ve-

rus

rus Deus à falsis Diis dignoscendus apud Prophetas proponitur, *Esa.* 40. 42. 44. 45. *Jer.* 10: 11. Argumentis ex Ratione depromptis creationem universi hoc locô demonstrare, nec otium, nec opus est, cùm in Symbolo Apost. tanquam articulus fidei proponatur.

VIII. Q. *Unde factum, ut Catechumenus in Symbolo jubeatur profiteri fidem in Deum Patrem* ποιητὴν *Factorem, non* κτιστὴν *Creatorem?* R. Quia ubi de prima rerum existentia ad Dei efficientiam referenda agitur, ברא ποιητὴς *non* κτίστης. & עשה ποιεῖν κτίζειν, in Scriptura promiscuè usurpantur, etsi ποιεῖν in distinctione verborum ברא & יצר, operis perfectionem connotare soleat. Q. *Quid propriè significat verbum* ברא *in Scriptura?* R. Producere rem novam per imperium, uti liquet ex *Num.* 16: 30. In productione igitur, quam denotat Hebr. ברא attenditur I. *Rei novitas*, sive novum fuerit totum rei, quippe ex nihilo productum; sive nova fuerit species aut individuum. II. Voluntatis divinæ imperium, quô solô producta est. Unde Deus dicitur *clamâsse ad cœlum & terram, & stabant pariter*, *Esa.* 48: 13. Et καλῶν τὰ μὴ ὄντα ὡς ὄντα, *Rom.* 4: 17. *Dixit Deus, existat lux, & extitit*, *Gen.* 1: 3. Q. *Cui usui est hanc verbi notionem tenere?* R. Inde disco, vim creandi & creationem ita Dei esse propriam, ut cum creatura communicari nequeat. Nulla enim creatura per imperium vocare potest rem, sive, habet voluntatem, quæ in & ex se sola causa sit, quare aliud quidvis sit. Q. *Nonne ad nutum voluntatis nostræ cientur membra corporis?* R. Id argumentum est non nostræ potentiæ, sed Dei providentiæ, quæ mentem & corpus in homine non alio fœdere & vinculo, quàm mutuis actionibus & passionibus, jungi voluit. Atque hinc invictum argumentum divinitatis Christi, quod ex. gr. vocat sanitatem hominis, quemadmodum herus vocat servum, *Luc.* 7: 7, 8. In quo argumento eludendo hostes divinitatis Christi sibi non constant, dum Christi potentiam faciunt precariam & dependentem in se, independentem verò quantum ad ejus exercitium. Quæ quàm inepta sint, ex dictis patet attendenti.

Cur Deus in Symbolo dicatur ποιητὴς *non* κτίστης.

Quid significet Hebr. ברא

Vis creandi Deo propria cum creatura communicari non potest.

IX. Q. *An creatio ad omnia, quæ extra Deum sunt, se-*

Omnia

præter Deum existentiæ habent initium.

se extendit? R. Imò, juxta confessionem fidei Catechumeni. Omnia ergò præter Deum suî originem & existendi initium habent. Unde Scriptura mundum vocat αἰῶνας, Hebr. עולמים *Hebr.* 11: 3. significans, mundi omniumque in mundo rerum existentiam modulô sive assignatâ mensurâ seculorum & durationis suæ contineri, quæ tamen nobis ignota est: עולם enim rei cujusque durationem, sed ignotam, denotat.

Omnia ex nihilo creata.

X. Q. *Quo sensu dicit Catechum. Deum omnia creâsse ex nihilo?* R. Ex nihilo vel simpliciter, sive quod dici solet, *nihilo subjecti:* sic credit Deum fecisse cœlum & terram. Vel ex nihilo secundùm quid, sive *nihilo suî*, quod vocant: sic credit Deum produxisse nova ex materia inhabili, velut corpus humanum ex luto terræ. Unde vulgata distinctio creationis *immediatæ*, quæ rei est ex nihilo simpliciter: & *mediatæ*, quæ rei est ex materia inhabili productio. Credit igitur Catehum. materiam mundi non ab omni æternitate extitisse, sed & ipsam è nihilo productam fuisse. Q. *Undenam id confirmat?* R. Scripturæ testimoniô, quô Deus *in principio*, cùm nihil rerum esset, *cœlum & terram creâsse*, perhibetur, *Gen.* 1: 1. Item illô; *fide animadvertimus, secula verbô Dei aptata esse,* εἰς τὸ μὴ ἐκ φαινομένων τὰ βλεπόμενα γεγονέναι, *ut non ex apparentibus, quæ videntur, fierent, Heb.* 11: 3. Ubi notandum, Apostolum non dicere, *ex non apparentibus*, quasi ex materia invisibili, indigesta & inornata mundum doceret esse compactum; sed dicendo, *non ex apparentibus* negare materiam præextitisse.

4. Deum omnia sustentare, &c.

XI. 4. Certò statuit &c. Catechum. Deum, Patrem, omnipotentem, *omnia sustentare ac gubernare.* Quæ quidem *providentia Dei actualis* dici consuevit. Eam porrò dari & omnium rerum sustentatione atque gubernatione occupari, docebit sequens Quæstio. Q. *Quare eam cum creatione conjungit?* R. Quia reapse nil nisi continuata creatio est. Q. *Unde id constare vis?* R. 1. Quia quô consiliô Deus creavit omnia, eodem & omnia sustentat, ita ut virtute ejusdem consilii divini res quæque & esse incipiant & porrò sint. 2. Nisi creata quæque continuò crearentur à Deo, in nihi-

nihilum, unde prodierunt, illicò relaberentur. Neque enim si res quæpiam nunc existit, inde consequitur, eandem & posthac extituram, momentis sive partibus temporis non necessariò cohærentibus, vel abs se invicem pendentibus: nisi quod longè foret absurdissimum, creatis necessariam existentiam atque se ipsa conservandi facultatem inesse velis.

XII. Q. *Estne amplius quid, quod ad certum illud animi judicium, de quo hactenus sermo fuit; referas?* R. Hæc quinta veritas, quam Catechum. credere se profitetur, videlicet, Deum habere Filium, *quem unxerit Spiritu S. & dederit Salvatorem electis.* De quo ad secundum Symboli articulum dicemus suò locò.

5. *Deum habere Filium, quem unxerit Spiritu S. &c.*

XIII. Q. *Dixisti de veritatibus, quas primus Symboli Apost. articulus complectitur: quid doces speciatim de jure, quod Deus permittit credentibus Deum dicendi Deum suum?* R. Eo jure gloriatur Catechum. quando se credere dicit, Patrem Domini nostri J. C. *propter Christum Deum meum & Patrem meum esse.* Ubi *consœderationem* ac *adoptionem* & utriusque *fundamentum* audis. Q. *Unde tanta Catechumeno fiducia?* R. Libertatis atque fidei suæ authorem & testem habet Christum, qui redivivus Mariæ dixit; *proficiscitor ad fratres meos & dicito illis, ascendo ad Patrem meum, & ad Patrem vestrum, & Deum meum, & Deum vestrum, Joh.* 20: 17.

II. *Credere in Deum est habere persuasum, Deum esse Deum suum & Patrem suum.*

Q. *Unde audet Catechum. Deum dicere Deum suum?* R. Eam ipsi fiduciam facit fœdus gratiæ, ex quo Deus cuique credentium jus esse vult, se tanquam Deum suum, conveniendi, & bona fœdere promissa abs se exspectandi. Memorabile est, quod in eam rem legimus, *Deut.* 26: 17, 18. *Dominum jussisti, vel fecisti dicere hodiè, quòd factus sit tibi in Deum, & quòd ambules in viis ipsius ------ Et Dominus jussit te dicere hodiè, quòd factus sis ipsi in populum peculii, &c.* Ita credens Deum suum, persuasum habet Dei potentiam, amorem, gratiam, &c. sibi addictam esse fœdere, ita ut cum Davide glorietur יי יגמר בעדי *Jehova totus est circa me*, vel, *totum se impendit pro me*, vel *propter me*, *Psal.* 138: 8. Q. *Unde audet Deum dicere Patrem suum?* R. Id gratuitæ debet adoptioni, in qua Deus credenti-

Unde existat fiducia, Deum dicendi Deum suum, &c.

bus jus largitur sese gerendi pro filiis Dei, atque adeò ipsum ceu Patrem adeundi & hæreditatem æternam petendi atque exspectandi. *Quotquot eum accepere, dedit eis ἐξουσίαν τέκνα Θεῦ γενέσθαι, &c. Joh.* 1: 12. Hinc toties in Scripturis repetita Patris & filiorum appellatio. *An oblíti estis consolationis, quæ vobis ut filiis loquitur? Heb.* 12: 5, 7.

Fœderis gratiæ & adoptionis fundamentum est Christus.

XIV. Q. *Quodnam confœderationis & adoptionis illius est fundamentum?* R. Christus. Hinc Catech. *propter Christum* Deum meum, & Patrem meum esse. Q. *Quomodo confœderationis?* R. Quia sine Christo Sponsore & Sacerdote nemini patet accessus ad Deum, *Jer.* 30: 21. *Rom.* 5: 1, 2. Christus, *Sponsor Testamenti* est, ex quo fœdus gratiæ fluit, *Heb.* 7: 22, 25. Itemque *Apostolus & Pontifex adstipulationis nostræ, Heb.* 3: 1. Q. *Quomodo adoptionis fundamentum est Christus?* R. Quia quicquid gratiæ atque dignitatis nobis obtingit ex adoptionis beneficio, id in solo Christo consequimur. *Definivit nos ad adoptionem filiorum per Jesum Christum, Eph.* 1: 5. *Gal.* 4: 5. Plura inferiùs ad Quæst. 33. Atque hucusque de primo fidei actu, puta, *certo animi judicio*, quo vera statuit Catehum. quæ primò Symboli articulo comprehenduntur: nunc dicendum de altero qui est *fiducia*.

Fiducia fidei circa primum Symboli Apostolici articulum.

XV. Q. *Quibus verbis hunc fidei actum exprimit Catechumenus?* R. Verbis; *sic ei confido, sic in eo acquiesco, ut non dubitem, quin provisurus sit*, &c. Hac ratione, quam veræ fidei fiduciam inesse probavimus suo loco, deinceps ipso usu confirmat Catechum. confidenter sua faciens, quæcunque ad consolationem fidelium ex Scripturis deprompta, & Symbolo, credendorum compendio, inclusa deprehendit.

Ex fiducia nascitur spes certa de paterna Dei provid. Ex qua Catechum. sibi promittit:

XVI. Q. *Quis istius fiduciæ fructus & usus?* R. Spem ex se gignit minimè fallacem de providentia Dei paterna. De qua Catechum. duo sibi promittit, quæ utramque fortunam spectant. Q. *Quodnam est primum?* R. Bonorum necessariorum provisus; *confido, non dubitans, Deum provisurum omnibus, tùm animo tùm corpori meo necessariis.* Q. *Unde id probas?* R. Ex innumeris de favore Dei paterno promissionib. in V. & N. Test. Emphaticum est illud; *Gustate & videte, quòd bonus*

bonus est Jehova, *Psal.* 34: 9. q. d. tam evidentia sunt bonitatis divinæ experimenta, nusquam non obvia, ut omnibus sensibus etiam ad suavitatem sese invergant & insinuent, &c. *Beatus vir, qui confugit ad ipsum. Timete Jehovam sancti ejus: nam non est defectus timentibus ipsum, &c.* v. 10. adde *Psal.* 37: 3. Christus Servator adversus dissidentiam & in comparando victu & amictu solicitudinem nos præmuniturus, multis argumentis docet, confidenter à Deo exspectandâ, quæ vitæ tolerandæ necessaria sunt. 1. Quia quod plus est à Deo obtinuimus. Qui animam dedit, quidnî alimenta? qui corpus, quidnî indumenta suppeditet? 2. Quia Deus curat volucres, & vestit herbas, quibus longè præstamus. 3. Quia curis animum angentibus nihil proficimus: nullâ nostrâ curâ crescimus: *aut quis potest staturæ suæ vel ulnam addere?* Necessaria igitur à Deo non exspectare, ὀλιγοπιστίας argumentum dicit, *Matth.* 6: 25, &c. Videnˈ Christum bonitatis divinæ non tantùm testes, sed & obsides; non tantùm argumenta, sed & pignora nobis dare volucres cœli, & herbas agri? *aspicite volucres cœli, &c.* Obj. *An ergò ista securitatis nostræ quasi pignora intuentes, complicatis brachiis otio indulgebimus?* R. Servator sic intelligi vult; Si Deo consisi opus honestum legitimæ vocationis faciamus, si aremus, seramus, &c. quâ quidem ratione ipse Deus facere nos docet, *Esa.* 28: 26. si inter laborandum indesinenter oremus, 1 *Thess.* 5: 17. si ante omnia regnum Dei, ejusque justitiam, quæramus, præsidia & adminicula vitæ animalis non nisi auctarii & accessorii locô habentes; hæc, inquam, si faciamus, vult Servator, nos de paterna Dei providentia persuasos cætera perinde securos esse posse atque debere, ac volucres cœli & lilia agri, quibus nulla victitandi seque amiciendi cura est.

1. *Deum necessariis provisurum.*

Quo sensu Christus suos vetet esse solicitos de comparandis vitæ adminiculis.

XVII. Q. *Quodnam est alterum, quod de providentia Dei sibi pollicetur Catechum.?* R. Conversio malorum in bonum; *Ita ut non dubitem, quin quæ mihi mala in hac ærumnosa vita immittit, ea in meam salutem sit conversurus?* Q. *Unde verò doces, spem istam minimè esse fallacem?* R. Quia Catechum. ejus certissima habet

2. *Mala immissa conversurum in bonum.*

Quæ spei istius firmamenta.

bet firmamenta duo: Illinc quidem omnipotentiam Dei; hinc benignam voluntatem Patris; de quibus Quæstione XXVIII. § 6.

Quæstio XXVII.

Quid est providentia Dei?

Omnipotens & ubique præsens Dei vis, quâ cœlum & terram cum omnibus creaturis, tanquam manu sustinet ac gubernat, ut quæ è terra nascuntur, pluvia item & siccitas, fertilitas & sterilitas, cibus & potus, bona & adversa valetudo, divitiæ & paupertas, omnia denique non temerè aut fortuitò, sed paternô ejus consiliô & voluntate contingant.

ANALYSIS.

Responsio ad Quæstionem hanc bimembris est

I. Describitur providentia Dei tùm ex naturæ suæ proprietate; *omnipotens & ubique præsens Dei vis:* tùm ex actibus duobus, sustentatione & gubernatione. Prior illustratur simili, *tanquam manu sustinet.* Uterque ex objecto describitur, quod sunt omnia creata; *quâ cœlum & terram cum omnibus &c.*

II. Inde deducitur consectarium; *Ergò nihil fortuitò, sed omnia paternô* &c. Ubi Cat.

1. Ne-

1. Negat quicquam fieri temerè aut fortuitò, quod ostendit inductione quorundam operum & eventuum, quos profani vel necessitati naturæ adscribunt, *velut quæ terrâ nascuntur &c.* vel industriæ aut negligentiæ hominum, vel cæcæ Fortunæ; *Veluti sunt bona & adversa valetudo, divitiæ, &c.* vel denique libero arbitrio, ut sunt actiones liberæ, bonæ vel malæ; *Omnia denique, &c.*
2. Asserit veram & primam omnium causam, quæ in genere est *voluntas Dei* vel efficiens, vel permittens: in specie, respectu piorum, est *paternum ejus consilium.*

EXEGESIS.

Primus Symboli articulus etiam providentiam Dei complectitur.

RE*cténe Catechetes ad doctrinam de creatione refert actualem Dei providentiam?* Rz. Omninò: tùm, quia rerum conservatio & gubernatio nihil aliud est, quàm continuata earundem creatio, uti suprà notatum: tùm quia ipsum sic sentire docet Scriptura divina, *Job.* 12: 9, 10. Neque verò Deus momentaneus Creator est, qui opus suum semel absolutum destituat: sed est perpetuus Conservator & Moderator sustentans & gubernans omnia, in nihilum alioqui relapsura.

Nomen providentiæ.

II. Q. *Quid tenendum de vocabulo providentia?* Rz. Quanquam Latina vox *Providentia*, ut & Germanica, à sensu ad intellectum traducta, Græca verò πρόνοια, & Heb. השגחה propriè actum intellectûs sive præscientiam significent, usus tamen easdem etiam ad voluntatis actum & affectum, atque inde porrò ad externum opus, rerum nempe præscitarum curam & gubernationem designandam transtulit. Cùm autem de re isto nomine significata nobis abundè constet ex Scriptura, non est, cur de vocabulo laboremus.

Providentiam

III. Q. *Quare Catech. Providentiam Dei vocat*

tia Dei est vis Dei.

vim? R. Vim Dei dicit, ut significet, non violentiam aut coactionem, tametsi certè vis ista sit insuperabilis, sed efficacitatem potentiæ, sive voluntatis Dei; vel ut planiùs explicem, efficacissimam Dei operationem, quâ semper & ubique in omnibus operatur omnia, quæ sui generis bonitatem habent, secundùm illud Christi; *Pater meus operatur usque adhuc, & ego operor, Joh.* 5: 17. Q. *An igitur res creatæ ex se nihil agere possunt?* R. Utrùm illis sit potentia, quâ quidem ex se, attamen ut causæ secundæ, à prima in operando pendentes, agere queant: an verò omni potentiâ agendi destitutæ non nisi causæ occasionales in ordine ad Deum dici debeant, disputari solet. Nobis satis esto novisse, *in Deo vivere, moveri & esse* omnia, *Act.* 17: 28. neque creaturæ ulli eam esse potentiam, quâ, nisi Deo volente, benefacere nobis vel rursum nocere queat, eoque nomine à nobis amari vel metui mereatur. Quo non observato factum, ut Gentiles *servierint* τῇ κτίσει παρὰ τὸν κτίσαντα, *Rom.* 1: 25.

Vis omnipotens.

IV. Q. *Quare vim istam dicit omnipotentem?* R. Quoniam est vis procedens ab illa Dei sufficientia, quâ vocare & sistere potest omne possibile, h. e. quicquid de ulla Dei perfectione testari, & ut *à Deo*, sic etiam *ad Deum* esse potest, *Rom.* 11: 36. Unde Deus dicitur אל שדי ὁ δυνατὸς: cujus omnipotentiam passim celebrat sacra pagina. E multis vide *Job.* 42: 2. *Luc.* 1: 37. *Rom.* 4: 17. *Phil.* 3: 21. Q. *Quare vim istam vocat omnipræsentem?* R. Quia providentia non est principium quoddam generale confusi motus machinæ hujus mundanæ, longo à causis secundis interstitio distans: sed vis illis præsentissima, & ad singulos ac particularissimos earum motus pertingens ἀμέσως. Etenim nisi *in Deo moveri, vivere & esse* non potest quicquam, atque ita *Deus non longè abest ab unoquoque nostrûm, Act.* 17: 27, 28. adde *Jer.* 23: 23, 24.

Vis omnipræsens.

Obj.

Obj. *Atqui Deus sæpè causarum mediarum interventu res conservat & gubernat: non igitur intimè præsens est omnibus.*

Resp.

R. Nihilominus Deus immediatè præsentissimus est atque agit in omnibus, tùm quia causæ istæ mediæ quædam quasi involucra & tegumenta sunt, quibus actionem

nem suam immediatam obtegit: tùm quia Deus etiam in ipsis illis causis mediis ἀμέσως agit, alioqui non profuturis.

V. Q. *Quot sunt actus providentiæ divinæ?* R. Catech. duos numerat; Sustentationem seu conservationem, & Gubernationem. Q. *Quam vocat Sustentationem?* R. Quâ Deus rem quamque esse vult per tempus, quod illi definivit: quâ enim voluntate suum cuique rei dedit *esse*, eâdem etiam suum illi עולם *totam durationem*, assignavit. De hac passim loquitur Scriptura. Videantur inter alia *Act.* 17: 24:---28. *Psal.* 36. 7. *Heb.* 1: 3. *Psal.* 104: 28. *&c.* Q. *Habesne ejus speciale aliquod documentum?* R. Manifestissima est ex. gr. in conservatione specierum per generationem individuorum, horumque sustentatione per suppeditationem convenientis alimenti. Unde quæcunque individuorum raritas quandoque deprehendatur, speciei tamen interitus nunquam observatur. Q. *Quid sibi vult Catech. quando dicit*, tanquam manu sustinet R. Hunc providentiæ divinæ actum similitudine illustrat. Quæ manu tenemus, gestantur à nobis & sustinentur, ne corruant, & hactenus nostri arbitrii sunt & potestatis: itidem certè res quæque creatæ potenti verbô Dei, tanquam manu gestantur, *Heb.* 1: 3. aliàs in nihilum relapsuræ, sicut ædificium subtractis columnis ruit. Vide etiam *Psal.* 139: 5. &c. Sic *in manu Jehovæ est anima omnis viventis*, *Job.* 12: 10. unde & illud; *abscondis faciem tuam*, *conturbantur*, *Psal.* 104: 29. Quemadmodum sole faciem occultante lux omnis protinus cessat.

Actus Providentiæ:

I. *Sustentatio.*

Cujus illustre documentum in conservatione specierum.

Deus tanquam manu sustinet omnia.

VI. Q. *Quid de Gubernatione, altero providentiæ divinæ actu, tenendum doces?* R. Ut quæ ad eam pertinent rectè intelligantur, paucis videamus ejus à priori Providentiæ actu differentiam, Veritatem & Naturam. Q. *Quid igitur interest inter Conservationem & Gubernationem?* R. Facit conservatio, ut res quæque porrò sit, atque adeò rem ipsam ejusque facultates respicit. Gubernatio etiam circa actiones, casus & eventus quosque versatur, quatenus sapienti ratione ordinantur, & suum quæque in finem citra frustrationem dirigantur. Velut, quod hominum alius alio

II. *Gubernatio.*

Quid inter conservationem & gubernationem interst.

successu hoc, illud, agit: quòd alius hôc, alius alio tempore diem suum obit: quòd alius ditescit, alius pauperatur, &c. à Gubernatione divina pendet.

Deum omnia gubernare probatur.

VII. Q. *Veritatem quod concernit, unde hanc providentiæ partem probas?* R. In hanc rem disertissima est Scriptura. *Juravit Jehova dicendo; si non, quemadmodum delineavi, ita extitit, &c. Esa.* 14: 24. adde *Dan.* 2: 21. *Psal.* 135: 6. Memorabile est illud Servatoris; *Nonne duo passerculi assariô veneunt, & unus ex eis non cadet in terram sine Patre vestro, Matth.* 10: 29. Ubi non tantùm passerem, sed etiam casum passeris, consilio & regimini divino subjectum docet. Quòd igitur hic passer, hôc locô, hoc tempore, hac de causa, ex. gratiâ telô petitus, &c. decidit, id regiminis divini effectum atque documentum interpretatur Servator. Quid multis? testem gubernationis divinæ damus universam Scripturæ Sacræ historiam.

Quæ in re consistat gubernatio.

VIII. Q. *Ut ne naturam ejus dicere omittas, quæ in re consistit Gubernatio divina?* R. I. In sapientissima omnium rerum & eventuum ordinatione, Deus enim *omnia fecit pulchrè tempore suo. Eccl.* 3: 11. II. In potentissima omnium directione ad suos fines; *Omnia parat Jehova ad responsum suum, atque etiam improbum ad diem mali, Prov.* 16: 4. Jehova perinde omnia manu tenet & tractat, ac figulus argillam, quæ quidem vis est verbi פעל in origine. Omnia autem sapienter tractat & moderatur למענהו *ad responsum suum*, ut sibi respondeant, eumque finem, quem suô consiliô illis præfixit, certò consequantur. Vide etiam eleganter de hac re differentem Elihu, *Job.* 37: 12, 13. Ubi ex gubernaculis intelliges Deum omnium gubernatorem. Verùm qualis porrò sit gubernatio divina, amplius patescit ex usitatâ ejusdem distinctione, de qua passim Theologi.

Providentiæ divinæ subjiciuntur omnia.

IX. Q. *Quodnam est Providentiæ divinæ objectum? sive quænam illi subjiciuntur?* R. In Catechesi statuitur duplex: I. Generale, propositum verbis; *quâ cœlum & terram cum omnibus creaturis tanquam manu sustinet, &c.* de quo requirantur cùm testimonia antè allegata, tùm capita Jobi 26. 28. 36. 38. Psalmi 104. 135. 147.

147: 148. II. Speciale, aliquot exemplis declaratum, à quibus cætera quæque non excludi, docet complexus universalis sub finem additus; *omnia denique, &c.* Sunt autem sex numerô. I. Terrâ nascentia, de quibus *Psal.* 104: 14. *Matth.* 6: 28. II. Pluvia & siccitas, *Deut.* 28: 12. *Jer.* 14: 22. *Act.* 14: 17. III. Fertilitas & sterilitas, *Deut.* 28: 11. *Hos.* 2: 21, 22. 2 *Reg.* 8: 1. IV. Cibus & potus, *Psal.* 104: 26, 27. *Act.* 14: 17. V. Bona & adversa valetudo, *Psal.* 103: 5. & 107: 20. *Lev.* 26. *Deut.* 28. VI. Divitiæ & paupertas, 1 *Sam.* 2: 7. *Luc.* 1: 53. *Prov.* 22: 2.

Etiam minima quæque.

X. Q. *Etiamne minima Providentiæ Dei subsunt?* R. Deus certè minima quæque non minùs quàm maxima curat: *Etiam capilli capitis nostri numerati sunt*, *Matth.* 10: 30. Scitè Augustinus; *Times ergò*, inquit, *ne pereas, cujus capillus non peribit? si sic custodiuntur superflua tua, in quanta securitate est anima tua? Hom.* 14. Ne tamen putes, Deum, de homine magis solicitum, cætera extra curam suam abjicere, memento, *ne passerculos quidem sine ejus voluntate in terram cadere, vel capi*, *Matth.* 10: 29. Obj. *Fortè hinc metuendum quis dicat, ne curâ minimorum vel fatigetur Deus, vel Majestati ejus derogetur.* R. Neutrum suspicabitur, qui rem ex vero arbitratur. Enimverò fatigari non potest, qui solo nutu atque imperiô voluntatis omnia facit. Deinde Deus sic magnus est in maximis, ut non minor sit in minimis, sapientiâ & potentiâ ejus non minus in creatione & conservatione acari, quàm elephanti, conspicuis: quemadmodum, si sapis, non minus industriæ & artis agnoscis in fabrica horologii portatilis, quàm machinæ quàmlibet magnæ. *Attendat charitas vestra*, inquit August. *Quis disposuit membra pulicis & culicis, ut habeant ordinem suum, habeant vitam suam, habeant motum suum?* Et paulò post; *Expavescis in minimis, lauda magnum, Enarr. in Psalm.* 148.

Etiam fortuita.

XI. Q. *An etiam fortuita Providentiæ divinæ subjiciuntur?* R. Quæ vel maximè fortuita videntur, sive quia nostram industriam frustrantur, sive quia præter intentionem nostram accidunt, providentiâ Dei reguntur. *Sors mittitur in gremium, sed à Jehova*

est

est tota ratio ejus, *Prov.* 16: 33. Sic sortes Regis Babyl. direxit Deus in Hierosolyma, *Ezech.* 21: 26, 27. De hominis cæde fortuita dicit Scriptura, quòd Deus אנה לידו *faciat occurrere in manum ejus*, qui occidit quemquam præter intentionem, *Exod.* 21: 13. Unde hominem, cui aliud agenti contigit occidisse quempiam, non omni pœnæ metu liberum voluit. Etenim extra asylum deprehensus pro homicida occidebatur: Deo hac ratione testatum faciente, futurum, ut nisi debita deesset charitas, etiam à fortuita & involuntaria proximi læsione præservaremur.

Etiam hominis nativitas & mors.

XII. Q. *Etiamne vitæ humanæ initium atque finem providentiâ Dei definita dices?* R. Quidni? Nostrûm cujusque nativitas & mors, non minùs ac siderum ortus & occasus, suis circumscriptæ sunt finibus, quibus reguntur. Vitæ igitur humanæ terminum fixum atque immotum credo juxta Scripturam. *Siquidem decisi sunt dies ejus, numerus mensium ejus est tecum, limites ejus fecisti, & non transibit*, *Job.* 14: 5. Viden' suam cuique stare diem? Communis lex, *morte morieris*, *in pulverem reverteris:* omnes ad necem trahit. Sed libera Dei voluntas, sapiensque & justa dispositio, finem modumque vitæ & mortis ponit, adde *Psal.* 139: 16.

Nec minùs omnes hominis actiones. Quomodo actiones bonæ subsint providentiæ divinæ.

XIII. Q. *Quid de actionibus humanis & voluntariis censes?* R. Eidem providentiæ subjiciuntur omnes. Vide inter alia *Psal.* 139: *Prov.* 21: 1. Q. *Cùm actio hominis vel bona sit moraliter, vel mala, neutramne providentiæ divinæ subduci existimas?* R. Neutram. Actio quidem bona ita Deum habet authorem, ut ejus solida laus Deo debeatur, quippe qui & *velle* & *facere bonum in nobis operatur*, *Phil.* 2: 13. adde *Ezech.* 36: 27. Deus boni præceptor, doctor, suasor, exemplar, præparator, conservator, & ad se quærendum invitator est. Neque tamen hoc dixisse satis est. Bonæ insuper voluntatis est creator, boni operis formator & author, ejusdemque laudator & remunerator. Obj. *Hac ratione quomodo voluntati sua constabit libertas?* R. Id doceant verba Augustini; *Neque enim voluntatis arbitrium ideò tollitur, quia juvatur; sed ideò juvatur, quia non tollitur*, &c. *Epist.* 89.

XIV. Q.

XIV. Q. *Ut igitur verum fatear, actiones bonas Dei subesse providentiæ, idem de malis sive peccatis, qui verò persuadebis?* R. Etiam peccata Dei providentiâ gubernari docet Cæch. exemplis fratrum Josephi, *Gen.* 50: 20. Davidis & Simei, 2 *Sam.* 16. Christi & Judæorum, *Act.* 2. & 4. in appendice Quæstionis hujusce XXVII. *Quomodo actiones malæ sive peccata.*

Addenda.

I. Istius gubernationis divinæ rationem rimari velle plus quàm temerariæ curiositatis est. *Mirabilis est hæc scientia præ me, sublimis est, non valeo ad ipsam pertingere, Psal.* 139: 6. Interim, quantum ejus ex revelatione Scripturarum scire datur, Providentiam Dei versari dicimus circa peccatum antequàm perpetratur, quando patratur & postquam patratum est. *Providentia Dei circa peccatum versatur 3. momentis spectatum.*

II. *Antequam patratur*, Deus peccatum vetat lege, & nihilominùs illæsâ sanctitate suâ & justitiâ idem evenire permittit. Quæ permissio non Ethica & juris, sed physica & facti, neque tamen otiosa & simpliciter non impedientis est, quâ positâ peccatum evenire vel non evenire queat; sed activa, sapiens & provida: uti patet inter alia ex *Act.* 14: 16, 17. *Rom.* 11: 32. 2 *Sam.* 16: 10. *Deut.* 32: 20. 1 *Reg.* 22. *1. Antequam patratur.*

III. *Quando patratur*, Deus I. sustentat creaturam, alioqui exspiraturam & in pulverem reversuram, *Psal.* 104: 29. II. Ipsum actum peccato subsstratum, ut causa prima, producit, neque tamen malitiæ adhærentis ullô modô est particeps. III. Sapienter & potenter aliò dirigit peccatum, quàm destinaverat peccator, ut liquet exemplô venundationis Josephi, &c. IV. Peccato modum limitemque ponit, ne pro libidine peccantis hominis & ad peccandum instigantis Satanæ, ulteriùs, quàm Deo visum est permittere, grassetur. Limitatio illa spectat 1. Tempus peccati perpetrandi: vide *Job.* 1: 12. & 2: 6. *Job.* 7: 30. 2. Peccati modum, puta atrocitatem, &c. *Act.* 12: 3--9. *Psal.* 124: 2---5. 3. Peccati durationem. Ut patet exemplô captivitatis Judæorum per Babylonios, &c. *2. Quando patratur.*

IV. Modus, quô Providentia Dei versatur circa pecca- *3. Post-*

quàm patratum est.

Lemmata quædam, quæ diluendis difficultatibus faciunt.

peccatum jàm patratum, spectatur in punitione vel condonatione, de quibus alibi.

V. Adversus difficultates, quibus doctrina hæc premi solet, seqq. observâsse usui erit. I. Idem facinus sæpè Deo, Satanæ & impiis adscribi in Scriptura S. Sed varietatem in fine modoque agendi facere, ut illinc inculpata Dei justitia reluceat; hinc verò Satanæ hominumque nequitia cum sua confusione se prodat. II. Plurimum interesse inter rationem primam eventûs peccati, & causam peccati. III. Deviationis à lege, quæ vitiosas facit actiones, causam non esse efficientem, sed deficientem: quod si peccatum, quà tale, res foret positiva, peccari non posset omittendo. IV. Quicquid Deus in permissione eventûs peccati præter non impeditionem facit, id Deo ut justissimo Judici tribuendum: atqui judicia Dei ἀνεξερεύνατα. V. Certissimum ab *una parte*, Deum omne peccatum quàm maximè abominari, neque adeò authorem esse posse ejus, cujus est ultor: ab *altera parte*, creaturam sine Deo nec vivere nec movere se posse, & porrò liberrimè peccare, quando peccat. Ast quomodo hæc componi queant, quæ mentis nostræ angustia est, comprehendere, & quicquid hìc difficultatis sese ingerit, expedire nos non posse. Inepti verò hominis esse, negare velle quod clarum & certum est, propter id quod finitæ mentis captu comprehendi non posse, liquet attendenti. Cæterùm calumniosam consequentiam, quam adversarii nobis objectant, cùm nec videamus, nec agnoscamus, eâ certè, quasi dogma nostrum foret, gravandi non sumus. Quod cùm, nobis strenuè protestantibus, adversarii nihilominùs faciunt, sese conscientiæ nostræ judices constituunt, contra *Rom.* 14: 4.

Quæstio XXVIII.

Quid nobis prodest hæc cognitio creationis & providentiæ divinæ?

UT in adversis patientes, in secundis grati simus, in futurum verò optimam

mam in Deo fidissimo Patre spem repositam habeamus, certò scientes, nihil esse quod nos ab ejus amore abstrahat; quandoquidem omnes creaturæ ita sunt in ejus potestate, ut sine ejus arbitrio non modò nihil agere, sed ne moveri quidem possint.

ANALYSIS.

Doctrinæ de Creatione & Providentia divina usus seu fructus triplex subjicitur:

I. Patientia in adversis: *ut in adversis &c.* ubi virtutis tùm officium, tùm exercendæ materia, distinctè notari possunt.

II. Gratitudo in secundis &c. ubi rursus observanda, quæ modò.

III. Spes optima, quæ ab ingenio suo, adjuncto certitudinis & fundamento descripta; *in futurum optimam in Deo fidissimo Patre spem &c.* confirmatur argumentô, quod

1. Proponitur, deductum ab impotentia creaturæ; *certò scientes, nihil esse, quod nos &c.*

2. Adversus tacitam objectionem vindicatur; *quia omnes creaturæ ita sunt in ejus potestate, ut sine ejus arbitrio &c.*

EXEGESIS.

Usus & fructus doctrinæ de Creatione & Providentia.

SAtisne est, *Deum omnium rerum Creatorem & Gubernatorem cognovisse?* R. Cogitandum porrò est de usu, quem doctrina de creatione rerum & providentia Dei præbet insignem. Q. *Cui igitur usui est?* R. Nostrum nos docet officium, in eo situm, ut patientes nos exhi-

exhibeamus in adversis, gratos in secundis, benè sperantes in futurum. Cùm verò fidei germina quædam sint patientia, gratitudo & spes, uti ex propiore singularum inspectione patescet, doctrina Creationis & Providentiæ, quâ par est ratione agnita & per fidem in animum admissa, citra dubium fructus in nobis proferet modò memoratos.

Quomodo fides Creationis & Providentiæ pariat patientiam in adversis.

II. Q. *Quomodo ostendis, patientiam in adversis esse fructum ex cognitione & fide Creationis & Providentiæ divinæ enascentem?* R. Quandoquidem fide reclinemus in Deum Creatorem atque Patrem fidissimum, arctéque adhærescamus Christo, Servatori unico, eo in omni fortuna confisi, ac persuasum habentes, quæ nobis accidunt adversa, ipso providente nobis immitti, *commodo nostro*, *Heb.* 12: 10. *Rom.* 8: 28. fit, ut nec robore, nec voluntate æquô animô ferendi adversa, destituamur. Invicto enim robore sustentat Christus, quos per Spiritum fidei sibi implantavit. Fides quoque animum addit, varia patientiæ exercendæ argumenta suggerens, & de favore Dei in nos paterno, afflictionumque origine, necessitate, usu & fine, quantum satis est, nos instruens.

Quomodo gratitudinem in secundis.

III. Q. *Quanam ratione fides Creationis & Providentiæ operatur gratitudinem in secundis?* R. Id minimè obscurum. Persuasus enim, bona quæque ex paterno Dei consilio provenire, quidnî toto corde & ore laudibus efferas tam fidelem Creatorem & providum in Christo Patrem? Q. *Cùm Catech. nos gratos esse jubeat in secundis, nonne eosdem nos esse decet in adversis?* R. Quidnî? Apostolo mandante, *in omni re gratias agi; hæc enim est voluntas Dei in Christo Jesu erga vos*, 1 *Thess.* 5: 18. Quô ipsô docemur, quæcunque nobis accidunt pro bonis reputare, ipsaque adeò adversa in beneficii loco reponere, quippe *quæ ad bonum cooperantur*, *Rom.* 8: 28. vide *Job.* 2: 10. & *Job.* 1: 21. *Eris insultsus puer in domo patris, amans patrem, si tibi blanditur, & odio habens, quando te flagellat: quasi non & blandiens & flagellans hæreditatem paret*, *August. in Psal.* 32. Q. *Quare igitur gratitudinem in secundis Deo persolvendam dicit Catech.?* R. Quia in secundis singulari modo hoc officii genus præstari

Imo etiam in adversis.

præstari potest atque debet; videlicet dum I. Res secundas in hoc mundo non habemus pro Bono nostro, quô frui velimus, quasi ejus perceptione felices futuri; sed pro adminiculis, quæ desiderium veri æternique boni in nobis accendant & foveant. II. Rebus terrenis non confidimus, parati eas deserere, nullô retinendi desideriô, ubi Deo visum fuerit iisdem nos privare. III. Eisdem, ubi affluunt, non ad voluptatem, luxum, vitæ pompam &c. verùm tùm ad proximum juvandum, tùm ad vitam & animi corporisque vires sustentandas, ut tantô hilariùs quod officii nostri est, facere queamus; atque adeò tandem, qui summus nobis finis per omnia propositus esse debet, ad glorificandum Deum, providum illum in Christo Patrem, liberalissimumque omnis bonæ rei largitorem, utimur. Hoc demùm est gratiasagere Deo pro bonis, quæ impertitur indignis: referre enim quis possit? *Inveni, quid Deo des, quod ab illo non acceperis, & retuleris gratiam*, inquit Aug. *in Psal. XLIV.*

IV. Q. *Quemporrò fructum ex agnitione & fide Creationis & Providentiæ percipiendum dicis?* R. Facit ea fides, ut in futurum optimam spem in Deo fidissimo Patre repositam habeamus. Q. *Quam vocas spem optimam?* R. Certam bonorum promissorum exspectationem, quam vitæ præsentis incommoda evertere ut maximè tentent, certè non valent. Q. *Quô pactô eam à fide creationis & providentiæ divinæ progigni doces?* R. I. Fide persuasum habemus, Deum esse πιστὸν κλίσιν, qui nos, opus manuum suarum, nunquam destituat, & benignum in Christo Patrem, qui nostrî, suorum filiorum, curam gerat. II. Factis compertum habemus, quàm benevolô in nos sit animô Deus, tot ejus in nos extantibus paternæ providentiæ beneficiis, ut numerum inire non possimus. Ea spem faciunt certam, Deum usque eundem erga nos futurum posthac, atque fuit hactenus. *Quomodo spem optimam in futurum, &c.*

V. Q. *In quid hæc spes fertur?* R. I. Eam spem habentes exspectamus, imò spe quodammodo præcipimus bona cœlestia, quæ Apostolus nomine gloriæ Dei in nobis manifestandæ complexus est, *Rom.* 5: 2. *In quid feratur illa spes.*

II. Certum speramus, *omnia nobis*, sive adversa, sive prospera, *ad bonum adjumento fore*, *Rom.* 8: 28. nihilque adeò nos ab amore Dei abstracturum, nulla re potestatis quidquam habente in amorem Dei, *quò nos dilexit in Christo*, *Rom.* 8: 37, 38, 39. *Joh.* 10: 28, 29, 30.

Quônam nitatur fundamentô.

VI. Q. *Quônam spes ista nititur fundamentô?* R. Geminô: I. *Sufficientiâ Dei.* Recognoscentes enim in Deo omnem sapientiam, potentiam, veritatem, bonitatem, cæterasque virtutum divinarum divitias, nulli dubitamus, quin servare possit. 2. *Promissione gratuita*, quâ propositum nos servandi notificat, se Deum atque Patrem nostrum declarat, nobisque omnes istas divitias potentiæ & gratiæ suæ addicit. Nulli ergò dubitamus, quin servare velit. Sic Abraham jussus fuit confidere, non metuere, quia audiverat Deum dicentem se אל שדי *sufficientissimum*, & promittentem, se ei fore *clypeum*, *mercedem amplam valdè; Deum* item, *& semini ejus*, *Gen.* 15: 1. & 17: 1. *&c.*

DE DEO FILIO.

Quæstio XXIX.

Quare Filius Dei appellatur JESUS, hoc est Salvator?

QUia nos salvat ab omnibus peccatis nostris: nec ulla salus aliunde peti debet, nec alibi reperiri potest.

ANALYSIS.

I. Titulus *De Deo Filio* exhibet materiam tractationis ex articulis Symboli Apost. qui secundam ejus partem faciunt.

II. In

II. In Quæstione, quæ est de nomine Jesu, quod primum Filio Dei tribuitur in Symbolo, obs. 1. Personam, de cujus nomine quæritur, quæ est *Filius Dei.* 2. Nomen, quô appellatur *Jesus.* 3. Nominis interpretationem, *hoc est, Salvator.* 4. Quæstionem de ratione impositi nominis, *quare* appellatur, &c.

III. Responsio habet notationem nominis Jesu

1. Ex effectu, *quia nos salvat ab omnibus peccatis nostris.*
2. Ex adjuncto proprio, nempe gloria salvationis, quæ uni & soli convenit; *Nec ulla salus aliunde peti &c.*

EXEGESIS.

Nexus.

QUis hujus cum præcedente tractatione nexus? Adhuc de prima parte Symboli Apost. de Deo Patre: Sequitur secunda de Deo Filio: cujus nomina atque tituli, persona item & officium, secundùm diversos status, hac & sequentibus Quæst. usque ad LIII. enarrantur: initiô factô ab explicatione nominis *Jesu*, quod primum occurrit in Symbolo. Q. *Quot igitur nomina Servatori nostro tribuis?* R. Malim tantisper, donec sigillatim explicentur, appellare titulos, quos Symbolum Apost. ipsi quatuor attribuit; *Jesus, Christus, Filius Dei* Patris *unigenitus, Dominus noster.* Quorum primus beneficii; secundus officii; tertius naturæ; quartus denique dignitatis est. Q. *Nonne omnium istorum par ratio & usus est?* R. Jesus propriè nomen est Filio Dei, Servatori nostro, in circumcisione impositum, & vulgi usu frequentatum. Cætera malim dicere titulos, qui decus atque gloriam personæ & officii Servatoris commendant & deprædicant. Q. *Numquid ergò non rectè quærenti, quare Filius Dei præ-*

Tituli Filio Dei tributi in Symbolo Apost. eorumque ratio & usus.

nomine Hebraico Jesus, & agnomine Græco Christus fuerit appellandus, respondetur; ut tùm Judæorum primùm, tùm deinde & Gentilium Servator indigitaretur? R. Jesum Christum esse Servatorem Judæorum primùm, deinde & Gentilium, veritas est indubitata. Utrùm verò id ipsum ista nominum diversitate docere voluerit Spiritus S. non abs re dubito. Hebraicum nomen Jesus, ob rationem mox allatam retineri conveniebat Græcè loquentibus. Nomen verò *Messiæ* significans unctum, Græcè apud Græcos Evangelium prædicantibus & scribentibus verti in Χριστὸν nihil prohibebat, quin potiùs nominis significatus & usus id fieri postulabat. Unde *Joh.* 1: 42. *Invenimus* τὸν Μεσσίαν, *quod est, si interpreteris,* ὁ Χριστός.

Nomen Jesu non Græcum, sed Hebraicum est.

II. Q. *Quia de nomine Jesu præsens quæstio est, prius scire cupiam, quale id sit origine sua?* R. Non est Græcum ἀπὸ τῦ ἰᾶσθαι *à medendo* deductum, ut Moschopulo & aliis placuit; tametsi fortè illi Judæi, qui Græcis Jasones dicti fuere, hoc nomen Jesu apud suos obtinuerint: sed Hebraicum, consentientibus in hoc & Judæis & Christianis plerisque omnibus. Q. *Unde derivatur?* R. Sunt qui nomen *Jesus* conflatum existimant de nomine יהוה & vocabulo איש ex *Exod.* 15: 3. ubi יהוה איש מלחמה *Jehova vir bellator* dicitur: quô elogiô divinam atque humanam naturam in Christo exprimi, sicque ex יהוה & איש nomen יהושוה Jehoschua, contractè Jeschua & Jeschu formari autumant. Sed hæc derivatio Cabbalistica veriùs, quàm Grammatica, admittenda quidem foret etiam invitâ Grammaticâ, si ex revelatione sese probaret: quemadmodum ex *Abram* insertâ literâ (ה) constat factum esse *Abraham.* Q. *Unde igitur tu deductum credis?* R. Ab Hebr. ישע quod salutem, statum incolumem & tutum post miseriam denotat. Inde verbum הושיע *salvare*, σώζειν; ex quo formatum nomen יהושוע *Num.* 13: 17. Pro quo tamen prisci Babylonii & Talmudici dixerunt ישו pro ישוע. Quam scripturam & pronunciationem etiam imitati sunt LXX Interp. Evangelistæ & Apostoli, faciendo ex ישו Ἰησῦς: haud aliàs imitaturi, si ea scriptura prava & malitiosa esset, sicut nonnulli putant, inquit Drusius in *Marc.* 1: 17.

1: 17. Eódem inclinat Elias Levita Germ. in Lexico suo Thisbi ad vocem Jeschu.

III. Q. *Fortuitône an consiliô Servatori nostro hoc nomen tributum est?* R. Non fortuitò sed certa ratione & mandato Dei, primùm ab Angelo Gabriele, *priusquàm conceptus fuerat in utero matris*, deinde solenniter in circumcisione, præsentibus haud dubiè multis è familia Davidis, ipsi inditum fuisse, nobis Christianis ex historia Evang. certa fides est, *Matth.* 1: 20, 21. *Luc.* 1: 31. & 2: 21. Ut adeò non moremur Judæos cavillantes, *illum*, מקרה *fortuitò hoc nomen accepisse, cùm eo tempore multi Judæi eodem nomine fuerint appellati, Esr.* 2. & *Neh.* 3. & 12. &c. Sic popularium suorum sententiam cavillatoriam refert Elias Lev. locô suprà citatô. Enimverò alios idem habuisse nomen, causæ & fidei Christianorum nullum affert præjudicium, quando id Servator noster accepit, Deo sic providente, jure optimo, quippe futurus Salvator: non quidem, quòd præcisè nomen Jesus significet Salvatorem, cùm, ut mox dictum, etiam alii hoc nomine nuncupati Salvatores tamen dici non possent: verùm, quia nomen hoc, cùm sit denominativum à salute, Dei mandatu atque adeò consiliô divinô huic personæ, quam nos Filium Dei æternum credimus, inditum, illi certè non aliter competit, quàm ut αἰτίῳ & ἀρχηγῷ σωτηρίας αἰωνίου *causæ & principi authori salutis æternæ*, *Heb.* 2: 4. & 5: 9. *Nec fortuitò, sed consiliô & mandatô Dei, Servatori nostro inditum fuit. Hinc Judæorum notata & refutata cavillatio.*

IV. Q. *Quæ ratio impositi nominis Jesu?* R. Quia, ut Catech. inquit, nos salvat ab omnibus peccatis nostris, &c. Quæ ratio deprompta ex sermone Angeli ad Josephum; *vocabis nomen ejus Jesum*, αὐτὸς γὰρ σώσει τὸν λαὸν αὐτοῦ ἀπὸ τῶν ἁμαρτιῶν αὐτῶν, *Matth.* 1: 21. confer *Psal.* 130: 8. ubi eadem fermè totidem syllabis leguntur. Unde qui Hebr. *Jesus*, Græcè Σωτὴρ dicitur: quâ voce tantum ait significari Cicero, ut id Latinô unô verbô exprimi non possit. Hinc quia vox Latina *Servator* non satisfacit, alii *Salvatorem*, alii, quia hæc minùs Latina est, *Sospitatorem* appellare malunt. *Nominis Jesu notatio.*

V. Q. *Quia vix ullius nominis notatio utilior, magisque necessaria est, quidnam ad juvandum ejus intelligentiam maximè conducit?* R. Novisse 1. Quid sit salvare

à peccatis omnibus. 2. Nullam aliam esse salutem; nec proinde alibi reperiri posse: ut habet Catechesis. *Quid sit salvare.* Q. *Quid igitur significat verbum Salvare in Catech.?* R. 1. Liberare à peccato & maledictione, atque adeò à summo malo. 2. Perducere ad possessionem gloriæ æternæ, adeóque ad summum bonum. Utrumque cùm præstet Filius Dei, jure optimo dictus est Jesus. *Quomodo Jesus nos salvet, videlicet* 1. *Meritô.* Q. *Quomodo id præstat?* R. Meritò & efficaciâ. Q. *Quî meritô?* R. Quia suâ obedientiâ in passionibus ad supplicium usque crucis comprobatâ & consummatâ, *Heb.* 2: 10. tanquàm verò λύτρῳ, vel, ut Athanasius vocat, ἀντιψύχῳ λύτρῳ, *pretiô pro anima* nos redemit: tanquam sacrificio boni odoris peccata nostra expiavit, Deumque nobis reconciliavit, ejusque sanctitatem & justitiam demonstravit: tanquam δικαιώματι τῷ νόμου, *eô, quod lex justitiæ causâ requirit*, legi satisfecit, ab ejus maledictione nos liberavit, æternam justitiam & vitam adduxit, nosque sibi peculium acquisivit.

VI. Q. *Quomodo nos servat efficacia?* R. Quatenus sibi datis, h. e. electis, non tantùm meritus est vitam, sed etiam impetravit regenerationem ad fidem. Hinc adeò Spiritum fidei iisdem donat, redemptionisque beneficia reapse confert, applicat & conservat. *2. Efficaciâ.* Id quod nobis probandum, quia sunt, qui negant, Christum cuiquam fidem & regenerationem impetravisse: imò qui statuere sustinent; salvô Christi meritô, fieri potuisse: ut nemo in ipsum crederet & per ipsum servaretur, salutis *impetrationem* & *applicationem* ita divelleutes, ut illam Christo vindicent, hanc verò libero hominis arbitrio relinquant. *Quod nonnulli temerè negant, salutis impetrationem & applicationem divellentes.* Q. *Quia ista sententia de gloria nominis Jesu non parùm delibare videtur, lubens audiam, quibus argumentis, Christum non meritô solùm & impetratione; sed etiam efficacia & applicatione Salvatorem demonstres?* R. 1. Christus impetravit à Patre, ut *non in cassum laborasse*, &c. diceretur, sed haberet פְּעֻלָּה *operæ pretium apud Deum* repositum: quin imò *ut levius esset in oculis Dei, ipsum esse servum* Dei *ad hoc; ut erigeret tribus Israëlis*: quin verius, *ut daretur in lucem gentium, atque esset salus ejus ad finem terræ*, *Esa.* 49: 4, 6. Confer *Esa.* 53: 10. *Psal.* 2: 8. II. Apostolo teste, *nos* *J. Christum meritô & efficaciâ, impetratione & applicatione, Salvatorem esse, probatur.*

Christo

Christo convivificati, conresuscitati & conlocati sumus in supercœlestibus in Christo Jesu, Eph. 2: 5, 6. Ubi notatu dignissimum, quòd nos *Christo convivificatos* dicit *in Christo Jesu*. Hæc quid aliud significant, quàm vivificatione, resuscitatione, & exaltatione Christi in cœlum, Deum Patrem Filio suo, tanquam consummato salutis nostræ principi, obsignâsse vivificationem, resuscitationem & glorificationem nostrî, ex Christo & in ejus communione impetrandam. Conf. *Rom.* 6: 6. III. Idem confici potest ex *Eph.* 1: 4, 5. 2 *Tim.* 1: 9. Quæ docent, nos in Christo, ut capite & sponsore, nanciscî, ut simus sancti & inculpati, & vocemur vocatione sancta.

VII. Q. *Quosnam Christus Jesus salvat?* R. Sic quærenti Catech. respondet *Nos*; intelligens Electos, vel *populum suum*, juxta testimonium Angeli *Matth.* 1:21. *Ipse enim servabit populum suum.* Unde liquet, Jesum revera venisse, ut גאל ἐπιλήπτορα, *vindicem* & assertorem, qui tanquam Deus & Frater redimendorum sibi datos redimeret: quia *populum suum* servaturus dicitur. Q. *Quomodo suos dicere potuit, quos necdum redemerat?* R. Quos erat redempturus, suos dicere poterat, tùm jure creationis, tùm jure dationis. Dederat namque Pater eosdem ipsi asserendos; *Joh.* 17: 6. dare verò non potuisset, nisi eorundem creator, & omnium hæres fuisset ille, cui dati fuere. Unde intelligitur ænigma; *Qui fecerunt te, habent te in matrimonio: Jehova* Deus *exercituum nomen ejus est: & vindex tuus Sanctus Israëlis, Deus totius terræ vocabitur*, *Esa.* 54: 5. *Christus salvat electos, populum suum.*

VIII. Q. *Unde salvat?* R. A peccatis. Hinc salutem intelligis non temporariam, sed æternam. Quo de plenius doceberis posthac. Q. *Salvatne ab omnibus peccatis?* R. Quidnî? diserta in eam rem testis est Scriptura, *Psal.* 130: 8. 1 *Joh.* 1: 7. *Rom.* 8: 1. Ut proinde audiendi non sint Papistæ, qui gloriam perfectæ salutis per Christum procuratæ imminutum eunt, salutem hanc restringentes ad *peccata antebaptismalia*, *reatum culpæ*, quem vocant, & *pœnam æternam*. *Salvat à peccatis omnibus.*

IX. Q. *Numquid Christus non salvat ab omni miseria? Cur Catech. non nisi peccatorum meminit?* R. Catech. haud dubiè salutem omnibus suis numeris absolutam *Quare Catech. non dicat, ab omni miseria?*

lutam intelligi vult, quæque adeò sit hominis ab omni miseria ad statum beatissimum traductio, quanquam omnem hominis miseriam disertim non expresserit, contentus indicâsse id, in quo maxima hominis miseria est sita, & unde omnia cæterorum malorum agmina consequuntur; quod est peccatum, ex quo homo reus, sive ὑπόδικος est judicio Dei, *Rom.* 3: 19. ϰὺ ϰαταϰρίμαλι, *Rom.* 5: 16. sub maledictione legis: unde servitus peccati, mors corporalis, spiritualis, æterna, omnisque, ut verbô complectar, miseriarum cumulus. Qui autem salvatus est à peccato, consequenter etiam salvatur ab omnibus effectis peccati, cùm in re, tùm in spe, quantum ad hanc vitam, olim ab omni prorsus malo liberandus in gloriosa resurrectione. Q. *An ergò salus non una tantùm est?* R. Una certè est omnimoda, sed cujus applicatio suis quibusdam constat gradibus, quibus ad consummationem proficit. Etenim salus simul atque semel à Christo impetrata sic applicatur, ut 1. Credentes à reatu peccati absolvantur, quod beneficium est justificationis. 2. A servitute peccati, reatum insequente expediantur per sanctificationem, ita quidem, ut peccati dominantis potentia frangatur & sensim exolescat, donec in morte penitùs aboleatur. 3. Ab omnibus planè malis peccatum consequentibus liberentur per gloriosam carnis resuscitationem, quæ hinc ἀπολύτρωσις τῦ σώμαλος dicitur, *Rom.* 8: 23.

Quomodo salutis, quæ perfecta & una est, applicatio suis gradibus proficiat &c.

X. Q. *Dixisti, quid sit salvare à peccatis, &c. quomodo ostendis, nullam aliam esse salutem, aliunde requirendam, exspectandam, &c.* R. Disertè Petrus, *non est in alio quoquam salus*, inquit, *nec est aliud nomen sub cœlo, quod datum sit inter homines, per quod oporteat nos servari*; *Act.* 4: 12. Significans. 1. hominibus datum esse nomen, h. e. aliquem ipsis esse nominatum & propositum, in cujus fide servari queant. 2. Id nomen esse unum, non multiplex, neque aliud quam Jesu Christi nomen. Q. *Idemne ergò etiam in Vet. Test. nominatus atque creditus fuit Servator?* R. Fuisse, patet tùm ex verbis citatis, tùm ex *Heb.* 13: 8. Unde etiamillud Servatoris apud Esaiam; *Nonne ego Jehova? & non amplius Deus est præter me, Deus justus & Salvator non est præter me, Esa.* 45: 21.

Quòd nulla alia salus aliunde requiri & exspectari possit.

XI. Q.

XI. Q. *Nonne salus externa saltem & temporalis, qualis olim sæpè contigit Israëlitis, aliunde exspectari petique potest?* R. I. Atqui non est, cur boni quidquam exspectet, qui à peccatis suis salvatus non est: manet enim sub maledictione & ira. Ipsa igitur salus externa, seculique commoda, quæ tolerantia & longanimitas Dei etiam non salvatis impertitur, ipsis suâ ipsorum culpâ ad cumulatiorem cedunt condemnationem, *Rom.* 2: 4, 5. II. Liberatio à malis externis & commoda vitæ præsentis, quatenus verè saluti esse possunt homini, ab hac salvatione pendent. Q. *Unde id colligis?* R. Quia, quando Christus morbos populi sanavit, & mortuos excitavit, hôc ipsô se Salvatorem probavit, qui morbos populi portet, *Matth.* 8: 16, 17. Quapropter etiam liberatio à malis corpus affligentibus; aliaque vitæ animalis & socialis commoda, citra injuriam ab alio, quàm à Christo Servatore, vel in nomine Christi, peti non possunt. Unde necessariò consequitur, salutem alibi, quàm in Christo, reperiri non posse.

Quòd nequidem salus externa & temporalis, quæ salutifit, aliunde, quàm à Jesu exspectanda.

Quæstio XXX.

Creduntne igitur illi in unicum Servatorem Jesum, qui à sanctis, aut à se, aut aliunde felicitatem aut salutem quærunt?

NOn: etsi enim verbo quidem eo Servatore gloriantur, reipsâ tamen abnegant unicum Servatorem Jesum: necesse est enim, aut Jesum non esse perfectum Servatorem, aut qui eum Servatorem verâ fide amplectuntur, eos omnia in ipso possidere, quæ ad salutem requiruntur.

ANALYSIS.

I. Quæstio habet consectarium elenchticum in eos, *qui à sanctis, aut à se, aut aliunde &c.*

II. In Resp. I. Quæstio negatur; *Non* scil. credunt. II. Negativa contra objicientem defenditur; atqui *illi*, quos notat Catech. *gloriantur Christo Salvatore.* Resp. Gloriatio intra verba subsistit; *Etsi enim verbô quidem, &c.* III. Confirmatur; *aut Jesus non est perfectus Servator, aut qui verâ fide, &c.*

EXEGESIS.

Quæstio hæc habet Elenchum in Papistas necessarium.

Docet Analysis, Quæstionem hanc habere Elenchum, &c. in quos stringendum? R. In Papistas. Q. *Estne aliqua hujus Elenchi hôc locô necessitas?* R. Non abs re est, quòd Catechum. hunc Elenchum stringere docetur in Pontificios, quippe quos præ aliis professionem nominis Jesu & verbis & signis superstitiosis præ se ferre, atque adeò eo nomine multùm gloriari, videt: ut hactenùs ex isto verborum & signorum apparatu, in aures atque oculos ubique confertim sese ingerente, omnium maximè in Servatorem unicum, Jesum, credere videri possint.

Elenchus consideratur
1. *In thesi.*

II. Q. *Illud primùm in genere quæram; Utrùm aliquis Christo Servatore gloriari possit, qui reipsa tamen eundem abneget?* R. Quidnî? Cùm fides non *oris* tantùm sit, sed maximè *cordis*, *Rom.* 10: 10. Præceptum fidei est ad vitam, sed demùm in ore, corde & opere simul inventum salvat. Sunt *qui Deum fateantur se scire, sed operibus abnegant eundem*, *Tit.* 1: 16. Atque hinc rectè colligitur, etsi quis Deum atque Christum disertis quidem verbis non abneget, si tamen erronea de eo credat & doceat, errores illos redundare ad abnegationem ipsius; siquidem errantes Deum & Christum alium fingunt atque est. Quemadmodum idololatra est non solùm qui alienum colit Deum, sed etiam qui Deum in imagine veneratur; quia Deum fingit, qui effigiari possit, & sic alium atque est. Hinc etiam locus 1 *Joh.* 2: 22. intelligitur.

2. *In hypothesi: ubi in quadrare in Papistas?*

III. Q. *Nunc in specie, unde doces, hunc Elenchum* R. Sic concludo cum Catech.

Qui

Qui à Sanctis, aut à se, aut aliunde felicitatem aut salutem quærunt, illi reapse abnegant unicum Servatorem Jesum, etsi verbotenus eò Servatore glorientur. Atqui Papistæ à Sanctis &c. Q. *Quamnam propositionis majoris affers rationem?* R. Quia, aut Jesus non est perfectus Servator, aut qui eum vera fide amplectuntur, omnia in ipso possident, quæ ad salutem requiruntur: ut rectè Catech. docet, & subjectis Scripturæ testimoniis confirmat. Christus, nisi integram salutem præstitisset, ne quidem Salvator appellari posset. *An divisus est Christus? An Paulus crucifixus est pro vobis &c.* 1 *Cor.* 1: 13. q. d. sicut Christus unus est, ut caput, & non varius, sic & unum est meritum, una justitia, una salus, in ipso solo consequenda. Christus individuus est in persona, officio & meriti beneficio. Quapropter non committendum, ut partem salutis illi vindices, partem tibi vel aliis, velut, Paulo, huic, illive Sancto &c. transscribas. Vel *an Paulus crucifixus est pro vobis?* Quò ipsò negat Apostolus, salutis authorem nobis appellandum esse alium à Christo, qui solus pro nobis crucifixus est. *Papistæ quadrare ostenditur.*

IV. Q. *Superest, ut ostendas rectè imputari Papistis, quæ tua argumentatio illis attribuit.* R. Ea certè nequicquam negabunt ipsi, Doctorum scriptis & communi Ecclesiæ Rom. praxi omnia ista satis apertè profitentibus. Q. *Quò pactò salutem quærunt suam a Sanctis?* R. Dum Sanctis deferunt officium intercessionis per meritum. Q. *Quomodo a se ipsis?* R. Sibi ipsis vires supereste volunt recipiendi vitam ex morte spirituali, docentes, hominem sese disponere posse ad gratiam justificationis primæ, quam vocant, per opera *de congruo* meritoria. Justificatis porrò tribuunt dignitatem operibus merendi vitæ æternæ gloriam, & pro peccatis satisfaciendi Deo, sive in hoc seculo, sive post vitæ fata in purgatorio. Q. *Quomodo denique aliunde?* R. Dum Papæ & Sacerdotibus potestatem remittendi peccata; elementis deinde mundi, symbolis sacramentalibus & aliis, velut aquæ lustrali, signo crucis, agno Dei, &c. superstitioso ritu consecratis, justificationem, sanctificationem, è periculis & tentationibus liberatio- *Quibus rectè imputatur, quod salutem quærant: 1. à Sanctis. 2. à se ipsis. 3. aliunde.*

berationem attribuunt. Taceo, quæ innumera propemodumalia sine fine modoque ingeniosa & laboriosa superstitio adinvenit.

Ad amoliendam istam invidiam frustrà Papistis obtentui est applicatio meritorum Christi per sacramenta, satisfactiones, &c.

V. Obj. *Per sacramenta, satisfactiones, missas, indulgentias, &c. merita Christi sibi applicari existimant Pontificii: Ergò salutem non aliunde requirunt, neque adeò Christum Servatorem abnegant.* R. I. Meriti Christi applicatio, quâ nostrum fiat, non alibi requirenda est, quàm in communione Christi per fidem habitantis in corde nostro. Sacramenta autem eò sunt comparata, ut fidem hanc excitent, corroborent, nostramque consolationem consumment: quapropter nostram cum Christo ejusque merito communionem supponunt, non nunc demùm efficiunt. Verùm Pontificii hanc communionem non agnoscentes merita Christi nobis applicari volunt, quatenus propter merita Christi in & per sacramenta nobis confertur aliud quid, nempe sanctificatio, quæ nostra sit justitia coram Deo. Quæ infelicissima veri & falsi, lucis & tenebrarum, justitiæ Dei & justitiæ propriæ copulatio est, eò confictа fine, ut sacerdotes tanquam θαυμαλεργοὶ existimationem suî & potestatem in plebe communiant. II. Vis merendi & justificandi cum creatura communicari, adeoque & fiducia consequendæ salutis in creaturam transferri nequit. III. Quòd homini animali vires superesse putant, sese ad gratiam justificationis præparandi, id verò non potest provenire ex merito Christi, cùm demùm regenitorum opera vim merendi ex merito Christi accipere fingant.

Quæstio XXXI.

Quare appellatur Christus, hoc est, unctus?

Quòd à Patre ordinatus, & à Spiritu Sancto unctus sit summus Propheta ac Doctor, qui nobis arcanum consilium &

& voluntatem Patris de redemptione nostrî patefecit: & summus Pontifex, qui nos unico sacrificio sui corporis redemit, ac assidue pro nobis apud Patrem intercedit: & Rex, qui nos suô verbô & Spiritu gubernat, & partam nobis salutem tuetur ac conservat.

ANALYSIS.

In Quæst. observa quæ suprà Quæst. 39. Resp. nominis *Christus* significationem & notationem exponit; ubi nota

I. Nominis significationem expressam, *Quòd ordinatus & unctus sit.*

II. Ordinationem & unctionem descriptam, dum docetur, à quo, quomodo, & quo fine sit facta; *à Patre ordinatus & Spiritu S. unctus summus Propheta, &c.* Hinc triplex Christi officium, de quo Catech.

1. Officium Prophetæ; *summus Propheta ac Doctor, qui nobis arcanum consilium, &c.* Quæ descriptio Prophetæ petita tùm ab adjuncto excellentiæ, tùm à functione.

2. Officium Sacerdotis; *Et summus Pontifex, qui nos unicô sacrificiô, &c.* Ubi rursus obs. tùm adjunctum præstantiæ; tùm partes sive actus functionis Sacerd. qui sunt redemptio per sacrificium, & assidua intercessio pro nobis apud Patrem.

3. Officium Regis: cujus functio duplex, gubernatio & protectio atque conservatio; *Et Rex, qui nos suô verbô & Spiritu gubernat, &c.*

EXE-

EXEGESIS.

Nexus, scopus & momentum Quæstionis.

Quis *nexus*, *scopus*, & *momentum præsentis Quæstionis?* R. Hactenus de nomine *Jesu*: nunc ex ordine, quem tenet Symbolum Apost. explicatur vocabulum *Christus*, & respondetur quærenti, quare hic homo Jesus dicatur Christus sive unctus? In quo certè fundamentum universæ religionis Christianæ versatur, uti liquet conferenti loca *Joh.* 20: 31. 1 *Cor.* 3: 11. 1 *Joh.* 2: 22. & 4: 2, 3. Quare gravissimi momenti hoc nomen est, atque ideò rectè interpretandum & certa fide tenendum.

Christus vox Græca.

II. Q. *Quale est origine sua nomen Christus?* R. Græcum, à χρίομαι, *ungor*, deductum, respondens Hebræo משח à משיח *unxit*, quo nomine primum ab Hanna insignitus legitur Salvator 1 *Sam.* 2: 10. Chaldæo Paraphrastæ dicitur משיחא nomine plus minùs septuagies in paraphrasi ejus adhibito: à qua forma Christianis dictus est *Messias*, aspiratione duriore ablata. Explicationis gratiâ conjunguntur vocabula *Messias* & *Christus*, *Joh.* 1: 42. & 4: 25.

Non nomen propriè, sed appellatio est.

III. Q. *Quid significat?* R. Unctum ad munus Pontificum, Sacerdotale & Regium. Q. *Rectène igitur dicitur nomen Filii Dei in carne manifestati?* R. Tertullianus libro adversus Praxeam; *Itaque*, inquit, *Christum facis Patrem, stultissime, qui nec ipsam vim inspicias nominis hujus, si tamen nomen est Christus, & non appellatio potius: unctus enim significatur. Unctus autem non magis nomen est, quàm vestitus &c.* Unde quemadmodum nomen proprium Redemptoris est *Jesus*, ita cognomen appellativum Theologis quibusdam dicitur *Christus*. Q. *Estne igitur nomen multis commune, si sit appellativum?* R. Tres quidem hominum ordines ad munus suum unctione consecrabantur in Vet. Test. Ordinariè Summi Sacerdotes, *Exod.* 29: 7. & Reges, 1 *Sam.* 9: 16. & 16: 12. extra ordinem propheta Eliæus, ut prophetici quoque muneris Christi hac in re figura aliqua extaret, 1 *Reg.* 19: 16. Hinc tamen non rectè colligas, nomen *Christus* appellativum & pluribus commune

mune esse. Etenim unctio Domini Jesu omni modo singularis & exemplum non habens facit, ut nomen *Christus*, tanquam διαφορότερον, propriè & ἀνομοιωτικῶς ipsi in utroque Testamento attribuatur eâ ἐξοχῇ & significatûs potestate, quâ præter unum nemini convenit. vide *Dan.* 9: 25. *Joh.* 1: 41. & 4: 25. & 20: 31. *Domino Jesu tamen ut nomen διαφορότερον convenit.*

IV. Q. *Qualis est unctio nomine* Christus *significata?* R. Non externa & elementaris; ut illa Pontificis Vet. Test. in typicis institutis. Neque enim Filius Dei sic inungi necesse habuit: cùm non externo ritu, velut minister aliquis Levitici tabernaculi vel templi, aut rex secularis, sed longè sublimiori, spirituali nimirum, modô munus suum esset impleturus. Quapropter etiam unctio hæc mystica & spiritualis est. *Qualis sit Christi unctio?*

V. Q. *Quanam igitur in re consistit illa unctio?* R. 1. In personæ, Filii Dei, ad munus mediatorium designatione. Unde Catech. *Quòd à Patre ordinatus.* Enimverò inter honoris & muneris sacerdotalis & regii mandandi & conferendi testimonia adhibebatur etiam unctio: atque hinc *ordinatio* unctionis vocabulô significatur in Scriptura: *A seculo uncta sum*, &c. h. e. ordinata ad munera, quæ in habitabili obeam, inquit Sapientia, *Prov.* 8: 23. II. *In donorum & charismatum*, quæ in humanam Christi naturam effusa fuerunt, collatione. Unde Catech. *Et Spiritu S. unctus &c.* *Qua in re consistat?*

VI. Q. *Unde doces, hanc collationem donorum ex unctione intelligendam esse?* R. Ejus rei argumentum esse potest, quòd cùm Veteris Test. tempore Rex & Sacerdos ungebatur, nova accipiebat dona, ut adeo miraculum fieret, quando unctio sacra administrabatur Dei mandatu, uti patet exemplô Saulis, 1 *Sam.* 10: 6, 7, 9, 10. &c. Christus homo plus donorum accepit, quam prophetæ universi: *Unxit te, ô Deus! Deus tuus oleo alacritatis, ultra consortes tuos*, prophetas & sanctos omnes, *Psal.* 45: 9. Unde Prophetis, quæ noverant captûs humani modulum excedentia, ex revelatione per modum *actus transeuntis* innotuere: at Christus homo, Prophetarum summus, sua noverat per modum *habitus permanentis: quiescebat enim super ipso Spiritus Jehovæ, Spiritus sapientiæ & prudentiæ, &c.* ab ipsa usque nativitate, *Esa.* 11: 2. *Collationem donorum ex unctione rectè colligi probatur.*

Christus homo dona Spiritûs S. acceperat ante nativitatem.

11: 2. Imò dona Spiritus, etsi augmenti capacia, acceperat jam ante nativitatem. Si enim Johannes Bapt. jam *in utero matris suæ impletus fuit Spiritu S.* Luc. 1: 15. quidnî Christus, hac in parte secundum non habens? Quid? quòd Johannes eôpte temporis momentô, quô mater ejus salutabatur à matre Servatoris, Spiritum S. accepit ex abundante ubertate Christi, Spiritûs communicati signô infantis etiamnum in utero latentis exultatione, ibid. v. 41. Q. *Quandonam Christus homo donorum Spiritûs S. incrementum accepit?* R. Præterquam quòd *sapientiâ* &c. *profeciſſe* dicitur *Luc.* 2: 52. haud dubiè donorum augmentum accepit, quando muneri suo per baptismum inauguratus fuit, *Spiritu S. descendente, tanquam columbâ, è cœlo, & manente super eo, &c. Joh.* 1: 32. Et rursus quando decurso obedientiæ suæ stadio in gloriam fuit exaltatus. Cujus rei argumentum est revelatio fatorum Ecclesiæ, exaltato data; *Apocalypsis Jesu Christi, quam dedit ipsi Deus, ut indicaret servis suis, quæ oporteat fieri citò, Apoc.* 1: 1. Hinc cùm è cœlo rediturus sit judex vivorum & mortuorum visibilis dubio procul nunc diem judicii novit, quem humiliatus in diebus carnis suæ ignorâsse dicitur, *Marc.* 13: 32.

A quonam sit unctus.

VII. Q. *A quonam unctus est Filius Dei, datus nobis Sospitator?* R. Catech. unctum dicit *à Patre.* Sic Patri, ceu primæ personæ, jus, causam atque gloriam totius SS. Trinitatis sustinenti & asserenti, in œconomia salutis attribuitur ordinatio & unctio Christi ad officium Mediatorium. Quare in Scripturæ testimoniis, quæ hujusce argumenti sunt, nomine *Jehova* & *Deus*, vel pronomine loco ejusdem adhibito, Pater intelligendus venit. Vide *Psal.* 2: 6. & 45: 8. *Esai.* 61: 1. Quapropter etiam Christus vocationem suam ad Patrem refert, *Joh.* 5: 36. &c.

Quô unguentô.

VIII. Q. *Quô unguentô fuit delibutus?* R. De eo Catech. *Spiritu S. unctus*, &c. Quod ostendunt loca hactenùs citata. Hinc *oleum* appellatur *lætitiæ* vel *alacritatis*, quia inunctum lætificat & alacrem reddit, velut athletam, ad certamen. In Christo significat I. Hilarem amorem, quo suos prosequitur, quique cum gaudio sponsi super sponsa confertur, *Esa.* 62: 5.

II. Stre-

II. Strenuitatem in studio lucrandi & comparandi sibi sponsam, videlicet Ecclesiam, eandemque defendendi & vindicandi, unde *Zelus* ipsi attribuitur *Psal.* 69: 10. & alibi. Obj. *Nonne tuæ assertioni obest Esa.* 48: 16.? R. Hujus loci verba secundùm fidei analogiam aptissimè verti possunt; *Et nunc Dominus Jehova misit me, & Spiritum suum.* Enimverò cum missione Filii promittitur mittendus Spiritus S. ut aliàs sæpiùs. Quod intelligendum de effusione Spiritûs S. copiosa, qualis sub V. T. œconomia facta non est.

IX. Q. *Quo fine unctus est?* R. Ut esset & cognosceretur Propheta, Sacerdos & Rex. Unde tres officii Christi partes existunt: Scripturâ Christum disertim nominante *Prophetam*, *Deut.* 18: 15, 18. *Sacerdotem*, *Psal.* 110: 4. *Zach.* 6: 13. & in N. T. sæpiùs. *Regem*, *Zach.* 9: 9. *Psal.* 2: 6. *&c.* De singulis ordine dicit Catech. *Quo fine.*

X. Q. *Quænam est ratio ordinis, quò Catech. primum locum dat officio Prophetæ; secundum Sacerdotis; tertium Regis?* R. Quia Christus terris exhibitus primùm innotuit ut Propheta, docendo. Deinde ut Sacerdos, suapte sponte semetipsum offerendo. Denique ut Rex, quando in cœlum profectus consedit ad dextram Dei, &c. Quanquam rem ipsam si spectes, tres officii Christi partes ita connexæ sunt, ut omnis ista dignitas simul Christo collata fuerit. *Quæ ratio ordinis, juxta quem Catech. Officii Mediatorii partes recenset.*

XI. Q. *Quodnam dicitur officium Christi Propheticum?* R. Quòd ipse Summus Propheta & Doctor nobis arcanum consilium & omnem voluntatem Patris de redemptione nostrî patefecit. Sic de eo Catech. cujus vestigia premere nobis constitutum est. Q. *Quare summum vocas Prophetam?* R. Quia est Dominus Prophetarum, neque adeò unus è multis. Moses, etsi Vet. Test. Prophetarum maximus, minister tamen fuit: Christus autem Filius, *Dominus & structor domûs*, in qua Moses erat famulus, *Heb.* 3: 3, 4. Imò Christum Prophetam Mose majorem esse, patet attendenti loca, *Deut.* 18: 15, 18. & 34: 10. *Joh.* 3: 31, 34. *Matth.* 17: 5. *Quodnam munus Christi Propheticum.* *Quare Christus summus Propheta dicatur Catechetæ.*

XII. Q. *Quodnam est illud arcanum consilium?* R. Est æternum illud decretum Dei (quod hîc οἰκονομικῶς Patri attribuitur) de justitia & vita æterna à Christo *Quid arcanum illud consilium, quod patefecit.*

sto Mediatore per meritum obedientiæ quærenda, & peccatori credenti donanda. Q. *Quo sensu appellas consilium?* R. Ut significetur, liberè & sapienter ad virtutum divinarum demonstrationem susceptum fuisse ab æterno; vide *Eph.* 1: 4, 5, 6, *&c.* Q. *Cur dicis arcanum?* R. Quia est *mysterium*, quippe de re non solùm ab hominum intellectu & sensu, sed etiam consilio & exspectatione longè remotissima, *temporibus sæcularibus tacitum*, *Rom.* 16: 25. Obj. *Nonne jam in paradiso & deinceps per promissionem & prophetiam fuit notificatum?* R. Non tamen in rebus ipsis extantibus fuit visum. Q. *Paulò distinctius indica, quænam complectatur istud consilium?* R. Quæcunque Christus de Deo Patre suo, de se, suo officio, statu atque beneficiis &c. de regno item cœlorum & justitia ejus, de fide & resipiscentia, &c. in Evangelio verbis prædicavit, factisque implevit & comprobavit. Unde *Evangelium* rectè definiveris cum Catech. *patefactionem arcani consilii & voluntatis Dei de redemptione nostri*: quæ reapse annunciatio est rei optimæ, & ad exhilarandum animum comparatæ.

Quomodo illud patefecerit: videl. 1. *Ex conscientia.*

XIII. Q. *Quomodo Christus consilium illud arcanum patefecit?* R. Non ex revelatione extemporanea ignoranti facta, qualis contigit olim Prophetis: sed cùm ex unctionis plenitudine, respectu humanæ naturæ, tùm maximè *ex conscientia*, tanquam suum consilium: quoniam ipse, Filius Dei, & Pater unum sunt. Unde commune *consilium pacis Jehovæ & viro germini, Zach.* 6: 13. Neque Christus solùm *quæ audivit*, sed etiam *quæ vidit à Patre, testatus est*, *Joh.* 3: 32. & 5: 19. Patefecit igitur arcanum Patris consilium ut Propheta quidem, sed qui esset Filius in sinu Patris, & solus Patrem nobis posset ἐξηγεῖσθαι, *Joh.* 1: 18. II. Patefecit illud *plenissimè*, plenitudine tùm in perspicuitate, tùm in ubertate doctrinæ spectanda. *Perspicuitate*: quia clavem exhibet etiam referandis mysteriis, quæ velo ænigmatum, typorum & umbrarum V. T. erant involuta. Unde primaria doctrinæ Evang. capita ne quidem puerorum captum & linguam fugiunt. *Ubertate*: quia institutione fœcundissima est, continens quæcunque fidei informandæ & pietatis praxi instruendæ necessaria sunt

2. *Plenissimè.*

ad

ad salutem. III. Patefecit consilium Dei non solùm verbô, sed etiam mentis illuminatione, *Matth.* 16: 17. *Joh.* 6: 45. Quæ plena demum revelatio est, non solùm proponens intelligenda, sed dans intelligentiam revolutô cordis velô, &c. IV. Patefecit, ut *authoritatem habens, non ut scribæ, Matth.* 7: 29. Scribæ docebant, authoritate legem interpretandi accepta, & præfati nomen præceptorum suorum, tanquam traditionem à Majoribus acceptam. Christus veritate ad conscientiam demonstrata ostendit, se potestatem docendi non ab hominibus accepisse. Unde admirationi fuit turbis. V. Miraculis in omni rerum genere éditis doctrinam confirmavit. Mosis miracula numerantur 76. omnia ferè iræ & judicii signa. Cæterorum Prophetarum in summam collecta 74. *Menass. B. Isr. Conciliat. ad Deut.* Q. XI. Christi miracula sunt innumera, pleraque omnia beneficia. *Joh.* 21: 25. *Act.* 10: 38.

3. *Non solùm verbô, sed etiam mentis illuminatione.*
4. *Ut authoritatem habens divinam.*
5. *Editis miraculis.*

XIV. Q. *Munus Christi Sacerd. quodnam?* R. De eo Catech. Et summus Pontifex, qui nos &c. Q. *Quomodo summus?* R. Non quòd tanquam unus è multis cæteros dignitate antecat, ut Pontifex in Vet. Test. sed quia, ut textus habet Germ. *unicus* Sacerdos, imò Dominus Sacerdotum V. T. est, quod vel inde patet, 1. Quia stante sacerdotiô Vet. tabernaculi, audiente Pontifice Aharonida, soli Christo dictum fuit, *Tu es Sacerdos in seculum*, non juxta legem Leviticam, quæ unum è multis Pontificem constituit, sed *juxta ordinem Melchisedek*, qui Aharonidis antiquior, major, unus & Christi typus fuit. *Psal.* 110: 4. 2. Christus Sacerdotes V. T. tanquam ministros suos, sibi vero Sacerdoti, olim in carne exhibendo, typicis sacris præluturos constituit. Id ut probem satis est annotâsse, quod de] initiatione Aharonis & filiorum ejus per Mosen facta, legitur *Exod.* 24: 4, 5, 6, 7, 9, &c. 28: 1, 2, &c. 29: 1, 2, &c. ubi non tantùm lotio, indutus vestium & unctio, sed ipsa quoque oblatio sacrificii initiatorii per Mosen fuit peragenda, qui in hoc negotio personam sustinuit Christi, oblatione sua sanctificantis eos, qui ad Deum accedunt. Unde consequitur, Christum Sacerdotes V. T. instituisse, ut non minùs Aharon, quàm

Munus Christi sacerdotale.
Christus summus Sacerdos, quia unicus & verus.

David, Christum *suum Dominum* vocare posset, *Psal.* 110: 1.

Quænam muneris Christi sacerdotalis partes.

XV. Q. *Quænam sunt partes, sive functiones Pontificatûs Christi?* R. Duas numerat Catech. 1. Nos unicô sacrificiô corporis sui redemisse. 2. Assiduè pro nobis intercedere. Q. *Quare primum actum sacerdotalem dicit redemptionem, non immolationem vel oblationem, quæ Christo sub ista ratione spectato aptiùs conveniret?* R. Sacrificium Christi hîc loci non solùm ut piaculum, quo peccata expiavit, sed etiam ut meritum, quo nos sibi peculium redemit, consideratur. Hinc redemptioni pro pretio assignatur sacrificium corporis Christi, ne intelligatur liberatio nullô aliô quàm potentiæ impendiô facta, qualis esse solet captivorum, quos injusta vis oppressoris detinet. *Esa.* 1: 27.

Quodnam obtulerit sacrificium.

XVI. Q. *Quodnam sacrificium obtulit Christus?* R. Sacrificium proprii corporis, inquit Catech. ex *Heb.* 10: 10. 1 *Pet.* 2: 24. *Corporis* nomine integram intelligens naturam humanam, eâ synechdochicæ locutionis ratione, quòd sacrificii consummatio in passione & morte Christi evidenti spectaculô in hominum oculos sese ingerente facta est. Sic Christus victimam non mutam & brutam, suîque loco substitutam, qualem Sacerdos V. T. immolabat, sed corpus suum, adeoque semetipsum, obtulit. Ut proinde Christus simul & Sacerdos, & victima, imò & altare fuerit.

Quale obtulerit sacrificium.

XVII. Q. *Quale est sacrificium Christi?* R. Catechetes id dicit *unicum*, perfectum igitur, in quo nihil desiderari possit, quodque adeò iterari opus non sit. vide *Heb.* 7: 27. *Lex* sacrificia quotidiè & quotannis iteranda præscribens, *non poterat cultores consummare:* scil. sacrificia non poterant ita auferre peccata, ut offerentes eô ipsô in conscientia sua ab omni accusatione, tanquam reatu jamjam dispuncto, absolverentur; secùs iteranda non fuissent, *Heb.* 10: 1, 2. At Christus *una tantùm oblatione consummavit in perpetuum eos, qui sanctificantur*, ibid. v. 14.

Altera muneris Christi sacerdotalis

XVIII. Q. *Quænam est altera functio Christi sacerdotalis?* R. Intercessio: de qua Catech. *ac assiduè pro nobis apud Patrem intercedit.* Quemadmodum Pontifex

V. T.

V. T. semel in extrema parte vertentis anni cujusque cum sanguine hirci intrabat in sanctum sanctorum, idem, tanquam symbolum habitationis Dei inter homines typicè expiaturus à fœditatibus Israëlitarum, ne Deus inter homines habitans peccatis ipsorum communicare videretur. Sic Christus, unus ille verusque Pontifex cum sanguine suo, i. e. morte obita, ut plenariam habens satisfactionem, intravit semel in sacrarium cœleste, sicque ad Deum accessit, assiduè pro nobis apud Patrem interceſſurus, *Rom.* 8: 34. *Heb.* 9:24. 1 *Joh.* 2: 1. *pars* Intercessio.

XIX. Q. *Qualis est illa interceſſio?* R. 1. Assidua. 2. Gloriæ conveniens. Q. *Quomodo assidua?* R. Ejus nulla est intermissio; ut quæ mox de interceſſionis modo nobis dicenda sunt, docebunt. Q. *Quid tibi vis, quando eandem gloriæ Christi convenientem prædicas?* R. Tenendum est, aliter interceſſisse Christum in terris humilem; aliter in cœlis intercedere exaltatum. Humilis enim in terris pro discipulis & Ecclesia oraturus oculos in cœlum sustulisse, Patremque multis compellâsse dicitur, *Joh.* 17: 1. Nunc autem in gloriam evectus non supplici ritu hac generis humani advocatione perfungitur, sed glorioso patrocinio causam nostram in cœlis agit, eo quòd I. coram Deo Patre comparens sacrificium corporis sui semel oblatum jugiter repræsentat, cujus inæstimabili pretio, ut & interceſſionis quondam in terris factæ perpetuo valore, electis atque redemptis justitiæ & vitæ donationem impetrat; pretii illius & valoris argumento infallibili, tùm ipsa Sacerdotis Christi glorificatione, tùm Ecclesiæ per totum terrarum orbem collectione. Etsi proinde Christus in cœlo verba suppliciter orantis non faciat, quippe quæ statui humiliationis veriùs convenirent, nihilominùs sacrificium Christi, factaque in terris interceſſio perinde valent, ac si Christus etiamnum supplici verbo interpellaret, ac disertim diceret, *redime ipsum, ne descendat in foveam, inveni lytrum*, *Job.* 33: 24. Unde *clamor* ille *sanguinis Christi*, *Heb.* 12: 24. II. Meritis suis id impetrat, ut preces nostræ Deo gratæ sint & exaudiantur, *Apoc.* 8: 3. *Qualis sit ista interceſſio.* *Nimirum* 1. *Assidua.* 2. *Gloriæ Christi conveniens.*

Pro quibusnam intercedat.

XX. Q. *Pro quibus intercedit?* R. Pro electis, sibi datis, redemptis, Catech. *pro nobis.* Sic Christus, *Ego*, inquit, *pro ipsis rogo, non pro mundo rogo, sed pro iis, quos dedisti mihi, quia tui sunt, Joh.* 17: 9. Q. *Quam ob causam hæc Christi oratio non universum genus humanum complectitur?* R. Quia est postulatio sacerdotalis, nitens testamentô Dei, quo illi assignavit populum vindicandum & redimendum in hæreditatem, vide *Psal.* 2:8. *Esa.* 53: 10. Indoluit quidem & illachrymavit Servator Optimus etiam inobedientium malis, comprecatus veniam, prono & pio charitatis affectu in homines atque populares. Preces autem sacerdotales, tanquam obedientiæ sacrificium non obtulit, nisi pro sibi datis: quanquam nec illa suspiria & vota, quæ pietatis sensus expressit, inania fuerint, retardatô, quod commeriti erant Judæi, excidiô.

Quodnam munus Christi regium.

XXI. Q. *Quodnam tandem est munus Christi regium?* R. De eo Catech. hæc habet; Et Rex æternus, qui nos suo verbo & Spiritu gubernat, & partam nobis salutem tuetur ac conservat. Messiam porrò talem fore Regem, Prophetarum oracula, eaque quàm plurima, tàm disertè cecinerunt, ut omni dubitatione careat.

Regnum Christi Naturale & Oeconomicum.

XXII. Q. *Quale est regnum Christi?* R. Distinguendum hîc venit duplex Christi regnum, *Naturale* & *Oeconomicum*, sive *Mediatorium*, de quo speciatim sermo est Catechetæ. Etsi enim utriusque par sit Majestas, diversæ tamen sunt οἰκονομίαι. Q. *Quid igitur interest inter hoc atque illud?* R. Naturale Christo quà Filio Dei æterno unà cum Patre & Spiritu S. commune est, & ambitu suo cuncta complectitur creata. Mediatorium verò Christi Θεανθρώπου & Mediatoris est, & hactenus quidem œcumenicum atque universale, ut tamen singulariter Ecclesiam spectet. Etsi autem soli fideles omnium temporum & locorum ad hoc regnum, ceu subditi, cives & membra pertineant, ei nihilominùs omnes creaturæ subsunt & famulantur: *facis ipsum potestatem habere in opera manuum tuarum, omnia subjecisti pedibus ejus, Psal.* 8: 7. *Heb.* 2: 8. 1 *Cor.* 15: 27. *Matth.* 28: 18. Regnum igitur *naturale* Christus habuerat ut Deus, quando *œconomicum* accepit ut

ut Mediator, quod certè nec accipere, nec susceptum administrare potuisset, nisi naturâ Deus, atque adeò Dominus universorum esset. Q. *Quamobrem verò hoc?* R. 1. Quia dominium divinum in res creatas nequaquam alienari potest. 2. Quia Ecclesiam adversus hostium quorumcunque assultus & potentiam tueri non posset, nisi omnia prorsus imperio ejus subjecta forent.

XXIII. Q. *Quonam argumento Catech. regnum Christi dicit æternum?* R. Messiam Regem fore æternum post Prophetas disertè affirmat Angelus Gabriel B. Virgini. *Luc.* 1: 33. *Regnabit in domum Jacobi in sæcula, & regni ejus non erit finis.* Obj. *Atqui Apostolus regnandi finem fore dicit*, 1 *Cor.* 15: 24. R. Non rem ipsam desituram, sed præsentis regni faciem tantùm mutandam intelligit. Etenim non de regno ipso, sed administrandi modo, quippe de regno in terris medios inter hostes, deque pugnis ac certaminibus ejus agit, & finem eorum prædicit? Et verò nonne absurdum est dicere, futurum, ut Christus devictis hostibus regnare desinat, quandoquidem is demùm verissimè & plenissimo jure regnet, cui nulli supersunt hostes, qui imperium detrectent. Obj. *Atqui dictum Christo, sede ad dextram meam*, ἄχρις ἂ, *donec posuero inimicos tuos &c.* R. Illud ἄχρις ἂ, *donec*, de futuro nec negat, nec affirmat, ut ex similium particularum usu patescit, *Gen.* 28: 1. 2 *Sam.* 6: 23. *Matth.* 1: 25. Obj. *Atquì disertè Apostolus* ὅταν παραδῷ τὴν βασιλείαν τῷ Θεῷ καὶ πατρί. R. Regnum Patri tradere significat, Ecclesiam omnibus laboribus & certaminibus defunctam Patri sistere gloriâ implendam, *ut sit Deus omnia in omnibus*, ut quod intelligent beati, quod volent, quod amabunt, quò gaudebunt, &c. nihil aliud quàm Deus sit, neque omninò quicquam in ipsis sit, quod non vel Deus, vel à Deo sit. Obj. *Etiam Filius subjicietur Patri, regnare ergò desinet*, 1 *Cor.* 15: 28. R. Subjicietur in corpore suo mystico, sive Ecclesia, cujus est caput, quando omnia ejus membra à vilitate vindicata cœli gloriâ cumulabuntur: quæ subjectio non gloriæ imminutionem, sed consummationem, atque adeò majorem exaltationem infert, quippe quæ nihil aliud est, quàm absoluta omnium

Regnum Christi æternum.

Respondetur ad objectiones ex 1 *Cor.* 15: 24, 25.

nium Ecclesiæ membrorum conformatio ad imaginem & voluntatem Dei. Fideles, quoad in terris vivunt, nondum plenè subjecti atque conformes sunt voluntati Dei tentationibus, infirmitate carnis, luctâ &c. obedientiæ cursum interturbantibus: quibus quamdiu locus est, ipsius Christi capitis gloriæ nonnihil deesse videtur, dum pars corporis Christi victrix cœlo redonata triumphat, pars etiamnum cum peccato, miseria, morte &c. conflictans in terris militat.

Regii muneris Christi partes, Gubernatio & Defensio *Ecclesiæ*.

XXIV. Q. *Quasnam regio muneri Christi partes assignas?* R. Duas, Gubernationem & Defensionem. De quibus Catech. Qui nos suô verbô & Spiritu gubernat, & partam nobis salutem tuetur ac conservat. Q. *Qualis est ista gubernatio?* R. Potentissima & justissima. Unde illud; *Scipionem roboris tui mittet Jehova ex Zione*, *Psal.* 110: 2. *Sceptrum rectitudinis sceptrum regni tui*, *Psal.* 45: 7. Q. *Quô modô Christus gubernat?* R. Cùm regnum Christi sit spirituale etiam regnandi ratio talis est. Unde Catech. *Verbô & Spiritu gubernat.* Verbô; ut subditi veritatis amore faciant, quicquid Christus suæ voluntatis esse verbô docet. Spiritu; quô I. Redemptos sibi ceu capiti jungit. II. Communionem cum ipsis suam obsignat. III. Novum animum, novum atque purum cor in ipsis creat, ut non jam sibi vivant, sed Christo in ipsis viventi suâ gratiâ, *Gal.* 2: 20. IV. Eosdem omni servituti elementorum mundi exemptos in libertatem filiorum Dei asserit, & adoptionis certos reddit. Quapropter ex hac Ecclesiæ gubernatione fluunt electorum & redemptorum vocatio, resipiscentia, fides, nova obedientia: dona item extraordinaria, quæ nascenti Ecclesiæ confirmandæ, ampliandæ & condecorandæ liberali largitate data fuere.

I. *Gubernatio qualis sit.*

Quæ ejus consequentia, vel effectus.

II. *Defensio Ecclesiæ quibus sese probet effectis.*

XXV. Q. *Hæc de Gubernatione, quid dicis de Defensione?* R. Cùm regno Christi in terris sui sint hostes & certamina &c. Christus Ecclesiam adversus omnem illorum rabiem, insidias atque insultus tutam atque invictam præstat, hostium artes & fraudes revelando, furorem coërcendo; Ecclesiam in mediis turbis conservando; populos nequicquam hactenus adversantes subigendo, ut Christo saltem mentiantur.

Psal.

Psal. 66:3. 68:19. & 81:16. refractarios, rebelles atque persecutores puniendo; Ecclesiæ subinde, frementibus interim hostibus, ἀνάψυξιν & spiramenta temporum dando; Ecclesiam denique omni certamine defunctam triumphi gloriâ cumulando & coronando. Atque ex hac Ecclesiæ defensione fluunt fidelium perseverantia, interposita militiæ refrigeria, hostium si non conversio, saltem convictio, certè confusio & interitus, tandemque fidelium post labores æterna quies & beatitudo. Unde & Judæi & Papistæ suos dedoceri possunt errores. Q. *Quomodo Judæi?* R. Cùm ex Prophetis una nobiscum audiant, Messiam & Sacerdotem & Regem fore; & verò Reges vulgari sensu dicti apud Israëlitas simul Sacerdotes esse non potuerint, inde saltem concludendum, Regnum Messiæ non esse de hoc mundo, *Joh.* 18: 36. verùm cœleste & spirituale origine sua, throno, subditis, legibus, sceptro, administratione, privilegiis, &c. Q. *Quomodo Papistæ?* R. Si verum sibi dici paterentur, unà nobiscum agnoscerent, non alium, quàm Christum, Dei Filium, Ecclesiæ caput atque Regem dari posse: neque enim est præter ipsum, qui munia regni in Ecclesia implere queat.

Elenchus erroris Judæorum & Papistarum.

Quæstio XXXII.

Cur verò tu Christianus appellaris?

QUòd per fidem membrum sum Jesu Christi, & unctionis ipsius particeps, ut & nomen ejus confitear, meque sistam ipsi vivam gratitudinis hostiam, & in hac vita contra peccatum & Satanam liberâ & bonâ conscientiâ pugnem, & postea æternum cum Christo regnum in omnes creaturas teneam.

ANALYSIS.

I. Expoſito nomine *Chriſtus* opportunè quæritur de interpretatione nominis conjugati *Chriſtianus.*

II. Notatio ejus eſt

I. Ex relatione ſive unione cum Chriſto; *Quòd per fidem membrum ſum J. Chriſti.*

II. Ex effecto vel conſequente, tùm poſitô; *Et unctionis ipſius particeps:* tùm deſcriptô ex triplici fine, nim. triplici officio, quod per analogiam reſpondet triplici officio, ad quod unctus eſt Chriſtus.

1. *Ut nomen ejus confitear:* quod Prophetæ eſt.

2. *Ut me ſiſtam ipſi vivam gratitud. hoſtiam:* quod Sacerdotis eſt.

3. *Ut in hac vita contra peccatum &c.* Ubi tùm pugnâ ſpiritualis, tùm æterna dominatio in creaturas Regii officii eſt.

EXEGESIS.

Occaſio Quæſtionis.

Quæ ratio quærendi hôc locô, cur verô tu Chriſtianus appellaris? R. Expoſitioni nominis *Chriſtus* opportunè ſubjicitur Quæſtio de nomine conjugato *Chriſtianus.* Neque verò Catechumenus tàm auguſtæ appellationis Servatoris ſui meminiſſe poteſt, quin ſi rectè de ea cogitet, ſimul etiam nominis *Chriſtiani*, quod ex Communione Chriſti trahit, memoriam gratô animô recolat. Ad vim ejus pernoſcendam juvabit, cùm originem, tùm maximè rationem appellationis indagâſſe.

Unde natum nomen Chriſtianus.

II. Q. *Unde igitur ortum nomen Chriſtiani?* R. Id primùm Antiochiæ factum eſt illis, qui fidem in Chriſtum profeſſi, antè dicebantur diſcipuli, *Act.* 11: 26.

Poſt

Pòst autem per totum terrarum orbem eodem nomine innotuerunt. Q. *An Græcorum more, qui à Magistris discipulos nominabant, ut Pythagoreos, Platonicos, &c.?* R. Non equidem facilè dixerim, persuasus, eo nomine sublimius quid portendi, neque adeò temerè & fortuitò discipulis Christi inditum fuisse. Q. *Quî verò id probas?* R. Quæcunque demùm causa appellationis visa fuerit illis, qui primi discipulos Christi dixêre Christianos, Deo certè sic providente factum, ut hoc nomen honorificum utique & salutare illis inderetur. *Pulchrum nomen*, inquit Jacobus, *super vos nominatur*, *Jac.* 2: 7. Quibus verbis dubiò procul sanctius aliquid & augustius, quàm sectæ communionem, intelligi vult. Unde idem nomen à fidelibus libenter admissum, & Lucæ usurpatum, *Act.* 26: 28. Itemque Petro 1 *Epist.* 4: 16. Quidni verò? Cùm non modò honorificum, sed etiam salutare sit, ubi nomen profitentis os & cor consentiunt. *Joël.* 2: 32. 2 *Tim.* 2: 19. Confer *Esa.* 44: 5. & 62: 2. Ut intelligamus etiam non sine Scriptura Prophetica hoc nomen fidelibus contigisse. Cùm autem Servator noster ab unctione dicatur Christus, quid prohibet, fideles ab unctionis illius communione dici Christianos? Obj. *Atqui ab unctione non Christiani, sed Christi potiùs essent vocandi, ut Psal.* 105: 15. *Nolite tangere Christos meos. Appellationis igitur nulla propior afferri potest ratio, quàm quia discipuli nominari consueverunt à Magistris.* R. 1. Christianos, non Christos, dici conveniebat discipulos Christi, tùm quia uncti sunt in communione Christi; tùm ne non suus Christo honor integer constet, quippe cui soli nomen Christi in sua virtute & excellentia competit. 2. Qui olim sectam fecere Philosophi, non de quavis appellatione officium designante, sed de nomine suo proprio discipulis suis & sectatoribus reliquerunt nomen: ergò discipulis Servatoris non à nomine ejus proprio, sed nomine officium denotante appellatis, disparem & longè nobiliorem appellationis rationem fuisse oportet.

Non sortitò sed Deo sic providente inditum discipulis Christi.

Vera appellationis ratio arcessenda ab unione & communione cum Christo.

III. Q. *Quamnam Catech. hujusce appellationis causam sendà dicit?* R. Geminam: videlicet *Unionem* cum Christo, & *Communionem*. Unionem his verbis exprimit; Quod per fidem membrum sum Jesu Christi.

IV.

Redempti cum Christo uniuntur.

IV. Q. *Id unde constat Catechumeno ?* R. Redemptos cum Christo uniri, cùm multis Scripturæ testimoniis & imaginibus, unionem istam adumbrantibus, velut *Eph.* 3: 17. & 5: 30. 1 *Cor.* 6: 15. *Rom.* 12: 5. &c. tum etiam suôpte experimentô compertum habet, atque ideò ex sensu & conscientia animi loquens, de unione suî cum Christo gloriatur.

Spiritu fidei.

V. Q. *Quomodo est unionis istius vinculum ?* R. Fides: *Eph.* 3: 17. *Gal.* 2: 20. Unde Catech. *quòd per fidem membrum sum, &c.* Quod tamen non eo sensu intelligendum, quasi nos Christum præverteremus, eumque priores ambiremus, nostrumque faceremus per fidem, quæ nostræ sit potestatis & arbitrii opus. Etenim ex adverso Christus omnem nostrum conatum atque studium antevertit, nosque abs se alienos sibi jungit, dato in cor nostrum Spiritu suo, fidei effectore, 2 *Cor.* 4: 13. 1 *Cor.* 12: 13.

Quæunio est arctissima & incomprehensibilis.

VI. Q. *Qualis est ista unio ?* R. Arctissima & incomprehensibilis. Q. *Unde ostendis esse arctissimam ?* R. E. variis similitudinibus, tùm à natura, tùm à societate civili, tùm ab arte petitis, quibus unionem istam adumbrat Scriptura. Qualis est *unio membrorum & corporis* cum capite; unde vita, vigor, motus & sensus membrorum, 1 *Cor.* 12: 12. *&c. Palmitis & vitis, Joh.* 15: 5. adoptivi *surculi & arboris, Rom.* 6: 5. *Cibi & corporis nostri, Joh.* 6: *mariti & uxoris, Eph.* 5: 23. *lapidis angularis & ædificii, Eph.* 2: 20, 21, 22, *&c.* Q. *Quare eam dicis incomprehensibilem ?* R. Quia, quantumvis appositæ sint istæ similitudines unioni Christi & fidelium depingendæ, vim nihilominùs & mysterium ejus non exæquant vel singulæ vel universæ. *Non singulæ*, quia si una vel altera, quantum satis erat mysterium aperiret, pluribus non usurus fuerat Spiritus S. nervosæ brevitatis amans. Deinde *non universa*, quod vel inde liquet, quia nullum unionis genus in rebus sive physicis, sive moralibus, sive arte factis, occurrit, quod attentè consideratum à nemine intelligi valeat. Quomodo Adamus & Eva, quorum in unione hujus mysterii imaginem extare docet Apostolus, *Eph.* 5: 30, 31, 32. una fuerint caro non jam modò consensu & fide conju-

conjugali, sed substantiæ corporis communicatione, conjuge ex conjugis carne exstructa, intelligi datur: attamen Apostolus isto emblemate unitatis primorum conjugum proposito, de unione Christi & Ecclesiæ prædicat, *mysterium hoc magnum est, ego autem dico de Christo & Ecclesia*: significans, mysterium tantum esse, ut, quantum sit, nec mente comprehendere, nec verbis consequi quisquam possit.

VII. Q. *Dixisti de Unione fidelium cum Christo; quam intelligis communionem eorundem cum Christo, ob quam Christiani appellentur?* R. Communionem in nomine & bonis sive unctione ejus, ex unione ista fluentem. Quemadmodum in conjugio uxor cum marito una caro facta, nomen à conjuge sortitur, omnisque fortunæ ejus consors fit. Sic fidelis cum Christo unitus & novum accipit nomen, à Christo dicendus Christianus, & particeps redditur bonorum ejus, justitiæ & vitæ. Quæ igitur Christi justitia, quæ vita, quæ gloria, eam & nostram dicere possumus, quippe justitiam, vitam & gloriam capitis. Vide *Eph.* 2: 6. De hac communione Catech. verba faciens, *Et unctionis ipsius particeps: ut & nomen ejus confitear, &c.* duo nobis meditanda offert, videlicet *quòd & quò fine usuque* fideles unctionis Christi participes sint. *Redempti cum Christo communionem habent in nomine & unctione.*

VIII. Q. *Unde igitur probas, fideles unctionis Christi esse participes?* R. Id docent Scripturæ multa cùm testimonia, ut *Joh.* 1: 14, 16. & 3: 34. 1 *Joh.* 2: 20. *&c.* tùm emblemata, quale illud aromatum & vestium Sponsi Ecclesiæ, *Psal.* 45: 9. Item *olei illius optimi, quod in caput Aharonis effusum defluit in barbam, imò in oram togæ talaris ejus, Psal.* 133: 2. *Sic ex plenitudine* Christi accipimus καὶ χάριν ἀντὶ χάριτος, *Joh.* 1: 16. i. e. gratiam cumulatim exuberantem: ut quemadmodum gratia est, quæ remunerationem affert, sic gratia, gratiæ effectus, fit remuneratio. *Habenti*, gratiam, *dabitur & abundabit. Matth.* 13: 12. *Quod probatur.*

IX. Q. *Quo fine usuque unctionis Christi participes fiunt fideles?* R. Id docet Catech. verbis seq. *ut & nomen ejus confitear, meque sistam ipsi vivam, gratitudinis hostiam, &c.* Non ergò ut otiosi & inertes cælesti frua- *Quo fine usuque fideles unctionis Christi participes reddantur.*

fruamur beneficio, sed ut dona illa ad Christi gloriam, & corporis ipsius mystici usum conferamus, eodem quippe fine κατ' ἀναλογίαν ad triplex officium evocati. Q. *Num ergò fideles dicis esse Prophetas, Sacerdotes & Reges?* R. Id quidem beneficii, ut tales sint atque appellentur in Scriptura, consequuntur in communione Christi. Vide inter alia 1 *Pet.* 2: 9. coll. *Exod.* 19: 6. *Apoc.* 1: 6.

Fideles quique suò modò Prophetæ, Sacerdotes & Reges.

Quid ipsis ceu Prophetis agendum.

X. Q. *Quid fidelibus faciendum incumbit ut Prophetis?* R. Prophetici muneris universa complectitur Catech. hôc verbô; ut & nomen ejus confitear. Q. *Quid nomen Christi?* R. Id omne, quô auditô, cognitô vel nominatim expressô Christus intelligitur, sive ex persona sua, sive ex naturis, sive ex officio, sive ex statu, sive denique ex beneficiis; unde Christo nomen in Scriptura. Q. *Quando igitur Catech. fidelium ceu Prophetarum esse dicit*, nomen Christi confiteri; *quidnam eô docere intendit?* R. I. Christum toto suo nomine fidelibus non jam solùm in ænigmate & umbris, ut olim, sed rerum implementô & revolutô umbrarum velô, esse cognitum. *Esa.* 54: 13. 1 Joh. 2: 27. II. Fideles certissima fide tenere, Jesum esse talem atque tantum cùm verbis Scripturæ divinæ, tùm etiam rebus ipsis demonstratum, ac conscientiâ & fidei sensu compertum, qualis & quantus à Mose cæterisque Prophetis, nominatus & in posterum cognoscendus fuerat. III. Fideles hanc suam fidem apud alios constanter & intrepidè profiteri: suô quemque locô pro cognitionis salutaris fideique modulo ædificationi mutuæ incumbere, alios verbô & exemplô docere, lapsos erigere, lapsantes & debiles firmare, segnes excitare, mœstos solari, &c. salvô tamen hactenus ministeriô publicô.

Quid significet, nomen Christi confiteri?

Quid fidelibus, ceu Sacerdotibus agendum.

XI. Q. *Quid fidelibus agendum ut Sacerdotibus?* R. Sicut fidelibus, Christi beneficiô Sacerdotibus, jus est atque fiducia accedendi ad Deum, *Rom.* 5: 2. *Heb.* 10: 19, 20, 21. *&c.* Ita eorundem est, *sistere se Deo hostiam gratitudinis vivam:* uti Catech. monet, paucis docens *quam* & *qualem* offerre teneantur hostiam. Q. *Quam igitur hostiam offerunt?* R. Fidelis, qui Sacerdos est, idem & hostia est. Unde Catech. *meque* sistam ipsi vivam gratitudinis hostiam. Alia ergò hostiarum spi-

Ubi
1. *Quam hostiam offerre teneantur Deo.*

spiritualium genera hinc non excludunt ur, quia] fidelis semetipsum cum omnibus facultatibus atque bonis, quæ Dei beneficio habet atque potest, tanquam hostiam Deo debet. Id quod olim holocaustorum ritu significatum. Eò igitur pertinent I. Corpora nostra, quæ dicuntur *hostia viva rationalis*, *sancta*, *Deo placens*, *Rom.* 12: 1. In quibus manifesta oppositio tùm ad ritualia & umbras legis Mosaicæ; tùm ad ea quæ à peccatoribus offeruntur. II. Laudes Dei, *Heb.* 13: 15. III. Opera beneficentiæ & communicationis, ibid. v. 16. IV. Preces sanctorum, in nomine Christi fundendæ, sunt suffitus, *Apoc.* 5: 8. *Psal.* 141: 2. V. Spiritus fractus, &c. *Psal.* 51: 19. h. e. spiritus seipsum abnegantis, omnem salutis gloriam Deo transscribentis, justitiam Christi sitientis, &c. VI. Martyrium pro Christi nomine; Apostolo σπονδὴ *libamen*, 2 *Tim.* 4: 6. Sacrificiis olim oblatis libamen affundi solitum, nemo ignorat. Apostolus in offerendo sacrificio sese occupatum docet, sed ejus non restare, nisi ultimum actum, nempe libamen. Oblatio erant Gentes ministeriô Apostolicô ad Deum adductæ, *Rom.* 15: 16. Sic Philippensium suâ operâ conversorum fidem θυσίαν τῆς πίστεως dicit Apostolus, super qua se paratum ostendit libari, *Phil.* 2: 17. VII. Denique quisquis donum accepit peculiare, ad id offerendum Sacerdos est. Q. *Quare omnia ista vocantur sacrificia?* R. 1. Quia sacrificiis V. T. significata fuere. 2. Quia Deo dantur, Deoque oblata in Christo acceptantur: sic eleemosynæ sacrificia, *Heb.* 13: 16. quia Christus sibi factum reputat, quod benefit discipulis ejus egentibus, *Matth.* 25: 40. Q. *Qualis est hostia, quæ Deo offerenda?* R. Hostia gratitudinis, uti eam appellat Catech. Non igitur expiatoria, sed Eucharistica. Etenim post unum illud Christi sacrificium expiatorium, in cruce oblatum, aliis quàm Eucharisticis locus esse nequit. Q. *Unde id probatum dabis?* R. 1. Hilasticis olim adhibebantur animalia, *nullâ remissione* exspectandâ *sine sanguinis effusione*, *Heb.* 9: 22. Atqui sacrificia nobis imperata non habent αἱματεκχυσίαν. Vitam certè quidem profundere tenemur, quoties Servatoris gloria & Ecclesiæ salus

Ad quam pertinent Sacrificia spiritualia quæ numerantur septem.

2. Qualem hostiam offerre debeant fideles.

salus id postulant: id verò non sacrificii ἱλαστικὸν, sed libaminis rationem habet, ut mox dictum. 2. Sacrificia nostra sunt laudis & confessionis, *Psal.* 50: 14, 23. *Heb.* 13: 5. Atqui sacrificium laudis & confessionis offerentes non ampliùs possunt pro peccato offerre, aut satisfacere, alioqui, quod confiterentur, abnegaturi.

Quid Christianis ceu Regibus agendum.

XII. Q. *Quid Christianis, ut Regibus, seu ad regnum vocatis, faciendum incumbit?* R. Regii muneris duo exponit Catechetes I. Pugnam cum hostibus ineundam. II. Æternum cum Christo regnum in omnes creaturas. Enimverò Christianis pro regno, quod ipsis peperit Christus, adeundo decertandum est, certaminis authore, instructore & moderatore Deo. Q. *Unde verò Deum certaminis authorem &c. dicis?* R. Pugnam ipse indixit Deus, & quasi classicum cecinit jam olim in paradiso, editô προευαγγελισμῷ, *Gen.* 3: 15. Unde ab illo usque tempore duo extitere regna; regnum, puta, Seminis benedicti, & regnum Satanæ: vel, ut Augustinus dicere amat, duæ Civitates; *Civitas Dei* & *Mundus*, qui Civitas Satanæ. Pugnam Deus quoque instruit, aciem ordinando, ad militiam vocatos armando, vires suppeditando, pugnantes sustentando, certamine defunctos coronando: absque Deo enim foret, naturâ captivis, imbellibus & inermibus ad pugnandum nec animus, nec virtus, nec arma essent. Q. *Quibus cum hostibus congrediendum est Christiano?* R. Præcipuorum meminit Catech. dicens; *contra peccatum & Satanam* &c. non exclusis, qui Diabolo subserviunt, impiis, hypocritis, hæreticis, persecutoribus, Antichristo, & quotquot alii nomine Mundi censentur in Scriptura. Q. *Quô pugnæ locô & tempore decertandum?* R. Utrumque Catech. verbo complectitur, dicens, *in hac vita*, i. e. quoad hanc vivimus vitam in terris. Nulla hîc immunitas ulli, nulla ab armis vacatio, nullæ induciæ, nulla pax, nulla nisi morienti missio: hostibus identidem ad nocendum intentis, nec unquam, qui nos infestent, defuturis. Q. *Quomodo pugnandum?* R. Catech. *liberâ*, inquit, *ac bonâ conscientiâ:* ex 1 *Tim.* 1: 18, 19. Hæc,

1. *Pugnandum.*

Quis pugnæ author, instructor & moderator.

Qui hostes.

Ubi & quamdiu pugnandum.

Quomodo.

ne

ne fortè Christianum militem dicas inermem, arma ministrat è verbo Dei deprompta, *Eph.* 6: 13, *&c.* & animum addit. Q. *Super quâ re, vel Bono decertandum?* R. Vulgò certatur de vita, libertate, Imperio, vel alio gravis momenti commodo. Fidelibus decertandum *super fide semel tradita Sanctis*, *Jud. v.* 3. &, quæ à fide defensa & custodita pendet, *animarum salute*, 1 *Pet.* 1: 9. Q. *Quis pugnæ successus?* R. Siquidem Deo Authore suscipiatur, & Christo Duce fortiter atque constanter ineatur, successus haud dubiè felix est, certâ sic pugnantes manente victoriâ: quia certamen est cum hostibus jamjam ad cladem ferendam damnatis & per potentiam meritumque Christi devictis & exarmatis. *Super quo Bono.* *Quo successu.*

XIII. Q. *Quodnam strenuè pugnanti propositum dicis præmium?* R. Æternum, ut ait Catech. regnum in omnes creaturas, Christô Agonothetâ & Brabeutâ, accipiendum, & cum Christo, procul omni periculo & amittendi metu, tenendum. Q. *Quas intelligi oportet creaturas?* R. 1. Hostes Ecclesiæ, Diabolos, & quotquot illis militant, infideles & improbos. *Psal.* 49: 15. *Luc.* 22: 30. 1 *Cor.* 6: 2, 3. 2. Cœlum novum & terram novam, quæ instaurata & ab omni corruptione & vanitate vindicata, *Rom.* 8: 20, 21. fidelibus subjicientur, & servient. Unde Apostolus, *Omnia*, inquit, *vestra sunt*, *&c.* 1 *Cor.* 3: 21, 22. adde 2 *Pet.* 3: 13. 2. *Futurum, ut fideles certamine defuncti cum Christo regnent.*

Quæstio XXXIII.

Quam ob causam Christus vocatur Filius Dei unigenitus, cùm nos quoque simus Filii Dei?

QUia solus Christus est coæternus & naturalis æterni Patris Filius: nos autem propter eum ex gratia à Patre adoptati sumus.

ANALYSIS.

I. Quæstio habet objectionem; *Nos quoque sumus Filii Dei: Ergò Christus non est Filius Dei unigenitus.*

II. Catech. negat Consequentiam, non quidem diserte, sed allata ratione ex differentia filiationis Christi & nostræ, quæ ex utriusque descriptione patefit.

1. *Christus solus est coæternus & naturalis, &c.* Quæ descriptio filiationis Christi est ex relatis & adjunctis propriis, docens quis, cujus, quâ ratione & qualis Filius sit.

2. *Nos autem propter eum ex gratia, &c.* Quæ descriptio filiationis nostræ docet, quô modô & jure, quo authore, quâ causâ movente interna & externa simus filii.

Differt ergò hæc ab illa.

Christus Filius *naturâ*, nos *gratiâ*: Ille *genitus*, nos *adoptati*: Ille *æternus*, nos *cœpimus esse* filii: Ille *solus*, nos *multi*: Ille *sine nobis*, nos *propter illum*: Ille Patri *cœssentialis*, nos *alii* naturâ *& alieni*.

EXEGESIS.

Nexus. HActenus de nominibus *Jesus* & *Christus*: nunc juxta ordinem rerum in Symbolo Apost. servatum expendenda sequitur confessio fidei Catechumeni de Persona Servatoris, quem credit esse *Filium Dei Unigenitum*, quæ etiam ratio est fiduciæ in ipso reponendæ. Q. *Qua de causa non rectà, sed per ambages, ad præsentis thematis tractationem accedit?* R. Expedienda fuit difficultas; Cùm nos quoque simus atque vocemur filii Dei, juxta id quod Quæst. 26. probatum, utique proclive est quærere, quare Servator

tor in Symb. Apost. appelletur Filius Dei Unigenitus. Responsio Catech. distinguens de filiatione Christi & nostra, occasionem dat nobis utramque, quoad ejus fieri potest per brevitatis studium, explicandi.

II. Q. *Unde probas, Christum esse Filium Dei?* R. In eam rem ingens testimoniorum sacrorum cumulus afferri posset. Q. *Idemne etiam probabis testimoniis è Vet. Test. repetendis?* R. Omninò: vide *Psal.* 2: 7, 12. *Prov.* 30: 4. *Zach.* 3: 8. ubi eodem sensu *Germen Jehovæ*, & *Jer.* 33: 15. ubi *Efflorescentia Jeh.* vocatur. *Christum esse Filium Dei.*

III. Q. *Quò sensu Christus appellatur Filius?* R. Maximè proprio & excellentissimo nominis significatu, quò uni & soli Christo convenit. Unde διαφορότερον *excellentius præ Angelis hæreditavit nomen &c. Heb.* 1: 4, 5. ex *Psal.* 2: 7. Ubi Apostolus compellationem Filii considerat ut factam à Patre in cœtu & congregatione omnium filiorum Dei, inter quos solus ipse nominatur Filius Dei. Angelos certè & fideles dici filios Dei, nemo negaverit: attamen his præsentibus & audientibus solus Christus compellatur Filius. Ea ergò ratione Filius est, quâ Angeli atque homines filii dici nequeunt; Filius ἐν δυνάμει *Rom.* 1: 4. omni potestate significatûs, quem vox Filii recipere potest, juxta 1 *Joh.* 5: 20. Ut in Christum verissimè quadret illud Propheræ; *Non est par tibi, Jehova: magnus es, & magnum est nomen tuum in præpollentia, Jer.* 10: 6. *Nominis significatu proprio & excellentissimo.*

IV. Q. *Unde verò Catechum. Christum in Symbolo jubetur dicere Filium Dei Unigenitum?* R. Ex *Joh.* 1: 14. *Intuiti sumus gloriam ejus, gloriam* ὡς μονογενοῦς. Obj. *Non dicitur Unigenitus, sed instar Unigeniti.* R. Adverbium ὡς non similitudinem, sed veritatem denotat: sic (כ) Hebræum etiam affirmandi usum habet, inde לאמרו (כ) dictum Rabbinis: quale occurrit *Zach.* 12: 8. loco nostro non absimili. Quemadmodum unigenitus Regis omnem habet gloriam Regis: ita gloria *Sermonis*, quam verbis & factis testatissimam experti fuere testes, reapse divina est, quippe gloria Unigeniti à Patre. *Christum esse Filium Dei Unigenitum.*

Probatur 1. Quia est coæternus æterni Patris Filius.

V. Q. *Quibus argumentis probas Christum esse Filium Dei Unigenitum sensu hactenus explicato?* R. I. Quia ut Catech. habet, est coæternus æterni Patris Filius; quod disertis Scripturæ testimoniis confirmatur. *Prov.* 8: 22, 30. *Mich.* 5: 1. Et *Psal.* 2: 7. Ubi combinatio adverbii præsentis cum verbo præteriti temporis, *hodie genui te*, æternitatem generationis continuæ significat. Cui enim Deus omni tempore dicere potest, *Ego hodie genui te*, idque ea ratione, ut nulli creaturæ simile quid dictum sit unquam, illius æterna & continua ex Deo generatio est, adeoque sine initio atque fine vitam habet in se, propter Patrem, qui vitam habet in se ipso, *Joh.* 5: 26. & 6: 57.

2. Quia est naturalis Filius.

II. Quia Christus consequenter etiam est *naturalis* Dei *Filius*: quod Scriptura docet, eum appellans *proprium* Dei *Filium*, *Rom.* 8: 32. In ἀντιθέσει tùm λεγομένων υἱῶν, *Psal.* 82: 6. tùm illorum, qui *prædestinati sunt ad adoptionem*, *Eph.* 1: 5. Unde Christus Deum dicit *Patrem proprium*, *Joh.* 5: 18. Ex quo Judæi æqualitatem inferri rectè senserunt, quam utique Christus non negabat, sed multis argumentis adstruebat.

Non nisi una causa, ob quam Christus est atque nominatur Filius Dei.

VI. Q. *Unane tantùm, an plures sunt filiationis Christi causæ?* R. Una tantùm, eaque æterna ejus & ineffabilis ex Patre generatio; ob quam solam Filius Dei est & nominatur: etsi plura sint in ipso argumenta, quibus esse, quod est, demonstratur. Qualia sunt, *conceptio miraculosa* ex Spiritu S. in utero Virginis, *Luc.* 1: 35. *Sanctificatio* ad munus Mediatoris, *Joh.* 10: 35, 36. *Resuscitatio* ex mortuis, *Act.* 13: 34, 35. *Exaltatio* ad Dextram Dei Patris, *Heb.* 1: 3. *&c.* Atquæ hæc de Filiatione Christi dixisse sufficiat.

Quomodo fideles sint atque dicantur filii Dei.

VII. Q. *Quamnam dicis filiationem nostram?* vel, *Quomodo nos dicis esse filios Dei?* R. Beneficio gratiæ, quò nos qui naturâ filii iræ sumus, filii Dei cœlestisque hæreditatis consortes simus adoptione. *Quos Deus voluntate sua filios fecit, non ex natura sua filios genuit. Genuit quidem & nos, sed quomodo dicitur, adoptatos ab adoptante generatos, beneficio non naturâ? Augustin. Serm. 51. in Evang. Joh.*

Quid sit

VIII. Q. *Quid est adoptio?* R. Gratiosa Dei senten-

tentia, quâ nos in & propter Christum in familiam suam assumptos pro filiis suis & hæredibus vitæ æternæ declarat, datoque adoptionis Spiritu, animo & affectu, tanto nomine dignis, imbuit. *adoptio & quomodo fiat.* Q. *Quare eam dicis gratiosam sententiam?* R. Ut significem, nos non naturâ, nedum merito nostro, sed gratiâ merâ, per sententiam quandam Dei tanti nominis dignitatem consequi. Unde etiam Adoptio justificatoriæ sententiæ *Consequens* & veluti quædam appendix statuitur Theologis: nec abs re. Q. *Qui verò?* R. Cùm justificatio fiat imputatione justitiæ Christi, eaque imputatio non solùm remissionem inferat peccatorum, sed etiam donationem juris pleni petendæ & exspectandæ vitæ æternæ, quod jus utique filiorum & hæredum est, justificati eo ipso filii & hæredes pronunciantur. *Hæc hæreditas servorum Jehovæ, & justitia, sive jus, illorum à me, ait Jehova, Esa.* 54: 17. adde *Joh.* 1: 12. *Hos.* 1: 10. vel 2: 1. Quæ omnia ut rectius intelligantur, notandum, adoptionem perinde atque justificationem, sua quædam habere momenta distincta, secundùm quæ considerari potest. I. Ut ab æterno decreta, *Eph.* 1: 5. II. Ut in tempore à Christo nobis parata, *Gal.* 4: 4, 5. III. Ut fit à Deo Patre, sententiam gratiæ pronunciante, nosque filios suos declarante. IV. Ut à Spiritu fidei nobis intimatur & applicatur.

IX. Q. *Ubinam Deus Pater sententiam istam pronunciat, nosque suos esse filios declarat?* *Deus nos filios suos esse declarat in verbo.* R. Sicut justificatio activè sumpta, quæ actio, sive sententia Dei est absolventis peccatorem; itidem & pronunciatio sententiæ in adoptione, non extra Scripturam S. fit, sed in ipsa Scriptura, quippe in qua *Deus nobis, ut filiis loquitur, Heb.* 12: 5. Inibi enim Deus declarat, se credentes in Christum habere pro filiis: quam Scripturæ declarationem electi apprehendunt, & quod universis credentibus offertur jus, suâ quique fide suum faciunt. Fides enim nititur verbo Dei in Scripturis revelato: credens alioqui sententiam istam apprehendere non posset, quin fieret Enthusiastes, oracula, sive revelationes exspectans extra verbum Dei scriptum.

X. Q. *Quomodo adoptio à Spiritu fidei nobis intimatur* *Eam de-*

clarationem nobis intimat Spiritus fidei & adoptionis.

matur & applicatur? R. Dum, ut nobis fiat compertum, quinam sint, quos Deus in verbo filios suos atque hæredes vitæ declarat, ex effectis quibusdam, ceu criteriis, Spiritûs fidei & adoptionis id ipsum colligere, & ad nostri consolationem certò statuere docemur. Unde *Spiritus adoptionis* dicitur, *Rom.* 8: 15. Spiritus enim S. in nobis operatur fidem, (quæ regenerationis initium est) quâ testimonia de gratuita nostri adoptione nobis applicamus, & de ea in corde persuasi firmiter confidimus, nos in Christo esse filios Dei, eâque fiduciâ Deum ut Patrem adimus, clamantes, *Abba, Pater! Similiter ipse Spiritus contestificatur spiritui nostro, quòd simus filii Dei, &c. Rom.* 8: 6, 7. Obj. *At qui paulò antè dixisti, declarationem istam divinam constare testimoniò verbi scripti?* R. Tenendum est, testimonium illud, de quô Apostolus locô cit. non esse singulare aliquod alloquium & veluti responsum divinum ad animam extra Scripturam: sed esse testimonium Spiritus S. foris quidem in Scriptura ad conscientiam tuam, meam, loquentis; intùs verò in corde fidem certamque persuasionem de Scripturæ testimonio operantis: quâ ipsâ fide & persuasione adoptio tibi, mihi, obsignatur, juxta *Eph.* 1: 13.

Adoptati etiam regenerantur, ut cor, animum atque affectum filiis Dei dignum induant.

XI. Q. *Nihilne amplius operatur Spiritus adoptionis in electis, quàm fidem de testimonio adoptionis suæ?* R. Eosdem quoque ita regenerat, ut cor, animumque novum, & affectum filiis Dei dignum induant. Unde *ex Deo genitos* dicit Scriptura non *ex sanguine.* i. e. fœcunditate mulieris, ut Ismaël: *neque ex voluntate carnis*, i. e. voluntate paterna, ut Isaac: *neque ex voluntate viri*, i. e. libera adoptione, ut Manasse & Ephraim, *Joh.* 1: 13. *Volens progenuit nos verbô veritatis. Jac.* 1: 18. Hinc etiam suo quodam modo hîc locum habet Vulgatum illud; *Adoptio imitatur naturam.* I. Quemadmodum in filiis hominum semen est parentum: sic in filiis Dei semen est Dei, *verbum* puta *veritatis & Spiritus. 1 Pet.* 1: 23. *1 Joh.* 3: 9. II. Quæ parentum sunt, eadem & filiorum sunt: filiis etiam ea parentum fiducia est, ut liber sit accessus, perpetua parentes videndi copia, quidvis petendi potestas: quinimò utrisque tanta in-

ter

ter se familiaritas, ut filii & operum paternorum ut plurimùm conscii, & gaudiorum consortes sint. Ita filiis Dei liber ad ipsum accessus, & *familiare commercium est*, *Rom.* 5: 2. *Psal.* 25: 14. Unde non obscurum, quinam & quales sint, quibus Deus in verbo suo, tanquam filiis, loquatur.

XII. Q. *Quasnam adoptionis causas dicis moventes?* *Adoptionis causæ moventes.*

R. Si eam spectes in consilio Dei, causam habet nullam præter Dei εὐδοκίαν, Jac. 1: 18. 1 *Joh.* 3: 1. Si vero consilii divini executionem consideres, causa adoptionis nostræ Christus est cum satisfactione sua & merito. Etenim I. Christus, ut Redemptor, istum nobis titulum paravit, Spiritumque adoptionis acquisivit, *Gal.* 3: 14. & 4: 5. II. Christus, ut Filius Dei primogenitus, nobisque ex assumpta natura frater, titulum istum confert & applicat. Christum enim vera fide amplexis *jus dedit* Deus, *ut filii Dei fierent*, *Joh.* 1: 12. quia Christus, Filius Dei, frater redimendorum factus est, assumpta carne: velut qui in familia Abrahami frater est filii Abrahami, idem Abrahamo etiam filius est. Hinc Christus *primogenitus inter multos fratres*, *Rom.* 8: 29. *& tota familia filiorum* Dei *in cœlis & in terra*, ex Christo, ut primogenito, *nominatur*, *Eph.* 3: 15. Ex hactenus dictis, quid inter adoptionem hanc divinam & civilem intersit, proclive satis est judicare.

Quæstio XXXIV.

Qua de causa appellas eum Dominum nostrum?

QUia corpus & animam nostram à peccatis, non auro nec argento, sed pretioso suo sanguine redimens, & ab omni potestate Diaboli liberans, nos sibi proprios vindicavit.

ANALYSIS.

Christus Servator in Symbolo Apost. tandem etiam appellatur *Dominus noster:* cujus appellationis rationem Catech. arcessit à jure proprietatis in nos quæsito: quod I. Expressum verbis; *nos sibi proprios vindicavit:* II. Describitur, indicatô juris titulô, qui secundùm textum Germ. est *redemptio* & *emptio.* Cujus notanda veniunt

1. Objectum, tùm generatim enunciatum, *nos:* tùm distributione partium integrantium illustratum, *corpus & animam nostram.*
2. Causa meritoria, sive pretium, antithesi amplificatum; *non auro, nec argento, sed pretioso sanguine.*
3. Terminus à quo; *à peccatis & omni potestate Diaboli.*

EXEGESIS.

Quæstionis nexus & occasio.

Quis Quæstionis nexus & occasio? R. Ex ordine, quem tenet Symbolum Apost. considerandum supereſt elogium *Domini nostri*, quod extremum secundi articuli locum obtinet, quia ex eo, quòd Dei hominumque Mediator est *Filius Dei unigenitus*, *Christus*, sive unctus Dei, & *Jesus*, sive Servator hominum, consequitur, eundem etiam esse *Dominum nostrum.* Ad cujus elogii intelligentiam juvabit inquirere. 1. Quale sit nomen *Domini* suo significatu & emphasi, quoties Christo tribuitur. 2. Quo jure Christo, Servatori, conveniat.

De nomine Domini quæritur

II. Q. *Quale igitur est, quis ejus significatus, quæ emphasis?* R. Nomen *Domini* in Scripturis non vulgari, sed eximiâ quâdam & singulari notione, atque adeò

deò ut nomen διαφορότερον Christo tribuitur; vide 1 *Cor.* 8: 5, 6. Q. *Qui Catechetæ dicitur* Dominus, *quomodo appellatur in Symbolo Apost. & Scriptura S.?* R. Κύριος: quod vocabulum aliquando respondet nomini *Jehova*, quia mos obtinuit, ut pro יהוה legeretur אדני, quod nomen LXX. reddunt per Κύριος, *Dominus*. Verùm cùm voci יהוה non soleat addi pronomen *noster*, neque enim dicitur *Jehova noster*; nomen Κυρίε hôc locô veriùs respondere videtur Hebræo אדון quod ἐξόχως Christo attribuitur, eùm absolutè; *veniet ad templum suum* האדון *Dominus ille*, *&c. Mal.* 3: 1. tùm in constructione & relatione ad aliud, quod tanquam Dominus habet; sic appellatur אדון *Dominus totius terræ*, *Zach.* 4: 14. David, Rex, eum vocat *Dominum suum*, *Psal.* 110: 1. Eadem porrò vox LXX. Interpretibus nunc Κύριος, nunc Δεσπότης vertitur, quanquam N. T. stylus hæc vocabula distinguat, ut *Jud. v.* 4. Τὸν μόνον δεσπότην Θεὸν, καὶ Κύριον ἡμῶν Ἰησοῦν Χριστὸν ἀρνούμενοι. Q. *Quid igitur interest?* R. Erasmus ad locum, *si quid interest*, inquit, δεσπότης *privati juris nomen est*, κύριος *honoris & authoritatis: nam & matres-familias* οἰκοδεσπότιδες *jubentur*, *non* κυριεύειν. Nimirum δεσπότης propriè dicitur cui herile est imperium & jus præcipiendi servis. Κύριος latiori & pleniori significatu appellatur, qui plenam potestatem habet, vel rem optimo jure, velut peculium & hæreditatem, possidens, vel in personas summô imperiô pollens. Hinc memoriæ proditum, Augustum, *Domini appellationem semper exhorruisse*, *&c. Sueton. in Aug.* Quum enim dissimularet, se merum & regium in Romanos habere imperium, & nisi pro principe, h. e. primo Romanorum, sese gerere videri nollet, sensit voce *Dominus* sublimiorem denotari authoritatem, quàm quæ dissimulationi illi conveniret.

1. *Quale sit.*

Nomen Κύριος, Jehova & Adon, *quibus respondet hôc locô vox* Dominus.

Quid intersit inter κυρίον Dominum, *&* δεσπότην, Herum.

III. Q. *Unde arcessenda nominis*, *Christo tributi ratio?* R. A jure proprietatis, quô Christus nos habet. *Qui*, ut Catech. ait, *nos sibi proprios vindicavit*. Quô intelligi datur, nos non solùm ejus esse servos, quocunque impendiô emptos, & ad parendum devinctos; verùm nos totos rem esse ipsius atque peculium, sive

2. *Quo jure Christo tribuatur.*

hæreditatem, quam pleniſſimo optimoque jure poſſideat, nunquam alienandam, quippe in qua debeat velitque glorificari & condecorari, tanquam dives atque magnificus. Unde quemadmodum Chriſtus *hæres omnium*, *Heb.* 1: 2. ita Eccleſia *hæreditas ejus* dicitur *Pſal.* 2: 8. *&* 16: 6. Item *populus peculii*, *Exod.* 19: 5. *Tit.* 2: 14. *Populus ad conſervationem*, 1 *Pet.* 2: 9. Videſis plura ad Quæſt. I.

Quô titulô juris Chriſtus nos ſibi proprios habeat.

IV. Q. *Quis igitur titulus juris Chriſto in nos quæſiti?* R. Emptio & redemptio, ſecundùm textum Catech. Germ. Q. *Differuntne hôc locô illa duo?* R. Non omnis emptio eſt redemptio. Interim liberatio noſtri per Chriſtum eſt emptio & redemptio. Q. *Quomodo emptio?* R. Quia pretiô expensô nos ſibi acquiſivit. Q. *Quomodo redemptio?* R. Quia captivos è poteſtate hoſtium, & obnoxios è ſervitute, quam peccatum impoſuerat, interpoſitô veri nominis λύτρῳ liberavit. 1 Cor. 6: 20. Gal. 3: 13. &c. Q. *Qualis eſt redemptio iſta?* R. Non externa & ſemiplena, ſed ſpiritualis, perfecta, æterna: Unde & *corpus* & *animam* redemptâ & Chriſto propria vindicata dicit Catech. juxta 1 *Cor.* 6: 20. idque *non aurô*, *nec argentô*, *ſed pretioſo ſanguine* ipſius, 1 *Pet.* 1: 18, 19. *Eſa.* 52: 3. Et quidem *à peccatis*, *Rom.* 6: 22. *& ab omni poteſtate Diaboli*, 2 *Tim.* 2: 26. *Heb.* 2: 14. *Tit.* 2: 14. *Col.* 1: 13. Quæ omnia qualis ſit iſta redemptio, ſatis manifeſtè docent. Obj. *Numquid ergò pretium redemptionis Diabolo, captivos retinenti, ſolvendum fuit?* R. Sic cavillantur hoſtes crucis Chriſti, ut pretium φερονύμως tale intelligendum eſſe negent. Verùm ineptè. Nec enim Commentarienſi & miniſtro, ſed judici pretium pro captivis erat offerendum, ipſo Servatore hanc diſtinctionem docente, *Matth.* 5: 25. *Eô pretiô depensô*, inquit Auguſt. *Diabolus non dimittatus eſt, ſed ligatus: ut nos ab ejus nexibus ſolveremur. de Trin. lib.* 13. *c.* 15. Plura vide ad Quæſt. I. & XXIX.

Qualis ſit noſtri per Chriſtum redemptio.

Quæ-

Quæstio XXXV.

Quid credis, cùm dicis: Conceptus est per Spiritum Sanctum, natus ex Maria Virgine.

QUòd ipse Filius Dei, qui est & permanet verus & æternus Deus, naturam verè humanam ex carne & sanguine virginis Mariæ, operatione Spiritûs Sancti assumsit, ut sit verum semen Davidis, fratribus suis per omnia similis, exceptô peccatô.

ANALYSIS.

Catechum. interrogatus quid sentiat & credat quando in tertio Symboli art. profitetur, *qui conceptus est* &c. Respondere jubetur per descriptionem ἐνσαρκώσεως, quæ Christi conceptionem & nativitatem complectitur. Descriptio exhibet

I. Subjectum, sive personam, de cujus incarnatione agitur, quæ nominatur & tribus attributis describitur; *Filius Dei*, qui 1. *verus Deus.* 2. *æternus.* 3. *Talis permanet.*

II. Materiam ex qua; *ex carne & sanguine Virg. Mariæ.* Ubi distingue, quo semine & qua matre Christus conceptus & natus sit.

III. Causam efficientem; *operatione Spiritûs Sancti.*

IV. Formam incarnationis; *naturam verè humanam---- assumsit.*

V. Finem

V. Finem duplicem. 1. *ut sit verum semen Dav.* 2. *Fratrib. suis per omnia similis &c.*

EXEGESIS.

Ordo tractationis.

QUid de ordine tractationis hîc loci tenendum? R. Hucusque de secundo Symboli Apost. articulo, in quô de nominibus &c. Christi: sequitur tertius, qui est de primo & secundo gradu statûs exinanitionis ejus, nim. de *Conceptione* & *Nativitate*. Obj. *Atqui memini te dicere, Christum, etiam cùm factus esset homo, statim frui potuisse gloriâ cœlesti juxta Heb.* 12: 2. *Et verò etiamnum homo est in cœlo. Ergò conceptio & nativitas non sunt gradus exinanitionis.* R. Filius Dei non eô simpliciter quòd homo factus, sed quòd sub lege obedientiam tanquam vitæ promerendæ conditionem præscribente natus est, atque adeò servi formam assumpsit, exinanitus dici debet, *Gal.* 4: 4. *Phil.* 2: 7.

An incarnatio rectè ad exinanitionis statum referatur.

Conceptio & Nativitas rectè distinguuntur.

II. Q. *Suntne illa duo, Conceptio & Nativitas, eâ quâ facis, ratione distinguenda?* R. Sic distinguunt & Symbolum Apost. & praxis Ecclesiæ, festô conceptionis mense Martio, & festô Nativitatis Decembri fixis. Nec abs re distinguuntur: cùm ipse Angelus, qui B. Virgini tantæ rei nuntius venerat, eadem disertim distinxerit, *Luc.* 1: 31. Unde & Theologi utramque vulgò seorsim exponere solent. Q. *Quare igitur Catech. non distinguit?* R. Factum haud dubiè brevitatis studiô, ut Catech. utramque complecteretur compendiosa descriptione *Incarnationis*, cujus partes sunt *Conceptio* & *Nativitas*, Filio Dei per utramque homine factô.

Incarnationis subjectum, vel quis sit incarnatus.

III. Q. *Quis incarnatus est?* R. Filius Dei, secunda SS. Trinitatis persona. *Sermo*, qui Dei *unigenitus filius*, *Joh.* 1: 14. *Cùm venisset plenitudo temporis, emisit Deus Filium suum, nascentem ex muliere*: ut adeò nascendo missus fuerit, *Gal.* 4: 4. quemadmodum & nascendo *factus est sub legem.* Sic sunt Theologi, qui illud *Luc.* 1: 35. *Spiritus S. superveniet tibi*, cum Justino Martyre, Tertull. & Ambrosio, de Secunda Persona SS. Trin. intelligendum existimant. Obj. *Atqui insolens*,

lens, secundam Deitatis personam Spiritum Sanct. dicere. R. Vox πνεῦμα hoc significatu & alibi venit, ut *Marc.* 2: 8. *Rom.* 1: 4. 1 *Cor.* 15: 45. 1 *Tim.* 3: 16. *Heb.* 9: 14. 1 *Pet.* 3: 18. Sunt etiam rationes, quibus ista sententia se mihi probet. Q. *Quænam?* R. 1. Isthæc interpretatio fœcundiorem facit sensum nuntii Angelici. Etenim *Spiritus S. superveniet in te*, significabit; *Filius Dei te faciet habitaculum suum, ut in & ex te habeas carnem suam.* Quod sequitur, *Virtus altissimi inumbrabit te*, de Spiritu S. tertia Deitatis persona exaudiendum est. 2. Sic demùm expeditissima erit ratio, quamobrem *Sanctum*, quod ex B. Virg. erat nasciturum, Filius Dei fuerit appellandum. Adde 3. quòd hunc sensum sequi videtur Catech. dum *Filium Dei* naturam humanam ex carne & sanguine Virginis, per Spiritûs S. operationem assumsisse dicit. Q. *Quando Filium Dei incarnatum dicis, fuitne is tantùm subjectum recipiens, non item causa agens?* R. Ipsum certè suscepti operis incarnationis causam atque authorem fuisse, docet Catech. dicens, *Filium Dei naturam humanam assumsisse.* Scil. se ipse carne nostra vestivit, & humanam naturam, veluti templum atque tabernaculum, in quo inter nos habitaret, ex carne & sanguine B. Virginis sibi fabricavit, ad idem tamen opus, quippe individuum & commune cæteris personis divinis, quarum trium una voluntas est, concurrentibus, *Heb.* 10: 5. *Luc.* 1: 35. Obj. *Cùm Patris, Filii & Spiritûs S. una sit & indivisa essentia, nonne sequetur, totam SS. Trinitatem esse incarnatam?* R. Nequaquam. Quia non natura divina, quæ trium una & communis est, sed persona Filii, qui alius est à Patre & Spiritu S. *Joh.* 5: 32. & 14: 16. incarnata est.

Filius Dei ita subjectum recipiens est incarnationis, ut idem ejusdem quoque sit author.

Obj.

Resp.

IV. Q. *Filius ille Dei homo factus idemne est & permanet atque fuit antè?* R. Sicut est *verus* Deus naturâ, non officiô, atque adeò non λεγόμενος Θεὸς, 1 *Cor.* 8: 5, 6. qualem confinxit hæreticorum error: *æternus* item, non novus, qui *è propinquo venerit*, vel ante mundum quidem, sed ἐξ ἐκ ὄντων productus, vel longo pòst tempore demùm natus fuerit, qualem credi voluit Arianorum & Photinianorum impietas; quibus

Filius Dei homo factus idem est, atque fuerat.

quibus erroribus Catechum. suam confessionem opponere docetur: sic verus Deus permanet in æternum, vera ejus Deitate in humanam naturam nec conversâ, nec cum eadem confusâ: quod aliàs Eutychianorum fuit delirium. *Tu permanes, tu idem es, &c. Heb.* 1: 11, 12. Verissimum est illud:

Sum quod eram, nec eram quod sum, nunc dicor utrumque. Uti liquet, *Rom.* 1: 4. ubi *extitisse* dicitur ex semine Davidis κατὰ σάρκα, & *definitè notatus Filius Dei in potentia* κατὰ πνεῦμα ἁγιωσύνης. adde 1 *Pet.* 3: 18. Ubi itidem in Christo *Spiritus* & *caro* distinguuntur.

Naturam humanam, non hominem, sive personam humanam, assumsit.

V. Q. *Quandoquidem Filius Dei per incarnationem factus sit homo, ergòne hominem assumsit?* R. Quod Christus assumsit, Scriptura *carnem* vocat, Catech. *naturam verè humanam:* non igitur hominem, sed humanitatem. Q. *Quare dicit naturam humanam?* R. Ne hominem, sive personam humanam assumptam putes: secùs in Christo duæ forent personæ, duo filii, duo redemptores, duo Mediatores, contra *Esai.* 7: 14. 1 *Tim.* 2: 5. Q. *Quid interest inter humanitatem & hominem?* R. Humanitas natura est, homo autem habens naturam. Filius Dei non assumsit *habentem* naturam humanam; neque natura, quam assumsit, extra unionem cum λόγῳ unquam extitit, unione personali jamjam conceptionis tempore facta: quod vel inde patet, quia B. Virgo concepisse dicitur *Filium Altissimi*, *Luc.* 1: 31, 32, 33. Obj. *Atqui humana Christi natura inter homines visa est versari, ambulare, &c. quid igitur prohibet naturam illam dicere personam?* R. Assumptio & unio humanæ naturæ cum λόγῳ, quæ facit, ne sit dicique possit persona, nec visibilis, nec palpabilis, imò ne quidem intelligibilis est, sed, *ut magnum sine dubio pietatis mysterium*, sola revelatione & fide constat. Quapropter eam apprehendere volenti non visu, non tactu, nec intellectu solo, sed fide utendum est, quâ qui caruere olim, solô sensûs judiciô usi, Christum duntaxat ut hominem spectârunt.

Naturam verè humanam assumsit.

VI. Q. *Quid opus moneri, assumsisse naturam* verè *humanam?* R. Ne naturam humanam credatur assumsisse, quæ talis tantùm videretur κατὰ δόκησιν;

ut

ut quondam Cerdoniani, Marcionitæ &c. delirabant, δοκηται inde dicti. Mirum certè videri possit, errorem usque adeò crassum in Ecclesia subnasci potuisse, qui tempore Christi etiam acerrimis & infensissimis ejus hostibus dubio procul longè absurdissimus fuisset habitus: neque enim somnium vel umbram hominis tot conjurati tantis odiis persequi ad mortem usque videri voluissent. Attamen mirari desinet, qui vel obiter meminerit, Diabolum adversus Deum ejusque regnum nihil non audere. Cæterùm errori refellendo innumera propè argumenta suppeditat historia Evangelica, Christi conceptionem, nativitatem, vitam, vigilias, somnum, esuriem, sitim, dolores, gaudia, mortem, resurrectionem describens. Et Christus post resurrectionem carnis suæ veritatem discipulis probaturus, corpus suum redivivum omnibus quasi sensibus & intellectu explorandum obtulit, *Luc.* 24: 39. Quare Apostolus eum *consimiliter nobis carnis & sanguinis participem factum*, *Heb.* 2: 14. *Et nobis per omnia similem, excepto peccato*, prædicat, *Heb.* 2: 17. & 4: 15. Ita ut etiam infirmitates nostras, *communes* puta & *naturales*, non *personales*; *inculpabiles* item, non *culpabiles* assumserit. Quò pertinent exempla cujusdam ignorantiæ, *Marc.* 11: 13. & 13: 32. *Luc.* 2: 52. Quæ sanè non imminuendæ Christi dignitati, sed confirmandæ nostræ fidei, ab Evangelistis memorantur.

Docetarum error infensissimis Christi hostibus longè absurdissimus fuisset visus.

Humanæ Christi naturæ veritas probatur.

VII. Q. *Unde naturam assumsit humanam?* R. Heic Catech. distinctè notandum offert primùm quo semine, deinde qua matre Christus homo ortus fuerit. Q. *Quo igitur semine?* R. Catech. id vocat *carnem & sanguinem*, ex *Heb.* 2: 14. *Quemadmodum igitur pueri communem habent carnem & sanguinem*, &c. Ubi Apostolo constitutum ostendere, Christum carnem & sanguinem nobis cognatum assumsisse, ut fieret נאל *cognatus assertor & vindex* puerorum, quos pater ipsi dederat redimendos. Hinc ὁ ἁγιάζων & ἁγιαζόμενοι ἐξ ἑνὸς πάντες, v. 11. h. e. Qui sanctificat & qui sanctificantur fratres sunt, Christo, fratre primogenito, totam familiam; vel Christo, qui est primitiæ, totam massam sanctificante, alluso enim fit ad legem de primo-

Unde Filius Dei naturam humanam assumserit.

Ubi consid. 1. Quo semine.

primogenitis & primitiis Deo dedicandis, ut cætera, unde præcipiebantur, sanctificarent. Hinc Christus est *semen mulieris*, *Gen.* 3: 15. *fructus ventris* Mariæ, *Luc.* 1: 42. *Extitit ex semine Davidis secundùm carnem*, *Rom.* 1: 3. Non tantùm τεχθεὶς *natus* ex Maria; *Matt.* 2: 2. sed etiam γεννηθεὶς *genitus* ex substantia ejus, *Matth.* 1: 20. Q. *Cui bono, hæc tàm sollicitè inculcasse?* R. Hæc adversus Anabaptistas & Socin. naturæ Christi humanæ ὁμοουσίαν & communem cum nostra originem negantes, retinenda sunt: *illos* quidem, dum carnem cœlô derivatam Christo tribuunt, etsi ut aliàs, sic & heic non parùm inter se discordes: *hos* deinde, quia Christum non Adamô ortum, sed è materia immediatè à Deo creata & Virginis utero immissa editum affirmant.

2. Qua matre, Christus ortus sit homo.

VIII. Q. *Quâ matre Christus ortus homo?* R. Matrem Catech. nomine & statu describit, eam appellans *Mariam Virginem*. E Virgine porrò nasciturum fuisse Messiam Prophetarum cecinerant oracula, *Esai.* 7: 14. Conf. *Matth.* 1: 23. *Jer.* 31: 22. Ubi partum virgineum prædici, cùm ex scopo prophetiæ, tùm ex emphasi phrasium liquet attendenti. Q. *Quæ fuit B. Virginis conditio?* R. Desponsata erat Josepho, &c. *Matth.* 1: 18. adeòque sub honesto matrimonii velô divinum hunc partum gestavit & edidit: ut matris pudori & filii olim honori consuleretur. Singularis proinde & admiranda planè providentia Dei hac in re eluxit. Obj. *Atqui Josephus vir Mariæ, & hæc ejus dicitur uxor*, *Matth.* 1: 19, 20. R. Neque tamen sequitur, conjugium inter eos fuisse consummatum, cùm ad appellationis illius rationem satis sit interfuisse tùm fidem conjugalem mutuò datam, tùm domicilii conjunctionem & curam rei familiaris communem.

Beata Virgo quare, Deo sic providente, fuerit desponsata Josepho.

Christum è Virgine nasci quam ob rem necesse fuerit.

IX. Q. *Necesse ne fuit, Christum concipi & nasci è Virgine?* R. Imò. Q. *Quam ob causam?* R. Ut locus foret sanctificationi carnis illius assumendæ, & sic Christus ab omni reatu & labe peccati immunis conciperetur & nasceretur. Quicquid post primum Adami peccatum communi ordine nascendi ex patre & matre proseminatur vi verbi illius, *fœtificate & augescite*, *Gen.* 1: 28. id sub reatu & maledictione nascitur: verbo

verbo illo significante, decretum esse Deo, dare Adamo & Evæ prolem similem vel in rectitudine, vel in reatu. Ibi igitur quod à parentibus in usum propagandæ prolis deciditur, non solùm materia sit & occasio formandi hominis, sed ordinarium quoque est instrumentum traducendi reatûs & transplantandi peccati. Quod verò B. Virgo, etsi peccatrix esset & ipsa, suppeditavit semen, unde caro Christi efformabatur, ab omni labe separari & repurgari potuit, quod proinde materia quidem formandi corporis, non item instrumentum propagandi reatûs esset: ut adeò Christus concipi nascique potuerit *impollutus*, &c. *Heb.* 7: 26. Unde consequitur 1. Christum Mariæ filium rectè dici, neque tamen duos in Christo fore filios, quanquam duarum naturarum respectu duæ sint filiationes. 2. Mariam non solùm Χριστοτόκον, sed & Θεοτόκον appellari posse, nequicquam id negante Nestorio.

B. V. rectè Θεοτόκος *Deipara appellatur, nequetamen ideo est adoranda.*

X. Q. *Si B. Virgo* Θεοτόκος, *Deipara est, nonne meretur adorari, sicut reginæ matri regius habetur honor, quia regem peperit?* R. Id secuturum, si mater Christi Dea esset, & Dea peperisset Deum: sicut mater regina homo pariens regem hominem, quà talis regio honore afficitur. Atqui non mater Dea, sed mater homo peperit filium, qui est filius Dei. Id adeo opus non naturæ, sed gratiæ fuit: quod etiam Angelus in gratiæ loco reposuit, *Luc.* 1: 28, 30. Taceo nunc B. Virginis adorandæ vel adoratæ nec mandatum, nec exemplum in Apostolis & Ecclesiæ primitivæ Christianis usquam apparere; quanquam alterutrò saltem publicam Ecclesiæ praxin, qualis hac in parte viget apud Romanenses, firmatam oporteret.

Causa conceptionis 1. *quæsit.* 2. *qualis sit.*

XI. Q. *Unde factum ut Virgo conciperet?* R. Operatione Spiritûs S. ut ait Catech. Hinc Christus è Spiritu S. conceptus dicitur in Symbolo Apost. juxta *Matth.* 1: 18, 20. *Luc.* 1: 35. *Virtus Altissimi inumbrabit te.* Q. *Quando Christus è Spiritu S. conceptus dicitur, id quomodo intelligendum?* R. Eò non *materialis*, sed *efficiens* causa denotatur, sicut cùm *omnia* dicuntur esse *ex Deo*, *Rom.* 11: 36. Id ergò interpretè Catechesi significat, Christum virtute & operatione Spiritûs S. ex carne

& sanguine Mariæ Virginis conceptum esse. Hîc verò quæ fuerint partes Spiritûs S. videndum apud Theologos.

Forma incarnationis. Sive, quomodo Filius Dei factus sit homo.

XII. Q. *Filius Dei quomodo factus est homo?* R. Assumptione humanæ naturæ, & divinæ personæ in humana carne manifestatione & inhabitatione, sine naturarum conversione & confusione. Sic Catech. *naturam*, inquit, *verè humanam assumsit.* Ea est λαβὴ τῆς μορφῆς δούλου, *Phil.* 2: 7. μέτοχοι σαρκὸς καὶ αἵματος, *Heb.* 2: 14. *Sermo caro factus est & habitavit in nobis, &c. Joh.* 1: 14. Ubi allusio ad שכינה habitationem Dei super propitiatorio in tabernaculo Mosis, & templô Salomonis. Veritatem eô typô adumbratam promisit Prophetia, *Zach.* 2: 14, 15. Q. *Quid est assumere carnem?* Carnem sibi facere organum suum & tabernaculum, eamque ita sibi jungere, ut λόγος in ea & per eam cognoscatur, agat, patiatur, honoretur, injuriis afficiatur, &c. Humana igitur natura non est persona, sed personæ organum ἐνυπόστατον. Cæterùm incarnationis ratio perveſtigari nequit; quia *citra controversiam magnum est pietatis mysterium.*

Unio hypostatica verius quomodo non facta, quàm quomodo facta sit, explicari potest.

XIII. Q. *Nonne saltem sic explicari potest, ut Catechumenus cautè præmuniatur adversus exitiales hæreses, quæ Ecclesiæ fidem circa hoc mysterium tentârunt?* R. Eum in finem rem, quandò affirmativè explicari nequit, negativè explicuisse satis est: quemadmodum etiam factum patribus Concilii Chalcedonensis A. C. 451. Ubi coërcendis oppositis Nestorii & Eutychetis erroribus, vocabulis quibusdam, ceu repagulis, Christianam fidem sepserunt: dum unionem illam factam agnoverunt 1. Ἀδιαιρέτως καὶ ἀχωρίστως, *sine naturarum divisione & separatione.* 2. Ἀτρέπτως καὶ ἀσυγχύτως, *sine omni conversione* naturæ in naturam, & *sine omni confusione* naturarum vel proprietatum.

Mysterium hoc nequicquam ridetur à Judæis, &c.

XIV. Q. *Quomodo occurrendum existimas Judæorum & Judaizantium hæreticorum impietati, qui Incarnationem Verbi, tanquam Commentum aliquod absurdum & impossibile rident?* R. Malè sana ratio, vel verius sua ipsis præconcepta opinio offendiculo est. Quemadmodum non impossibile fuit Deo, facere sibi vocem,

ut

ut audiretur, quæ Dei vox esset; facere nubem; qua veluti paludamentô se tegeret; tabernaculum & templum, quod habitare diceretur: sic non impossibile est Deo, facere sibi linguam, faciem, oculos, manus, membraque cætera, quibus sese nobis mortalibus visendum & contrectandum præbeat, familiariter inter homines agat, loquatur, operetur, patiatur, imo & victima fiat. Verùm quia id inusitatum & singularis συγκαταβάσεως est, absque qua tamen Mundus esse non posset, hinc tanquam omnium miraculorum maximum Scriptura annotat; *Deum videri oculô in oculum*, *Esa.* 52: 8. *facie ad faciem contendere cum Israële*, *Exech.* 20: 35. *Annuntiatricem Zionis dicere civitatibus Judæ*, velut intentô digitô; *Ecce Deus vester*, urbes & vicos pedibus obiens! *Esa.* 40: 9, 10. *Verbum vitæ manibus contrectari*, 1 *Joh.* 1: 1. *Rupem salutis indignè tractari*, *Deut.* 32: 15. *Fustibus percuti*, *Esa.* 50: 6.

XV. Q. *Quo fine tandem Filius Dei fieri voluit homo?* R. Duplice: Primò, ut esset verum semen Davidis, inquit Catech. eôque facta Davidi promissio impleretur, 2 *Sam.* 7: 12, *&c. Act.* 2: 30. ex *Psal.* 132: 11. adde *Heb.* 7: 14. conf. *Gen.* 49: 10. *Esa.* 11: 1. Unde Christus Jesus etiam ex Davide γενεαλογεῖται, *Matth.* 1. & *Luc.* 3. Nuper quidem in Expositione Capitis XI. Esaiæ audivimus Abarbanelem in Commentariô suô hunc in modum cavillantem; *Jesus non fuit ex trunco succiso Jesse, si non fuit filius Josephi, Mariæ mariti.* Quid ita verò? רפי שה שחיקפות חסשפחה *quia series genealogiæ, quæ apud ipsos* (Christianos) *est, non attingit Mariam, sed tantùm Josephum, maritum ejus, quemadmodum declarat Matthæus Apost. in Evangelio suo.* R. Verum quidem esse, Matthæo describi genealogiam Josephi, neque tamen inde sequi, eam ad Mariam, ejusque filium non spectare, quia Maria fuit Virgo ἐπίκληρος, fratres non habens, patri ex asse, vel si sorores haberet, ex parte hæres. De talibus porrò virginibus occasione filiarum Zelophchadi lege divina cautum erat, ut proximis suæ in tribu & familia agnatis nuberent, ne bona avita alienarentur, & mancipii jure ad extraneos devenirent. Id quod non

Finis incarnationis Filii Dei quis.

Refutatur cavillatio Abarbanelis Judæi in Genealogiam Jesu Christi, &c.

Mariam fuisse Virginem ἐπίκληρον.

tantùm tribuum, sed & familiarum conservandarum causâ constitutum erat, *Num.* 36: 6, 7. &c. Hac lege Maria propinquo nupta ex eadem cum Josepho familia fuit. Excipit Judæus; *Quis dixit illis* (Christianis) *Mariam fuisse hæredem* לשתפול בה הדין הרוא *ut hoc jure teneretur?* R. Ex *Luc.* 2: 5. liquet, Josephum & Mariam unius fuisse familiæ, quia ad eundem locum profecti dicuntur, ut censum subirent, sive nomen suum profiterentur. Causa porrò, quare, & Maria censeri debuerit, nulla probabilis reddi potest, quàm quòd esset hæres: tùm verò nisi Maria ex genere Davidis fuisset, in familiæ suæ urbe nomen suum profiteri debuerat. Cæterùm ne *difficultatibus super Genealogia Christi apud Evangelistas incidentibus* implicemur, *in genere tenendum* I. Quòd Apostoli ut minimè controversum asserant, πρόδηλον *manifestum esse, Dominum ex Juda ortum*, *Heb.* 7: 13, 14. II. Quòd cùm Matthæus *Cap.* 1: 1. Jesum Christum appellet *filium Davidis*, & tamen illicò familiam Josephi recenseat, neque visus sit nugari, aut nihil agere, inde pateat, Matthæum cognationem Josephi & Mariæ ut notam supponere: scripsit enim ista eo tempore, quò sciri poterant, eadem non ausurus publicare, nisi in vulgus nota fuissent. III. Quòd nulla unquam de genere J. Christi mota fuerit controversia. Imò ipsum Talmud Judæorum *Jesum regno propinquum* dicat, *Gemarâ ad Sanhedr. Cap.* 6. Atque sic prior incarnationis Filii Dei finis expositus est. Q. *Quis est alter?* R. Ut fratribus suis per omnia sit similis exceptô peccatô, juxta *Heb.* 2: 17. & 4: 15. de quo aliàs.

Probatur.

In genere de Genealogia Christi J. apud Evangelistas, quæ tenenda sint.

Quæstio XXXVI.

Quem fructum percipis ex sancta conceptione & nativitate Christi?

Quòd noster sit mediator, & suâ innocentiâ ac perfecta sanctitate mea peccata

peccata, in quibus conceptus sum, tegat; ne in conspectu Dei veniant.

ANALYSIS.

Quærenti de fructu sanctæ Conceptionis & Nativitatis Christi, duplicem exhibet

1. Confirmationem fidei nostræ; *quòd noster sit Mediator.*
2. Sanctificationem immundæ conceptionis & nativitatis nostræ; *Et suâ innocentiâ ac perfectâ sanctitate, &c.* Ubi distingue 1. Malum, cui inventum remedium. 2. Remedium. 3. Ejusdem applicationem, & 4. Successum.

EXEGESIS.

Doctrina de Incarnatione Filii Dei est doctrina secundum pietatem.

Fructus illius quis & quotuplex.

1. *Confirmatio fidei.*
2. *Sanctificatio immundæ conceptionis & nativitatis nostræ.*

S*Atisne est hactenus audita de Incarnatione Filii Dei nosse & memoriâ tenuisse?* R. Neutiquam: Cùm enim doctrinam contineant, quæ *secundùm pietatem est*, altiùs animô penetrandum, ut quem scienti & credenti fructum promittunt, percipiamus.

II. Q. *Quisi itur fructus inde exspectandus?* R. Geminus: nimirum Confirmatio fidei, & Sanctificatio immundæ conceptionis & nativitatis nostræ. Q. *Ea doctrina quomodo pertinet ad confirmationem fidei?* R. Sic certum & persuasum habeo, *quòd* Jesus Christus *noster sit Mediator*, ut inquit Catech. quem necesse erat esse *Immanuelem*, conceptum & natum ex Virgine, *Esa.* 7: 14. conf. *Matth.* 1: 23. *Et fratribus per omnia, excepto peccatô, assimilari, ut misericors fieret*, &c. *Heb.* 2: 17.

III. Q. *Quid de altero fructu, nempe Sanctificatione immundæ conceptionis &c. nostræ dicendum habes?* R. Hîc distinctè notanda, quæ in Analysi Quæstionis & Resp audita: nempe 1. Malum. 2. Remedium. 3. Remedii applicatio. 4. Ejusdem successus. Q. *Quodnam igitur est malum nostrum, cui paratum sit hôc locô remedium?*

dium? R. Nos filii Adami concipimur in peccatis: Unde Catech. *mea*, inquit, *peccata, in quibus conceptus sum, &c. Psal.* 51: 7. *Eph.* 2: 3. Q. *Quodnam illi malo remedium inventum?* R. Innocentia ac perfecta sanctitas Christi, in qua conceptus est & natus; tanquam sponsor noster, sub lege, ut ei nostram vicem satisfaceret. Unde ipse, *Ego*, inquit, *pro ipsis sanctifico me; &c Joh.* 17: 19. adde *Heb.* 7: 26. Q. *Quomodo remedium hoc applicatur?* R. Christus innocentiâ suâ ac perfecta sanctitate mea peccata *tegit*; i. e. remittit & tollit, juxta illud *Psal.* 32: 1. metaphorâ deductâ vel à litura, quâ nomina in libris rationum inducuntur; vel à sordibus, quæ, ne aspicientem offendant, occultantur. Q. *Quis remedii successus?* R. De eo Catech. *Ne* scil. peccata mea, *in conspectum Dei veniant:* ut quæ deleta vel dispuncta sunt, *Mich.* 7: 19. *Esa.* 42: 22. Cujus oppositum est *Psal.* 9: 8. Idem quod Catech. sensit post Augustinum *Lib. de fide ad Petrum Diac.* Bernhardus; *In ipsa radice & origine mea infectus & inquinatus sum: immunda est conceptio mea, sed est, à quo tollatur ista confusio. Ipse eam tollit; in quem solum ipsa non cadit. Serm.* 4: *in Vigil. nativ. Dom.* Idem alibi Christi Incarnationem non inscitè appellat saccum pretii nostri, in *passione concidendum; ut effundatur, quod in eo latet pretium nostrum. Serm.* 1 *in Epiphan. Dom.*

Conciliatio præsentis Quæst. cum Quæst. XL.

IV. Obj. *Atqui Assertioni Catech. repugnat Quæstio XL. ubi nullo aliô pactô pro nostris peccatis satisfieri potuisse docemur, quàm ipsa morte Filii Dei.* R. Qui difficultatem aliter expediri non posse existimant quàm dicendo; *ad Sanctitatem nativitatis Christi pertinuisse, ut posset esse victima, per quam etiam reatus originalis labis nostræ expiatur, Heb.* 7: 26. Illi phrasi Catecheseos non satisfaciunt. Alia igitur conciliandi ratio ineunda videtur. Pretium satisfactionis pro nobis præstitæ est universa Christi obedientia morte demùm consummata, ut alibi probamus. Atqui ad obedientiam eandem pertinet ipsa quoque innocentia ac perfecta sanctitas, in qua conceptus & natus est Christus, totumque vitæ suæ cursum peregit. Cùm enim *seipsum pro nobis sanctificare*, atque ideò nascendo *sub legem fieri*, vel sub

sub lege nasci voluerit, illud ipsum, *fieri ex muliere, fieri sub legem*, Gal. 4: 4. obedientiæ fuit. Hinc *veniens in mundum*, i. e. nascens, *dicit, sacrificium & oblationem non voluisti; corpus autem aptâsti mihi.----- Tunc dixi, ecce venio, ad faciendum, ô Deus, voluntatem tuam*, Heb. 10: 5, 7. Quô ipsô consideratô etiam non esset, quod Remonstrantes ad ulteriorem Responsionis Catech. probationem desiderarent.

Quæstio XXXVII.

Quid credis, cùm dicis passus est?

EUm toto quidem vitæ suæ tempore, quô in terris egit, præcipuè verò in ejus extremo, iram Dei adversus peccatum universi generis humani corpore & animâ sustinuisse, ut sua passione, tanquam unico sacrificio propitiatorio, corpus & animam nostram ab æterna damnatione liberaret, & nobis gratiam Dei, justitiam & vitam æternam acquireret.

ANALYSIS.

Catechum. interrogatus quid credat, quando in Symb. Apost. confitetur Christum *passum esse*, respondet generatim describendo passiones Christi. Ubi notanda

I. Passionum Christi distributio ratione temporis; *Eum toto quidem vitæ tempore—— præcipuè verò in ejus extremo.*

II. Earundem genus, vel natura, quâ pœnales fuisse constat ex passionum objecto à

causa impulsiva declarato, quod est *ira Dei adversus peccatum &c.*

III. Subjectum recipiens passion. *Corpus & anima* Christi.

IV. Finis duplex. Uterque 1. proponitura. *Ut corpus & animam nostram ab æterna damnatione liberaret.* b. *Ut nobis gratiam Dei — acquireret.* 2. Ostenditur, quâ virtute fines isti ex passione Christi obtineantur, nim. quia passio Christi est *unicum sacrificium propitiatorium.*

EXEGESIS.

Nexus & ordo tractationis.

QUid de ordine tractationis tenendum? R. Pergit Catech. ad quartum Symb. Apost. articulum, in quo de passione, crucifixione, morte, sepultura & descensu Christi ad inferos, tanquam totidem gradibus ταπεινώσεως ejus. Sic Christus exinanitus assumptâ servi formâ per incarnationem, etiam se ipse humiliavit, obediens factus usque ad mortem in cruce. *Phil.* 2: 7, 8.

Passiones Christi considerantur cùm in genere, tùm in specie.

II. Q. *Passiones Christi quotuplici modo considerat Catech.* R. Duplici: generatim hac; speciatim sequentibus aliquot Quæstionibus. Q. *In generaliore earum consideratione quænam spectanda proponit?* R. 1. Passionum Christi distinctionem. 2. Quales fuerint passiones illæ genere suo. 3. Quales effectu.

Passionum Christi distinctio 1. Ratione temporis.

III. Q. *Primum igitur quod attinet, quomodo distinguuntur passiones Christi?* R. Distinguuntur cùm ratione temporis, tùm ratione subjecti recipientis. Q. *Quomodo ratione temporis?* R. Aliæ sunt passiones, *quas Christus toto vitæ suæ tempore, quo in terris egit:* aliæ, *quas in extremo vitæ suæ sustinuit.* Priores illæ plurimæ fuere. Universa enim Christi vita, præcipuè publica, laborum, calamitatum & ærumnarum plena fuit, teste historiâ Evangelicâ. Quo referenda paupertas, pericula propè innumera, hostium insidiæ, per-

persecutiones, calumniæ, tentationes Satanæ, &c. Posteriores sunt, quas in extremo vitæ suæ exantlavit, in horto Gethsemane, in aula Pontificis, in palatio Herodis, in Prætorio Pilati, in loco supplicii: quæ à Prophetis ut prædictæ, 1 *Pet.* 1: 11. vide *Psal.* 8. 16. 22. 40. 68. 69. 88. 109. 110. 118. *Esa.* 50. 52. & 53. Capp. *&c.* Sic ab Evangelistis perspicuè & diligenter descriptæ sunt, eô dubio procul fine, ut in his passionibus Christum quasi ob oculos depictum cernamus, quotquot Evangelii verbum audimus, *Gal.* 3: 1. Id quod fieri necesse erat, cùm in illis passionibus spectanda esset Sacerdotis nostri consummatio, Dei sanctitas, judicii severitas, legis & prophetiæ veritas, ac denique charitatis typus. Sic passiones istæ sunt *cælaturæ lapidis omnibus ad intuendum propositi*, quibus extantibus factum, *ut peccatum totius terræ aboleretur*, *Zach.* 3: 9.

Passiones J. C. ultimam antegressæ an fuerint satisfactoriæ.

IV. Q. *Passiones illæ Christi ultimam antegressæ quamnam habuerunt rationem?* R. Catech. eas ad satisfactionem & exsolutionem pœnæ nostræ imputandas, non dubitat. Unde, quanquam Symboli verba, παθόντα ἐπὶ Ποντίου Πιλάτου, de novissimis Christi passionibus intelligenda videantur, nihilominùs quærenti, *quid credis, cùm dicis, passus est?* responderi vult; *Eum toto quidem vitæ suæ tempore &c.* Interim, ut adhibita imparium collatio arguit, præcipuum momentum in extremis Christi passionibus reponendum existimat. Q. *Unde verò liquet, passiones istas, ultimam antegressas, partem facere solutionis nostrò locò præstitæ?* R. Ex 2 *Cor.* 8: 9. Ubi Christus *propter nos pauper extitisse* dicitur, *quum dives esset, ut nos ipsius paupertate ditesceremus.* Idem quominus de aliis adversitatibus, quibus in diebus carnis suæ fuit conflictatus, affirmari possit, nulli dubitamus. Quæ enim ratio satis idonea afferetur, cur ipse dives cùm esset, nostrî causâ pauper fieri, neque tamen innocentissimus cùm esset, nostrî causâ calumniis, probris, contemptui, insidiis, &c. objici voluerit? Q. *Passiones istæ suntne per se satisfactoriæ?* R. Id probè tenendum, quòd, nisi Christus novissimas passiones & mortem pertulisset, antegressæ illæ ærumnæ, quæ vitam Christi variabant, ne

quidem in partem solutionis imputari potuissent, lege obedientiam omnibus numeris absolutam & morte consummandam postulante. Ex Christi ærumnis id consequimur commodi, ut quæ nobis accidunt adversa, desinant esse maledicta, & vertant in bonum. Exempli causâ, paupertate Christi factum, ut paupertas nobis non sit maledictio, sed remedium peccati &c. Id verò beneficii præstant ærumnæ Christi, quatenus suum singulis momentum est in pœna peccatorum nostrorum persolvenda.

2. Ratione subjecti recipientis.

V. Q. *Quomodo distinguis passiones Christi ratione subjecti recipientis?* Aliæ fuerunt *Externæ*, quas in corpore; aliæ *Internæ*, quas in anima pertulit. Subjectum quidem *denominationis* & *Quod*, uti Scholis dicitur, fuit Persona: passus enim est Christus, Filius Dei, Dominus gloriæ, 1 *Cor.* 2. 8. Sed Subjectum *Inhæsionis* & *Quo*, fuit humana Christi natura; in *carne* enim passus est Christus, 1 *Pet.* 4. 1.

Passiones externæ quæ & quales sint.

VI. Q. *Ut quæ distinctionis sit mens paulò rectiùs percipiam, primùm de passionibus externis quæram, quæ & quales sint?* R. Quarum causa in turbato, vel malè affecto corpore existit; aut certè occasio per sensus exteriores, visum, auditum, &c. præbetur. Eò pertinent prehensio, deductio ad Pontificem, interrogatio de crimine, detestatio tanquam ob blasphemiam, in os exsecratio, depalmatio, flagellatio, militum insultatio, circumductio, coronatio è spinis, irrisio, &c. quibus rebus ad crucifixionem veluti proludebatur; deinde crucifixio ipsa, & quæ eam agminatim comitabantur probra, &c. Q. *Quæ causa, cur Servator adversis inde à cunis usque exercitatus, nunc etiam gradibus quibusdam ad extremam suam ignominiam descendere voluerit?* R. Ut admirabilem suam patientiam hominibus approbaret. In eo enim patientiæ suæ specimen longè luculentius dedit, quàm si præcipiti hostium impetu ad mortem raptus, passione illa momentò temporis defunctus fuisset. Etenim istiusmodi calix, si hauriatur confertim atque uno spiritu, aut si invergatur in os, quasi quis sese ingurgitare vellet, minùs sentitur, quàm si paulatim sorbilletur, & repetatur ex inter-

Quare Christus gradatim ad extremam ταπείνωσιν descenderit.

intervallis, donec tandem guttur amaritie sua proluat: nec minus malis, quàm bonis, addit fruendi vel persentiscendi diuturnitas. Sic Christus reapse *mortem gustavit. Heb.* 2: 9. Q. *Cur corporis passiones sive dolores dicuntur? nonne quia corpus dolet?* R. Quia passionum istarum causa sive occasio existit in corpore, uti dictum. Cùm enim dolor perceptio sit ingrata, dolere mentis proprium est. Rectè Augustinus, *Si diligentius*, inquit, *consideremus, dolor, qui dicitur corporis, magis ad animam pertinet. Animæ enim est dolere, non corporis, etiam quando ei dolendi causa existit a corpore, cùm in loco dolet; ubi læditur corpus. De Civit. Dei lib.* 21. *c.* 3.

Eædem cur corporis passiones, sive dolores, dicantur.

VII. Q. *Internæ sive animæ passiones quænam sunt?* R. Sunt dolores, quos Christus citra læsionem corporis, aut occasionem per corpus oblatam, proximè & immediatè in anima sustinuit. Quales erant gravissimi illi & horrendi cruciatus & angores, profecti ex sensu iræ divinæ & maledictionis legis, &c. de quibus *Psal.* 22. Et apud Evangelistas, *Matth.* 26: 37, 38, 39, 42, 44. *Luc.* 22: 43, 44. In horto certè corpus ab animo, non animum à corpore malè affectum fuisse, arguebat cruentus sudor. Sed de his alibi.

Passiones internæ quæ & quales.

VIII. Q. *Passiones externas & internas ex causis suis hactenus distingui intelligo, possuntne verò eædem etiam separari?* R. Non possunt neque adeò debent cogitatione nostra ita separari, quasi quo tempore externas sustinuit, non etiam simul internas persenserit. Passio externa usque & usque conjuncta fuit cum interna. In omni ignominiarum genere, quibus fuit affectus, in vinculis, plagis, vulneribus, &c. sensit aculeum mortis, maledictionem legis, & iram Dei judicis. Quando stetit judicandus coram tribunali Præsidis Romani, etiam stetisse credendus est coram tribunali Dei, &c. Ut proinde etiam in externis Christi passionibus non solùm quod oculis subjicitur, nobis spectandum, sed altius penetrandum sit ad vim peccati, maledictionem legis & iram Dei, quæ omnibus Christi passionibus sese miscuerant. Ita verò statuere nos necesse est, cùm alioqui passiones Christi non futuræ fuerint satisfactoriæ

Passiones internæ & externæ etsi ex causis distinguantur, tamen non sunt separandæ.

ctoriæ pro peccatis. Q. *Nonne passiones corporis pro peccatis corpore commissis; passiones animæ pro delictis animæ seorsim Christo fuerunt exantlatæ, unde consequitur, non solùm distingui, sed & separari posse?* R. Utriusque generis passiones pro quibusvis peccatis pertulit, peccatô quovis pœnam merente æternam & infernalem. Atque hæc de passionum Christi distinctione: priusquam ad cætera propositæ tractationis membra transeamus, juvabit, paulò distinctiùs expendisse, *quæ* & *quomodo* Christus passus fuerit.

Christus passus est innumera.

IX. Q. *Quænam igitur passus est?* R. Quot & quanta passus sit mala & animâ & corpore omnibusque membris & sensibus, nec mente complecti nec verbis consequi possum; contentus dixisse, Christum & *innumera* & ineffabilia pertulisse. Q. *Quomodo innumera?* R. Fidelium singulorum plurimæ sunt afflictiones, sed universorum sunt innumerabiles: Unde illa Christi mystici querela; *Ingruerunt in me mala, usque adeò ut non sit numerus, &c. Psal.* 40: 13. *Atqui Christus per omnia tentatus est similiter atque nos, absque peccato, Heb.* 4: 15. Q. *Unde illi tentationes obvenerunt?* R. I. Ab hominibus, hostibus & discipulis; Judæis & Ethnicis; Plebeiis & Magnatibus; Secularibus & Ecclesiasticis, quorum alioqui fuerat tentatos re & solatiô juvare. II. A Diabolo: serpens enim semini benedicto calcem erat contriturus, juxta *Gen.* 3: 15. Quò respiciens Christus, *venit*, inquit, *princeps hujus mundi, &c. Joh.* 14: 30. Q. *Quid audio? An nunc demùm venit Diabolus? Nunquid non antè venerat, & Servatorem multis modis tentaverat in deserto?* R. Tentationes, quæ Christo tùm temporis, cùm ista diceret, imminebant, usque adeò erant graves, ut quas in deserto sustinuerat, harum respectu quasi nihili faciat. Unde præsentis temporis verbô utens dicit, *venit*, quasi antè nunquam venisset. q. d. Nunc demùm venit, inferorum portis velut effractis universam tenebrarum potestatem in me effusurus: nunc vincula, nunc flagra, nunc clavos, nunc crucem, nunc alia torsionis & supplicii instrumenta expedit; nunc mihi proditorem quærit; nunc militem in me armat; nunc judices parat; nunc horrore inferorum

Tentatus I. *ab hominibus.*

II. *à Diabolo.*

rorum undique me obsidere aggreditur, &c. *Neque tamen in me habet quicquam*, ut vel animum sanctô dimovere propositô, vel ad querulum murmur & impatientiam pellicere queat. III. Tentatio etiam contigit illi à Deo, sed fine longè diversissimo. Nemo certè mali quicquam ei inferre, nec manus improborum eum prehendere & cruci suffigere potuisset, *nisi manus & consilium Dei id ut fieret*, prius definivisset, *Act.* 4. 28. Porrò è cruce pendens â Deo se desertum conquestus est, *Matth.* 27. 46. III. *à Deo.*

X. Q. *Quomodo ostendis Christum ineffabilia passum?* R. Quia non solùm innumera, sed & acerrima mala sustinuit, quæ verbis efferre nemo valeat. Passiones Christi internæ sunt ineffabiles, quia infernales. Passiones quidem corporis quo graviores sunt, eò loquaciorem reddunt laborantem: sed internæ illæ laborantem adeò opprimunt, ut infantem faciant, vel ut fari parantem verba deficiant. Unde illud, *Curæ leves loquuntur, ingentes stupent.* Q. *Habesne hujus aliquod in Scriptura argumentum?* R. Id Ipsum, quòd spirituales Christi passiones etsi certè silentiô non prætereantur, parcius tamen describantur ab Evangelistis. Neque vocabula, quibus suâ quique linguâ animi ægritudinem significare solent, idonea satis esse possunt ad gravitatem & asperitatem dolorum Christi exprimendam, vocabulorum istorum significatu ad ea accommodatô, quæ homines pati solemus & possumus. Imò etsi non deessent Scripturæ verba, nos illa vel non intelligeremus, vel certè dolorum acerbitatem, quantum satis esset, nulli assequeremur, tàm gravia nunquam passi. Unde Ecclesia Græca Deum sibi propitium precata, ob ignoras Christi passiones. Quemadmodum peccati malitia tanta est, ut eam nulla satis oratio describere possit: ita peccati pœna, quam Christus nostrô locô luit, etiam ineffabilis est. *Christus passus est ineffabilia.*

XI. Q. *Quomodo Christus passus est?* R. Verè, voluntariè & sanctè. Q. *Quæ necessitas moneri, Christum verè passum, quando vix est, qui de eo dubitet?* R. Christum à Judæis vinctum, raptatum, verberibus oneratum, flagris cæsum, illusum, crucifixum fuisse nemo dubitat: at in hisce non fuisse ἀνάισθη- *Christus passus est I. Verè.*

ἦον, sed reverâ doluisse, certò scire & persuasum habere, fidei plurimum interest: absque dolore enim fuisset, pœnam, quam nos debueramus, quæ certè non damni solùm, sed etiam sensûs est, non dependisset. Q. *Christum sic verè passum esse unde probas?* R. Christus dicitur *cruciatus, contritus &c. laboris animæ suæ fructum visurus, Esa.* 53: 5, 11. *Æstibus iræ divinæ obrutus, & consternationibus ejus profligatus, Psal.* 88: 16, 17. Historia Evang. *animam ejus* testatur *fuisse* περίλυπον, *undiquaque* vel *supra modum tristem ad mortem usque*: ejusque refert ἀγωνίαν & ἀδημονίαν, *summam animi angustiam & luctam* cum extremis doloribus, &c.

2. *Voluntariè.*

XII. Q. *Unde doces, Christum sponte & voluntariè passum esse?* R. Missis quæ Historia Evang. benè multa in hanc rem suppeditat, unum illud ex Prophetia docuisse satis esto: Christum fraude & perfidia Judæ Iscariotæ, discipuli sui, proditum memorat historia S. hactenus ergò Christum nulla sua voluntate in hostium manus deveniisse diceres. Atqui non tantùm sceleris futuri præscius erat ex vaticinio, quod Spiritu Christi in Prophetis loquente editum fuerat, *Psal.* 41: 10. sed suî traditionem aliena fraude factam etiam ita interpretatus est, quasi ipse se sacerdotibus obtulerit, ut mercedem & æstimationem suî, si vellent, penderent, *Zach.* 11: 12. quandoquidem, nisi ipso volente & providente, ne quidem occasio patrandi sceleris proditori futura fuerat. Adde, quòd Optimus Servator, quanquam animum proditoris sui perspectum haberet, eum tamen, quominùs destinata effectui daret, avocare noluerit, *Joh.* 13: 27. Quô ipsô testatum fecit, neminem sibi animam eripere, sed sponte sua eam ponere, *Joh.* 10: 18. suamque adeò passionem reapse esse obedientiam, & sacrificium Deo gratum, *Heb.* 10: 5, 7.

3. *Sanctè.*

XIII. Q. *Christum denique sanctè passum esse, quomodo intelligi vis, & unde probas?* R. Quatenus nec dolus ullus in ore gravissima patientis repertus, nec murmura indignantis, nec verba impatientis & à recti tramite deflectentis, aut ullô modô peccantis animi testimonia audita vel visa fuerunt unquam. *Talis* porrò *nos decebat Pontifex, sanctus, innocens, impollutus, &c. Heb.* 7: 26. *Joh.* 17: 19.

XIV. Q.

XIV. Q. *Quales fuere passiones Christi genere suo?* R. Revera fuere τιμωρία & παράδειγμα, sive pœnales, quippe propter peccata nostra exantlatæ. Id quod iisdem argumentis firmari posset, quibus generatim satisfactionis Christi veritas nobis demonstratur ad Quæst. I. Q. *Habesne illius veritatis specialiora quædam argumenta?* R. I. Passiones Christi fuisse pœnales liquet consideranti, Christum innocentem solemni judicio damnatum, judice non tantùm Pilato, sed judice Deo passum esse, Vide *Esa.* 5: 16. *Rom.* 3: 25, 26. II. Idem liquet inde, quia mala, quæ nos manebant, Christo incubuere ut sponsori, *Esa.* 53: 6. Unde sæpius in Scripturis dicitur *tulisse* peccata: quemadmodum victimæ piaculares & sacerdotes V. T. portare dicebantur iniquitates offerentium. Adde loca 1 *Pet.* 3: 18. 2 *Cor.* 5: 15, 21. *Gal.* 3: 13. *Rom.* 5: 8. *Matth.* 20: 28. Nec indignum memoratu, quòd, quanquam Christus legi ceremoniali & forensi se subjecerit, *ut omnem justitiam impleret*, *Matth.* 3: 15. eòque testatum faceret, se peccata lege positiva Israëlitis exprobrata in se luenda suscepisse; nihilominùs victimas legales obtulisse nusquam legatur. Cujus haud dubiè hanc voluit esse causam, ut constaret, quòd tanquàm sponsor non suò, sed peccatoris locò ageret, etiam quando quæ legis Cerem. erant, fecit. Atqui pro peccatore non potuit offerre victimas legales, quippe qui non venerat per victimas legales peccata exprobraturus, sed per veram & unicam corporis sui victimam ablaturus. III. Idem comprobant passionum & mortis Christi fines, qui sunt *divinæ justitiæ demonstratio*, & nostra *impunitas*, sive peccatorum remissio: Vide *Rom.* 3: 25, 26. & 5: 9. Quapropter rectè Catech. Christum dicit *iram Dei adversus peccatum &c. sustinuisse*: hoc est, pœnam, quam Deo judici peccator debet; quæ metonymia est Scripturæ non inusitata, *Rom.* 1: 18. *Eph.* 5: 6.

Passiones Christi genere suo fuisse pœnales probatur.

XV. Q. *Quid verò sibi vult, quòd addit Catech.* Adversus peccatum universi generis humani? *Ergone Christus pro omnium & singulorum peccatis satisfecit?* R. Id quidem concludi vellent Novatores in suis considerationibus ad præsentem Quæst. sed nulla necessitate, quia

Utrùm ex verbis, adversus peccatum universi generis humani Christum pro omnium peccatis satisfecisse, colligi possit?

ris humani, *concludi possit sententia de universalitate beneficii redemptionis.*

quia Catech. quanquam non idem sentiat cum Novatoribus, nihilominus peccatum universi generis hum. nominare potuit duas ob causas. 1. Quòd sciret, hîc præcipuè considerandam esse transgressionem Adami, quæ reatu involvit totum genus humanum, & unde cætera omnia existunt peccata. 2. Quia Christus Sacerdos, ut spoponderat, ita passus est, non tantùm pro hominibus unius gentis, sed pro electis ex universo mundo. Unde Scriptura docens, *Deum fuisse in Christo & mundum sibi reconciliâsse*, 2 *Cor.* 5: 19. distinctionem excludit, non item exceptionem tollit: & Abraham, quia semen promissionis futurum erat ipsi in toto mundo, κληρονόμος κόσμω dictus est, *Rom.* 4: 13. quod ipsum observatum pro clave est aperiendo sensui illorum Scripturæ testimoniorum, quæ Redemptionis beneficium ad omnes homines exporrigere videntur.

Passiones Christi quales fuerint effectu.

XVI. Q. *Superest, ut dicas, quales fuerint passiones & mors Christi effectu?* R. Sunt unicum sacrificium propitiatorium, quò corpus & animam nostram ab æterna damnatione liberavit, & nobis gratiam Dei, justitiam & vitam æternam acquisivit: ut habet Catech.

Quid sacrificium in genere.

Q. *Quid est sacrificium in genere dictum?* R. Oblatio religiosa, quâ quid Deo datur, usibus sacris impendendum, vel destruendum; idque vel Numinis placandi, vel gratitudinis testandæ causâ. In lege sacrificia quondam ritè perpetrata Deus sibi accepta esse apertè testatus est. Quò pertinet, quòd sacrificium vocavit לחם אלהים *cibum Dei*, *Lev.* 22: 25. *Num.* 28: 2. & *altare mensam Dei*, *Mal.* 1: 7. & Israëlitas de pacificis comedentes dixit esse κοινωνὸς τῦ θυσιαστηρίυ q. convictores, mensæ suæ admotos, 1 *Cor.* 10: 18. Unde etiam consumptio sacrificiorum per ignem cœlestem instar esûs habebat, cui conjungitur odoratus, tanquam ad ἀνάπαυσιν,, *Gen.* 8: 21. *Exod.* 29: 18, 25. *&c.* Atqui Deus non delectatur cibariis & sacrificiis mutis, &c. ut multis docet Scriptura: neque sacrificia V. T. sive singula, sive universa, vim habebant peccatum expiandi, & offerentes consummandi, *Heb.* 10: 1, 2, 4, *&c.* Q. *Unde igitur factum, ut Deo placerent?* R. Quia erant umbræ & figuræ

Sacrificia V. T. ritè oblata Deo fuisse grata, & quare, ostenditur.

figuræ sacramentales unici illius sacrificii propitiatorii, quod est in perpessionibus Christi. Q. *Omnibusne promiscuè Israëlitis tales erant?* R. Illis solùm, qui seriâ delictorum pœnitentiâ tacti, fide ac spe, verum Messiæ sacrificium prospectante & præcipiente, sacrificia offerebant.

Passiones Christi esse sacrificium propitiatorium.

XVII. Q. *Unde verò probas, passiones Christi esse sacrificium propitiatorium?* R. I. Id docent luculenta Scripturæ testimonia. Ut *Esa.* 53: 10. *Rom.* 3: 25. 2 *Cor.* 5: 21. *Eph.* 5: 2. 1 *Joh.* 2: 1. II. Idem docent fructus perpessionum Christi, quos Catech. duos præcipuos recenset: *Prior* est corporis & animæ nostræ ab æterna damnatione liberatio. *Heb.* 2: 14. *Col.* 1: 13. *Luc.* 1: 71, 74. *Posterior* gratiæ Dei, justitiæ & vitæ æternæ acquisitio. *Rom.* 5: 10. *Dan.* 9: 24. *Rom.* 5: 18. 1 *Joh.* 3: 1. Q. *Sacrificium Christi cur dicitur unicum?* R. I. Ut opponatur typicis illis V. T. quæ plurima erant, & sæpiùs iteranda: evidente argumento, illis vim peccata expiandi defuisse: contrà eam Christi ejusque sacrificii esse plenitudinem, quæ nulla imagine satis exprimi queat. Unde nec iterationi locus hîc ullus relinquitur, *Heb.* 9: 25, 26. II. Id unum tale est, quô Dei nomen sanctificari, ejusque ira placari &c. queat: neque fuit unquam sacrificium, quod nisi hujus *unici* intuitu Deo placeret: quia hic solùm idem est sacerdos & victima piacularis, sed Sacerdos Filius Dei æternus, victima homo sanctus, innocens, impollutus, segregatus à peccatoribus.

1. *Propitiatorium.*

2. *Unicum.*

Passio Christi annon sacrificii antecedens verius, quam sacrificium dici queat.

XVIII. Q. Obj. *Atqui passio non sacrificium est, sed ejus antecedens: quemadmodum adductio, apprehensio, ligatio victimæ & ligatæ jugulatio, sacrificii antecedanea fuere.* R. 1. Actus illi, quamquam alii aliorum præparatorii fuerint, universi tamen ad sacrificii integritatem pertinebant: quia oblatio religiosa ab ipsa victimæ separatione & ad usum sacrum destinatione fieri cœpta est. Id autem quàm maximè verum in Christo, cui apprehensio, ligatio, adductio, &c. plurimum doloris & ignominiæ attulerunt. 2. Sacrificium propitiatorium aliud esse nequit, quàm obedientia suis numeris perfecta, legi præstita, quod alibi ostendimus:

attamen in perpessionibus, mortem includentibus, sacrificium Christi positum dicitur, quia obedientia Christi illis passionum πειρασμοῖς potissimum manifestata & consummata est.

Quæstio XXXVIII.

Quid causæ fuit, cur sub judice Pilato pateretur.

UT innocens coram judice politico damnatus, nos à severo Dei judicio, quod omnes manebat, eximeret.

ANALYSIS.

Ad Quæstionem, quare sub judice passus fuerit, sic respondetur, ut

I. Causa ejus indicetur duplex.
   1. Quia Christum oportuit pati judicatum.
   2. Quia ejus innocentia hôc judiciô patefieri & publicô testimoniô probari debuit; *Ut innocens coram judice, &c.*

II. Quem inde percipiamus fructum, ostendatur, *ut nos à severo Dei judicio &c.*

EXEGESIS.

Nexus & occasio.

Quis hic rerum tractandarum ordo? R. Consideratis Christi passionibus in genere, Catech. descendit ad speciales quasdam circumstantias earundem, ex ordine symboli Apost. expendendas. Quapropter cùm in symbolo sequantur verba ἐπὶ Ποντίου Πιλάτου, quærit, quid causæ fuerit, cur sub judice Pilato pateretur?

Pontius

II. Q. *Pontius ille Pilatus quis fuit?* R. Ut de genere, stirpe

stirpe, familia, &c. taceam, quippe quæ sciri ad institutum nihil attinet, officiô fuit ἡγεμών, *Matth.* 27: 2. *Joseph. Antiq. lib.* 18. *c.* 4. quod Latinus Interpres vertit *Præsidem*, etsi ἡγεμονεύοντα *Luc.* 2: 2. interpretetur *Procuratorem*. Pilatus, teste Tacito, Judææ non Præses, sed Procurator fuit: Sic enim inquit; *Auctor nominis ejus Christus, qui Tiberio imperitante per Procuratorem, Pontium Pilatum, supplicio affectus erat. Annal.* 15. 44. Constat autem, Pilatum ordine sextum Judææ Procuratorem cum potestate Præsidis fuisse. *Joseph. Antiq. lib.* 18. *c.* 3. Plura de eodem vide ibid. cap. 5. *Pilatus quis officio.*

III. Q. *Cur Pontii Pilati, quo judice Christus est passus, diserte meminit Symbolum Apostolicum?* R. Hanc quidem quæstionem Catech. non tractat, attamen repetito judicis nomine ex Symb. Apost. illi locum relinquit. Quapropter sic quærenti duo respondeo: I. Id feciſse pertinebat ad historiæ veritatem testificandam. Etenim temporum notatio & nominum earum personarum, quarum ductu vel auspiciis res quæque gestæ sunt, non indiligens observatio historiam quàm maximè χαρακτηρίζει. Chronologis quidem dissidet calculus de anno mortis Christi. Convenit plerisque eam incidisse in annum Tiberii 18. qui juxta Scaligeri rationes respondet anno Pilati ἡγεμονεύοντος quinto, Nabonassareo 778. U. C. 783. Olympiadis 202. anno 3. Æræ Christi vulg. an. 31. P. J. 4744. M. 3980. Verùm quôcunque annô Christi mors acciderit, Pontius Pilatus tùm Judææ præsidebat: quod sciviſse ad fidem Christianam confirmandam satis est. Ergò Pilati *mentio ad temporis significationem, non ad personæ illius pertinet dignitatem. inquit Aug. Ser.* 131. II. Ista passionis Christi circumstantia etiam character est temporis, quô Christus pati debuit juxta prophetiam, *Gen.* 49: 10. *Ps.* 2: 1, 2. unde Esaias *imperium* & *judicium* distinguit *Cap.* 53: 8. significans Christum etiam judicandum fuisse ab illis, quibus imperii jus non erat, puta Judæis in Synedrio: & excidendum è terra viventium ab illis, penes quos summi Imperii potestas erat, nempe à Romanis in Prætorio Pilati. *Cur ejus diserta mentio in Symbolo Apost. In ea mentione duplex character temporis.*

IV. Q. *Quid causæ fuit, cur Christus sub Judice* *Christum*

tuit sub judice politico ob 2. causas.

I. *Quia oportuit pati judicatum, non per insidias vel in tumultu concitatæ plebis opprimi.*

Politico pateretur? R. Causa fuit duplex. Prior quidem, quia Christum oportuit pati judicatum, non in tumultu, non clàm & per insidias, aliôve modô interemptum. Q. *Quamnam necessitatis causam dicis?* R. Quia Christus sese reum pro nobis constituerat, consistendum illi fuit coram tribunali Dei, ut pro nobis responderet, quod tribunal in terris erectum, ubi quidem tùm temporis agebat Christus, aliud non erat, quàm Cæsaris Tiberii, cujus nomine Judæam, in Provinciæ formulam à Pompeio redactam, Pilatus procurabat. Q. *Nonne Judæorum Synedrio relicta fuit potestas animadvertendi in fontes?* R. Fuit, sed citra mortem: vitam eripere nemini poterant, nisi jubente vel permittente præside Rom. *Joh.* 18: 31. Q. *Atqui occiderunt Stephanum, Act.* 7. R. Populus aliquando extra ordinem concitatus, ex causa ad Religionem attinente, quos credebat blasphematores, &c. lapidibus obruebat: atque appellabatur *judicium zeli*, & à Præsidibus excusabatur. Eô nonnunquam Judæos adversus Christum uti voluisse testis est Historia Evang. Verùm id Christus semper evitavit, quòd hora ejus nondum venisset, & juxta Dei cônsilium & prophetiam ita pati deberet, ut palàm & solenni judicio facta in omnia accusationis capita inquisitione condemnaretur & morti traderetur. Hinc *cum maleficis numeratus* dicitur, *Esa.* 53: 12.

II. *Ut solemni & publico judicio innocentia Christi manifestaretur.*

V. Q. *Quænam est altera causa, ob quam necesse fuerit, Christum sub judice Politico pati?* R. Ut innocentia Christi ad omnium conscientiam manifestaretur judicio solenni & publico, utque adeò constaret, ipsum, cùm nihil pœnâ, nedum morte dignum admisisset, non pro se tàm atrocia passum esse. Q. *Nonne & alii innocentiæ testimonium perhibuere Christo?* R. Imò: iique non pauci, ut Judas proditor, *Matth.* 27: 4. Herodes, *Luc.* 23: 14, 15. Uxor Pilati, *Matth.* 27: 19. Latronum alter, in cruce conversus, *Luc.* 23: 41. Q. *Cur igitur Catech. solius judicis Pilati testimonium spectat?* R. Quia id cæteris omnibus illustrius est, quippe 1. Publicum. 2. Non nisi causâ probè cognitâ prolatum. 3. Multoties repetitum, uti ex Evangeliis constat.

constat. Videatur saltem *Joh.* 18: 38. & 19: 4, 6, 12. Q. *Quare verò sub judice Romano?* R. Singulari providentiâ Dei hîc etiam intervenit Imperium Rom. ut sua prophetiæ constaret fides, *Psal.* 2: 1, 2. conf. *Act.* 4: 25, &c. *Esa.* 53: 8. *Ezech.* 20: 35. conf. *Apoc.* 11: 8. Sic Christus natus est sub censu, quem edixerat Cæsar, *Luc.* 2: 1. Sic damnatus est ad mortem sub Imperio Cæsaris. Qua ratione non à Judæis solùm, sed etiam Romanis rerum Dominis, damnatus, à toto quasi mundo damnatus videri poterat ad mortem, quam subiturus erat pro electis ex toto mundo.

VI. Q. *Quo fine suo, & fructu nostro, innocens damnari voluit, judice sedente Pilato?* R. Ut nos à severo Dei judicio, quod omnes manebat, eximeret. Q. *Quomodo hunc fructum ex illa Christi innocentis condemnatione consequimur?* R. Christo ut Sponsori nostrô locô expiandum fuit, quicquid à nobis peccatum erat: ejus igitur condemnatio nostra est absolutio. Id quod ex Christi innocentia, non jam vulgari, qualis multorum esse contingit ob falsum crimen intentatum, sed absoluta & perfecta, per quam nulla vis in manu, nullus dolus in ore ejus repertus est unquam, plus satis patescit. Qui sic est, eum ad mortem cruciabilem & ignominiosam damnari non pateretur justitia Dei, nisi peccatoris vicem subire posset atque vellet. Obj. *Necdum tamen satis liquet, quomodo ex condemnatione Christi innocentis in foro Romano, nos consequamur impunitatem in foro divino, nisi probaveris, Deo Authore, peccatorum nostrorum pœnam à Christo exigente, judicium illud actum fuisse?* R. Rectè verò: cùm enim soli Deo peccatum fuerit, etiam in ipsius solius judicio de tota ista causa cognoscendum & judicandum fuit: quapropter etiam Christus judicio seculari, quod Dei locô exercetur, 2 *Chron.* 19: 6. traditus est ab ipso Deo, *Act.* 2: 23. & 4: 27, 28. Hinc negavit Christus *ullam Pilato potestatem fore in se, nisi supernè data esset*, *Joh.* 19: 11. Et quod de ipso judicabat Caiphas, idem Dei fuit judicium: quia cùm è re futurum dixisset, *ut unus homo moriatur pro populo, &c. id non à se ipso dixit: sed cùm princeps sacerdos esset illius anni, vaticinatus est*, *Joh.* 11: 50, 51. h. e.

Judicii condemnationis Christi fructus quis ad nos redeat, & quomodo.

Deo authore peccata nostra in Christo puniente.

judicium in prætorio Pilati actum fuisse.

Quo sensu Caiphas vaticinatus dicatur.

Deo dirigente evenit Caiphæ, ut prophetaret, idemque diceret, quod Prophetæ & Christus ipse futurum prædixerant: ut veritatem audiret Senatus ex ore Pontificis, cui tamen mens læva & animus malus erat, neque quod diceret intelligere datum. Interim quia Pontifex magnæ erat authoritatis & sanctissimæ existimationis apud Judæos, veritas ex ore ejus audita, & sic gravissimæ authoritatis testimonium nacta, posthac vero sensu intellecta tantò faciliùs Judæos ad fidem Evangelio habendam permovere poterat.

Finis & fructus judicii condemnationis Christi probatur.

VII. Q. *Unde constat, Christum hoc fine suo & bono nostro innocentem damnari voluisse, ut nos a severo Dei judicio eximeret?* R. Ex luculentis Scripturæ testimoniis. *Paradigma pacis nostræ super ipso fuit. Exigebatur* pravitas nostra, *& ipse submittebatur* judicio damnationis, *Esa.* 53: 5, 7. adde *Rom.* 8: 3, 4. 2 *Cor.* 5: 14. 1 *Pet.* 3: 18. *&c.*

Quæstio XXXIX.

Est verò quiddam amplius, quòd affixus sit cruci, quàm si alio genere mortis affectus esset?

Sanè amplius: Ex hac enim re certus sum, eum maledictionem, quæ mihi incumbebat, in se recepisse. Nam mors crucis à Deo erat maledicta.

ANALYSIS.

I. In Quæst. obs. 1. Conferri crucifixionem cum aliis supplicii generibus. 2. Quæri, an majoris momenti sit, quòd Christus crucifixus, non autem alio mortis genere affectus fuerit.

II. In

II. In Resp. 1. Quæstio affirmatur; *Sanè amplius.* 2. Momentum ostenditur ex fine & effectu crucifixionis Christi, cùm propositò; *Ex hac enim re certus sum, eum maledictionem, quæ &c.* tùm confirmatò; *nam mors crucis à Deo erat maledicta.*

EXEGESIS.

Catechumenum non pudet profiteri fidem in Christum crucifixum.

Estne aliqua necessitas in publico fidei nostræ symbolo mentionem fieri ignominiosæ mortis Christi, Servatoris nostri? R. Est sanè: Cur enim Catechumenum pudeat profiteri palàm fidem atque spem salutis in Christo crucifixo sibi repositam, cùm non puduerit Christum pro nobis crucem ferre? Cujusvis Christiani est etiam illa Apostoli gloriatio; *Absit a me gloriari, nisi in cruce Domini nostri J. Christi, Gal. 6: 14.*

Tractationis de crucifixione Christi membra.

II. Q. *Ad præsentis Quæst. & Resp. intelligentiam quænam tenenda?* R. 1. Considerandum crucis supplicium in genere. 2. Ostendendum, Christum non fortuitò, sed juxta prophetiam antegressam hoc supplicii genere affectum fuisse. 3. Inquirendum, quò fine suo & fructu nostro id fieri voluerit. De crucis supplicio in genere disputiendum paucis 1. Quibus id fuerit usitatum. 2. Quodnam fuerit supplicii instrumentum. 3. Quis crucifixionis modus. 4. Quæ qualitas.

De crucis supplicio in genere. Ubi 1. Apud quos fuerit usu receptum.

III. Q. *Crucis supplicium apud quosnam fuit usu receptum?* R. Non apud Judæos: quorum traditio habet; *Quatuor* מיתות *supplicia capitalia domui judicii*, Senatui, *tradita sunt; Lapidatio, Ustio, Gladius, & Strangulatio. Tract. Sanhedr. c. 7.* Inter pœnas ergò non erat suspensio: strangulabantur enim stantes, non suspendiò. Obj. *Atqui in lege maledictus pronuntiatur suspensus.* R. Suspendi solebant lapidati ob gravissima crimina, idololatriam, blasphemiam, &c. ut ostentui essent, ad solem usque occiduum. Vivorum autem crucifixio supplicium erat gentilibus, præsertim Romanis, usitatum, uti exempla apud Livium, Sallustium, Florum, &c. obvia docent.

2. *Ejus instrumentum.*

IV. Q. *Supplicii instrumentum quodnam?* R. Crux lignea, quæ cruciariis ad locum supplicii ferenda fuit. Q. *Quænam crucis forma?* R. Communiter duabus præcipuis partibus constitisse creditur; arrectariô lignô sive stipite, qui erecta statione in terram defigebatur: deinde transversaria trabe, in cujus extremitatibus dispassa cruciariorum brachia affigebantur. In summo crucis tabula addebatur alba, nigris literis notata, exhibens causam mortis descriptam. Alii ex Irenæo & Cypriano, duabus trabibus transversariis trabi arrectariæ immissis crucem coagmentatam dicunt; ita ut & pedes divaricatis cruribus inferiori trabi affigerentur.

3. *Crucifixionis modus quis.*

V. Q. *Modus crucifixionis quis fuit Romanis?* R. Vivos in crucem sublatos; clavis per manus & pedes adactis, ligno affigebant, & sic pendulos in sublimi, cœlum inter & terram, non tantùm ostentui esse, sed & lenta morte inter gravissima corporis cruciamenta perire patiebantur. Vulnera enim in perfossis manibus & pedibus, partibus maximè nervosis, dolorem majorem in modum adaugebant, universa corporis mole in manus atque pedes incumbente.

4. *Supplicii crucis qualitas quæ.*

VI. Q. *Quale fuit crucis supplicium?* R. Contumeliosum valde & infame apud Romanos. Eo enim affici solebant abjectissimæ conditionis rei, servi scelerati, &c. Exempla videsis apud Florum *lib.* 3. *c.* 19. Liv. *lib.* 30: §. 43. Hinc illud Cic. Orat. in Verr. *Facinus est vincire civem Romanum; scelus verberare; propè parricidium necare; quid dicam, in crucem tollere?* In hisce verò non obscurum providentiæ divinæ vestigium observare est. Infame prorsus erat hoc supplicii genus apud Romanos: sed plus 700. annis ante conditam Romam Deus illud in lege sua maledictum pronunciaverat, eo inter alia maledictionis effectu, ut tanta crucis inter gentes esset infamia. Atque hæc de primo, videlicet crucis supplicio in genere.

Christum non fortuitò sed juxta consilium

VII. Q. *Quomodo ostendis, Christum non fortuitò, sed juxta consilium Dei, per prophetiam notificatum, crucis supplicio affectum fuisse?* R. Id probant I. Typus serpentis ænei, *Joh.* 3: 14, 15. II. Vaticinia: ut *Ps.* 22: 15. *laxâ-*

laxârunt se omnia ossa mea, unde v. 18. *enumeraverim omnia ossa mea:* adeò scil. luxata sunt & soluta, distentis in cruce membris & artubus. Et de crucis supplicio clara sunt verba v. 17. כארו *foderunt manus meas & pedes meos.* Ubi ad sensum parum interest, sive legamus כארי sicut leo, & cum Chaldæo Paraph. suppleamus נכרין היך כאריא *fodiunt ut leo:* sive sequentes authoritatem Masoræ ad *Num.* 24: 9. (Ubi ad locum Psalmi annotat כארו כתיב) & LXX. qui verterunt ὤρυξαν, legamus כארו *foderunt.* Eò facit etiam locus *Esa.* 53: 9. de quo vide Coccejum.

Dei crucis supplicio affectum fuisse.

VIII. Q. *Quo fine suo & fructu nostro crucis supplicio affici voluit Servator?* R. De eo Catech. Ex hac enim, inquit, re certus sum, eum maledictionem, quæ mihi incumbebat, in se recepisse: *idque confirmat* publicò maledictionis testimoniò, quod Deus in quovis suspenso extare voluit, juxta legem *Deut.* 21: 22, 23.---- *si suspenderis eum de ligno, ne pernoctato cadaver ejus in ligno, &c. nam suspensus execratio Dei est, &c.* Unde Apostolus hâc ipsâ legis sententiâ citatâ conficit, Christum nos ab execratione redemisse, dum factus est execratio pro nobis, *Gal.* 3: 13.

Christum crucifixum eo suo fine & nostro fructu, ut maledictionem à nobis auferret.

IX. Q. *Quomodo id indidem conficiat, nondum satis apparet?* R. Considerandum hîc, tùm quare suspensus è ligno dicatur *Execratio Dei:* tùm quæ fuerit causa, quamobrem suspensorum cadavera ante noctem essent humo mandanda. Q. *Quid significat esse maledictum?* R. Communione & favore Dei esse exclusum, hominum consortiò indignum, diris omnibus devotum. Quod ipsum non obscurè significabat suspensio rei cœlum inter & terram, quasi indigni, quem terra ferat, & cœlum recipiat. Q. *An de quibusvis sive Judæorum, sive Romanorum more suspensis intelligenda lex?* R. Imò, quia indefinitè loquens, pendentem è ligno maledictum pronunciat. Q. *Ratio illius maledictionis quænam fuit?* R. Causa maledictionis non erat suspendii pœna vel ignominia, sed potiùs peccatum, quod eo tempore necdum erat expiatum. Q. *Cum peccatum causa sit communis omnis supplicii & ignominiæ, quare Deus crucis supplicium præ*

Quod probatur ex Deut. 21: 23. *& Gal.* 3: 13.

Maledictum esse quid sit.

Suspensus è ligno quare dicatur execratio Dei.

cæteris supplicii generibus voluit esse maledictum? R. Deus ea lege significavit, neminem de ligno iri suspensum, nisi qui vel reus esset peccati, vel certè execrationem peccato incumbentem ferret. Unde consequitur, quòd si justus & innocens, qualis est Christus, de ligno suspendatur, is reapse execrationem ferat pro injustis. Id igitur effatum legi additum fuit propter Christum, cui crucis supplicium æternò Dei consiliò destinatum fuerat. Q. *An ergò omnes suspensi æternum periere, quia maledicti?* R. Non obstabat lex, quominùs qui vera fide & spe in Messiam, quicquid maledictionis in peccato esset, ablaturum recubuissent, à maledictione liberarentur: quia in ea lege testimonium erat auferendæ maledictionis.

Suspensorum cadavera quare ante solem occiduum humo fuerint mandanda.

X. Q. *Quare suspensorum cadavera ante noctem è cruce tollenda & humanda fuerunt?* R. Sunt qui ea lege nihil nisi humanitatem commendari velint, eò quod satis supplicii esse jubeat in morte. Cui addunt Interpretes Hebræi, eam exhiberi reverentiam imagini divinæ, ad quam homo sit conditus. Verùm sublimius quid in hoc Dei præcepto spectandum docet adjecta ratio; *Quia execratio Dei est; & ne polluas terram, &c.* Cùm enim Deus hoc supplicium elegerit ad finiendam, amovendam & quasi sepeliendam execrationem peccati, scelus erat terram incestans & polluens, quippe abnegatio quædam gratiæ redemptionis, in patibulo relinquere cadaver. Quapropter Hebræi in suspensorum cadavera humando non solùm humanitatis faciebant officium, sed maximè suam profitebantur fidem de execratione per Messiam tollenda. Hinc & vulgò creditum, suspendii supplicio & suspensorum sepulturâ iram Dei placari, 2 *Sam.* 21: 14.

Appendicis loco paucis examinatur sententia Viri cujusdam Docti.

XI. *Vir quidam Doctiss. distinguit maledictionem* Communem *Judæis cum omnibus posteris Adami, Gen.* 3: 17. *&c. Rom.* 5: 12. *&c.* & Propriam *Judæis, qui multis particularibus legibus suberant, quarum singulæ violatæ maledictionem afferebant, Deut.* 27: 26. *Illius deinde pœnam dicit fuisse mortem, Gen.* 2: 17. *non crucifixionem: Istius hanc circumstantiam mortis, nempe crucifixionem,*

xionem, & sic applicari, Gal. 3: 13, 14. *Col.* 2: 14. *Unde infert; Beneficium mortis Christi commune esse: suspensionis proprium Judæis?* Verùm hæc nobis non probantur. I. Quia mortem Christi in cruce toleratam utique ad gentes etiam pertinere, liquet non obiter inspicienti loca mox citata, & *Eph.* 2: 16. II. Quia mors, quam Adamus sibi suæque posteritati accersivit, erat maledicta: cujus documentum Deus extare voluit in crucis supplicio, quod humani generis Restaurator erat subiturus. *nuperi Exegetæ Catech. Palat.*

Quæstio XL.

Cur necesse fuit, ut Christus ad mortem usque se demitteret?

PRopterea, quòd justitiæ & veritati Dei, nullô aliô pactô pro nostris peccatis potuit satisfieri, quàm ipsâ morte Filii Dei.

ANALYSIS.

I. Ad Quæst. obs. 1. Ex Symbolo Apost. ut indubitatum assumi, Christum verè mortuum esse. 2. Quæri de necessitate mortis, quæ illi erat subeunda.

II. Resp. Cat. necessitatem arcessit à causa finali, quæ est satisfactio pro peccatis nostris, justitiæ & veritati divinæ debita.

EXEGESIS.

NUnc ex ordine Symboli Apost. disserendum de morte Christi: ubi ostendemus 1. Jesum Christum, Filium Dei unigenitum, passum sub Pontio Pilato, crucifixum, tandem etiam verè mortuum fuisse. *Summa rerum tractandarum in Quæst. XL.*

fuisse. 2. Quomodo intelligendum, quando Filius Dei Unigenitus dicitur mortuus. 3. Quæ fuerit necessitas, Filium Dei mori. Atque hæc est summa rerum ex occasione præsentis Quæst. & Resp. tractandarum.

Christum verè mortuum fuisse, 1. Quanti sit momenti ostenditur. 2. Probatur.

II. Q. *De veritate mortis Christi quid tenes?* R. Jesum Christum, Filium Dei, &c. verè mortuum fuisse Catech. supponit, frustra alioqui quæsiturus de mortis necessitate. Q. *Verene igitur mortuus fuit?* R. Sic nos credere profitemur in Symbolo Apost. juxta verbum Dei. Et verò nisi passiones Christi tandem desiissent in mortem, inanis fuisset omnis labor antè actus & tàm perseverante studio exantlatus: cùm ea ratione princeps salutis fuerit consummandus, *Heb.* 2: 9, 10. Q. *Unde veritati huic fidem firmas?* R. Evangelistarum singuli certatim quasi historiam mortis Christi diligentissime exsequuntur, & quod observatu dignissimum, etsi singuli singula Christi gesta non semper referant, tamen in historia mortis ejus universi pariter occupari voluerunt, eô ipsô significantes, quanti ad salutem referat, nos de veritate mortis Christi esse persuasissimos. In id verò peculiariter intentus fuit Johannes, ut plenam ea de re nobis faceret fidem. Unde inter alia, *Unus*, inquit, *militum lancea ipsius latus perfodit, & illicò exivit sanguis & aqua. Et qui vidit testis est, & vera est ipsius testificatio: & ille novit, quòd vera dicat, ut vos credatis*, *Joh.* 19: 34, 35. Unus militum (quales λογχοφόρους, spiculatores dictos, habere solebant Imperatores Rom. teste Suetonio & Josepho) lanceâ percussit & perfodit latus Christi, scil. dubitans, an verè esset mortuus, & experiri volens, an sensu ictûs se esset commoturus. E latere perfossô exivit sanguis & aqua, tactô & ruptô pericardiô, in quo est aqua & sanguis circùm. Vulnus enim cordis lethale & certum mortis argumentum est. Unde theorematis exemplum apud Galenum, εἰ τὶς ἐςὶ καρδιότρωλος ἐκεῖνος ἀποθανεῖται. Quia autem corpus Christi nondum refrixerat, sanguis fluxum facilè ferebat. Effluxerunt porrò humores isti seorsim, non confusi: secùs an sanguis tantùm, an sanguis aquâ dilutus, profluueret, non facilè constitisset, cùm idem sanguis nunc fluidior & lucidior,

Speciatim testimoniô Johannis, quod paulò prolixiùs explicatur.

lucidior, nunc crassior & obscurior esse soleat. Atque hinc Johannes ad fidem testimonii sui firmandam non satis habuit, se probâsse ἀνθρώπων, testem qui non audita, sed visa & comperta referret: verùm etiam conscientiam testem produxit; *Et ille novit, quòd vera dicat:* q. d. animus mihi testis est meus in conspectu Dei, quòd vera prædicem, *ut vos credatis.* Q. *Cui bono contestationem tam diserta ingeminari?* R. Cùm ut morti Christi sua constet certitudo ad fidem & conscientiam nostram: tùm etiam, ut sanguinem & aquam è latere seorsim profluxisse credamus: id quod extraordinarium quid est, & mysteriô non caret, ad quod idem Apostolus alludit, 1 *Joh.* 5: 6.

III. Q. *Quomodo intelligendum, quando Scriptura Filium Dei, Principem vitæ, Dominum gloriæ &c. mortuum fuisse testatur, Matth.* 27: 54. *Act.* 3: 15. 1 *Cor.* 2: 8. *Act.* 20: 28. R. Christum Deitate sua passum & mortuum esse nemo sanus dixerit. Quapropter damnanda hæresis Theopaschitarum, qui ipsam Filii divinitatem, carne scil. in eam conversâ, passam ac mortuam affirmabant. Hîc memini, me non inscitam legere historiolam de Alamanduro Saracenorum Principe, qui cùm Severus Monachus & Antiochiæ Episcopus, hæreseos Theopaschitarum Author, ipsum per legatos ad sectam inducere vellet, Monachi consilium ingeniosô commentô elusit, datô legatis responsô, se literas accepisse, quibus nunciaretur, Michaëlem Archangelum fatô esse functum. Quod cùm riderent legati, risit ille vicissim Theopaschitas, asserentes, Christum Deum in una illa natura sustinuisse mortem. *Theod. Lect. Hist. lib. II.* Contrà igitur Filius Dei passus & mortuus est humanitate, vel ut Scriptura loquitur, *carne*, 1 *Pet.* 3: 18. factâ animæ corporisque separatione, *Matth.* 27: 50. *Luc.* 23: 46. neque tamen soluta unione hypostaticâ, cùm λόγος nec animam, nec corpus deseruerit: quod Theologi similitudine gladiatoris, dextrâ gladium è vagina eductum, sinistrâ vaginam tenentis, adumbrant. *Filium Dei mortuum fuisse quô sensu dicat Scriptura.*

IV. Q. *Unionem personalem in mortis triduo non fuisse solutam, unde demonstras?* R. Illam unionem ἀχωρίστως factam, ut hactenus Orthodoxi crediderunt, neque *In morte Christi non solutam fuisse unio-*

Semihypostaticam probatur duabus rationibus.

neque adeò morte solutam fuisse probo 1. Quia Christus mortuus, qualem nobis repræsentant Symbola S. Cœnæ, non foret victima infiniti pretii, si Christus mortuus non esset Filius Dei mortuus. Atqui non esset Filius Dei mortuus, si unio personalis morte fuisset soluta. 2. Christus semetipsum suâpte potentiâ resuscitavit ex morte, *Joh.* 10: 17, 18. atqui hoc de Christo prædicari non posset, si unio personalis fuisset soluta. Suscitâsset quidem hoc corpus, quod in monumento Josephi erat conditum, nec tamen suscitâsset semetipsum, quia corpus illud, etsi fuerat aliquid Christi, non tamen erat nec dici poterat ipse Christus, si rupta fuit unio personalis. Unde *Psal.* 16: 10. *Non dabis Sanctum tuum videre corruptionem.*

Filium Dei mori necesse fuisse, & quare.

V. Q. *Filium Dei mori, quæ fuit necessitas?* R. Necessitas sanè fuit gravissima, positô illô *pacis consiliô inter Jehovam & virum germen*, *Zach.* 6: 13. Cùm enim Deus pro sua φιλανθρωπια humani generis misertus, quosdam è lapsis hominibus servare constituisset, ea salus aliter quàm morte Filii Dei expediri non potuit, satisfactionem postulantibus justitia & veritate Dei, uti dictum nobis ad Quæst. X. XI. XII.

Quæstio XLI.

Quare etiam sepultus est?

UT eo testatum faceret, se verè mortuum esse.

ANALYSIS.

I. Quærenti de causa sepulturæ Christi, quam in Symbolo profitetur Catechum.

II. Respondetur ex fine, qui est veræ mortis testimonium.

EXE-

EXEGESIS.

MOrtem Christi excipit sepultura, in qua penultimus exinanitionis gradus. Ejus videnda nobis 1. Veritas. 2. Circumstantiæ præcipuæ, quas Evangelistarum diligenria annotavit. 3. Finis atque fructus. *Argumentum Quæstionis XLI.*

II. Q. *Fuitne igitur Christus verè sepultus post mortem in cruce obitam?* R. Catechumenus facti fidem profitetur secundùm Scripturam tùm prophetiæ, tùm historiæ. Sepulturam enim Christi futuram prædixerant Prophetæ, & factam diligenter narrant Evangelistæ; Unde illud Apostoli: *Tradidi vobis, quod etiam accepi, quòd Christus mortuus sit, sepultus & tertio die resuscitatus juxta Scripturas.* 1 Cor. 15: 3, 4. *Christum sepultum fuisse credit Catechum. juxta Scripturam.*

III. Q. *Quasnam dicis sepulturæ Christi circumstantias præcipuas fide & memoriâ tenendas?* R. A quo; quali monumento; quô apparatu & quàm providenter, corpus Christi fuerit sepultum. *Sepulturæ Christi circumstantiæ præcipuæ.*

IV. Q. *Quis igitur Christum sepelivit?* R. Josephus Arimathæensis, *Vir dives, Consiliarius, honestus, regnum Dei exspectans, &c.* Cui adjutor accessit Nicodemus, qui antè noctu Christum adire solitus, nunc impensis sepulturam ejus honorat. Sic impleta est fides Prophetæ *Esa.* 53: 9. Sic innocentia Christi probata. Sic non supereſt locus suspicioni de dolo malo. Q. *Judæorum moribus quinam hoc supremum humanitatis officium præstabant defunctis?* R. Qui sanguine, affinitate vel amicitiâ illis fuerant conjuncti. Q. *Quare ergò non discipuli saltem condiderunt corpus Christi?* R. In eo non obscurum providentiæ divinæ argumentum, quòd discipuli, metu exterriti & fugâ dilapsi, Christum non sepeliverint: secùs Judæi sepultum & resuscitatum haud dubiè negassent, divulgare ausi, Christum discipulorum fraude ex sepulchro fuisse sublatum, *Matth.* 28: 13. Non conveniebat autem, Christum sepeliri ab hostibus, ne ultra mortem indigni quid pateretur, vel certè etiamnum vivus humo conderetur. 1. *Quis ipsum sepeliverit.*

V. Q. *Quali in monumento repositum fuit Christi corpus?* R. In novo, *Matth.* 27: 60. non ita pridem excisо 2. *Quali in monumento.*

excisо, in quo necdum quisquam fuerat reconditus, *Luc.* 23: 53. Q. *Quamobrem?* R. Id Deo sic providente factum, ne malignis occasio esset mentiendi, non Jesum, sed alium quempiam resurrexisse; vel contactu ossium mortui cujusdam Prophetæ in vitam revocatum: ut ille, de quo 2 *Reg.* 13: 21. Deinde idem monumentum erat è petra excisum, *Matth.* 27: 60. ne mortuum per occultos meatus & cuniculos à discipulis indidem extractum suspicandi occasio esset Judæis.

3. *Quo apparatu.*

VI. Q. *Quo apparatu sepultus fuit Christus?* R. Corpus quidem puræ sindoni cum aromatibus fuit involutum, testibus Matthæo & Johanne, sed pollinctura per temporis angustiam, instante Sabbatho, adhiberi non poterat. Vide *Luc.* 23: 56. Neque certè fortuitò factum, ut omitteretur; ne quis incorruptam corporis Christi integritatem unguentorum virtuti tribueret, oblitus vel ignarus prophetiæ, *Psal.* 16: 10.

4. *Quàm providenter.*

VII. Q. *Quare sepulturam Christi providenter factam dicis?* R. Quia Josephus sepulchri ostio saxum advolvit, *Matth.* 27: 60. Et Senatus populi à Præside Rom. petivit sepulchrum muniri, obsignatô lapide & additâ custodiâ, ibid. v. 63, 64. &c. admirabili providentiæ divinæ argumento. Ita factum, ut, quanquam diversa essent hostium studia, corpus Christi à ludibrio vindicaretur, resurrectionisque veritas simul obsignaretur. Darius Rex lapidem orificio foveæ leonum, in quam conjectus fuerat Daniel, impositum annulo suo obsignavit, *Dan.* 6: 18. Verisimile est, lapidem monumento Christi appositum annulo Pilati fuisse obsignatum: ut quemadmodum publica sigilli fide constitit, Danielem nulla ope humana periculo exemptum; ita simili fide constaret, Christi corpus nullâ humanâ manu exemptum sepulchro. Atque hæc de circumstantiis sepulturæ Christi præcipuis.

Sepulturæ Christi finis & fructus quis.

VIII. Q. *Sepulturæ Christi quis finis & fructus?* R. Ut eâ, inquit Catech. testatum faceret, se verè mortuum esse. Sepultura veræ mortis testimonium: neque enim vivi, sed mortui sepeliuntur. Pilatus Christum tàm citò mortuum miratus, non antè in sepulturam consensit, quàm certò compertum haberet, eum verè

verè mortuum esse, *Marc.* 15: 44. Nec sanè Josephus Arimath. & Nicodemus Christum sepulturi fuerant, si ullum in eo vitæ vestigium deprehendissent. Quemadmodum igitur Christus post resurrectionem se præbuit videndum, contrectandum, &c. ut de veritate corporis resuscitati fidem faceret: ita post mortem præbuit se manibus tractandum & sepeliendum, ut se verè mortuum testaretur.

Christum sepeliri voluisse, ut se verè mortuum testaretur, quare & quomodo dicat Catech.

IX. Q. *Qua de causa & quomodo Catech. hujus testimonii publicandi authorem facit ipsum Christum mortuum?* R. Id mirum videri non debet: cùm enim sepultura sit novissimus exinanitionis Christi gradus, si rem, non ordinem Symboli Apost. spectes, ad eum sponte sua se demittere voluit: ut adeò voluntate, providentiâ & directione Christi factum fuerit, quicquid Historia Evang. de ejus sepultura refert. Eidem voluntati subservire debuit authoritas Pilati, etsi Christum humari non alio fine permiserit, quàm ut moribus & legibus Rom. quæ suppliciò affectos sepeliri non vetant, obsequeretur. Adde quòd Christus etiam tempus moræ suæ in sepulchro definiverit, *Joh.* 2: 19.

Præter finem sepulturæ Christi Catechetæ memoratum alii recensentur.

X. Q. *Nonne & alii fuerunt sepulturæ Christi fines?* R. Imò: scil. I. ut prophetia impleretur, *Psal.* 16: 10. *Esa.* 53: 9. *Matth.* 12: 40. Ubi tres dies & tres noctes Synechdochicè dicuntur, quod Judæis non insolens, quippe qui in Talmude dictum recipiant, קְצָת כְּכוּלָה עוֹנָה *pars* συνεκδοχικῶς *est sicut totum. Hieros. Schab.* II. Sepultus fuit Christus in testimonium abolitæ execrationis, juxta mentem legis, *Deut.* 21: 23. de qua suprà ad Quæst. 39. III. Ut mortuus pro nobis etiam peccata nostra sepeliret. Cujus beneficii significatio & obsignatio est in baptismo, *Rom.* 6: 4. Mors Christi nostra est, ut λύτρου: sepultura ejusdem nostra est, ut argumentum finiti & sepulti reatûs & maledictionis. Plura doceant Systemata & Commentarii Theologorum.

Quæstio XLII.

At cùm Christus pro nobis mortem oppetierit, cur nobis quoque moriendum?

MOrs nostra non est pro peccatis nostris satisfactio, sed peccati abolitio, & transitus in vitam æternam.

ANALYSIS.

I. Obj. contra primum finem atque fructum mortis Christi suprà Q. XL. expositum; *si Christus sua morte pro nobis satisfeciſſet, nobis non esſet moriendum: atqui morimur &c.*

II. Negatur Consequentia, quippe quæ falsa nititur hypothesi, quasi mors nostra sit satisfactio pro peccatis: Ubi

1. Falsus mortis nostræ finis negatur; *Mors nostra non est pro peccatis satisfactio.*

2. Veri fines ponuntur 1. *Abolitio peccati.* 2. *Transitus in vitam æternam.*

EXEGESIS.

1. *Quæstionis & Resp. argumentum est solutio objectionis &c.*

OBjectio: *Cùm Christus nostram vicem mortuus sit, ut hactenus dicta docent, cur nobis moriendum?* R. Mors redemptorum non est satisfactio sive pœna, quâ Deus ulciscatur peccatum. Q. *Nonne mors est stipendium peccati, Rom. 6: 23.* R. Est sanè: verùm Dei gratiâ & mortis Christi vicariæ beneficiô desiit esse *personæ* redemptæ, quod est alioqui *naturâ*, nempe pœna peccati, facta remedium, & mors peccati, quod nisi

nisi gratia & meritum Christi interveniſſet, immortale foret. Unde veriſſimè Catech. *mors noſtra*, inquit, *non eſt ſatisfactio pro peccatis, ſed* &c.

II. Q. *Non eſſe ſatisfactionem unde demonſtras?* R. Quid opus ſatisfieri ab illis, pro quibus Chriſtus ſatisfecit? *Nulla condemnatio iis, qui ſunt in Chriſto Jeſu*, *Rom.* 8: 1. Hinc mors non metuenda redemptis, *Heb.* 2: 15. Morti ſua victoria, & ſuus ſepulchro aculeus ademptus, peccatô, mortis aculeô, in carne Chriſti condemnatô &c. 1 *Cor.* 15: 55, 56. Adde; ſi mors fidelium ſatisfactionis locum haberet apud Deum, nulla vivorum, ut Enochi & Eliæ, ad Deum & vitam æternam fieri potuiſſet translatio. Q. *Quid reſpondes, ſi quis nobis ex adverſo objiciat; mortem corporis ne quidem in impiis eſſe ſatisfactoriam; quia nulla ſatisfactio ante ſententiam, quæ reſurrectionem ſequetur: unde in carcere eſſe dicuntur*, 1 *Pet.* 3: 19. R. Etſi mors corporis non ſit ſatisfactio, quæ peccati meritum exæquet, eſt tamen in impiis pœna in partem ſatisfactionis imputanda, quia maledicta & peccati ſtipendium eſt. Carcer ille pœnalis eſt. Quos enim in carcere detineri dicit Apoſtolus, eosdem *ad diem judicii* κολαζομένους *pœnas dantes*, non κολασθησομένους pœnas daturos, ſervari teſtatur idem 2 *Pet.* 2: 9.

2. *Mortem redemptorum non eſſe ſatisfactionem, probatur.*

Mors impiorum anſit ſatisfactoria ante ſententiam ultimi judicii.

III. Q. *Quid igitur mors noſtra, ſi non eſt pro peccatis ſatisfactio?* R. Eſt abolitio peccati & tranſitus in vitam æternam. Q. *Quomodo abolitio peccati?* R. Corporis morte fit, ut peccatum non jam modò regnare in nobis, ſed etiam laceſſere nos, luctamque & pugnam inferre deſinat. Quæ in nobis ſupereſt peccati labes exſtirpatur per corporis deſtructionem: ferè ut uſu venit olim certis quibusdam domibus in Iſraële, ut non niſi dirutæ ab ipſis fundamentis à lepra expurgarentur. Ut autem veterem hominem aboleri oporteat, crucifixione Chriſti, omnem execrationem abolente, effectum eſt, *Rom.* 6: 6. Et Chriſtô ad crucem condemnatô, vetus in nobis homo ad interitum damnatus fuit. Unde illud; *Si Chriſtus in vobis eſt, corpus quidem mortuum eſt propter peccatum*, non puniendum, id enim pugnaret cum antè dictis, ſed abolendum, *Rom.* 8: 10. Hac-

3. *Mors corporis redempto eſt* 1. *Abolitio peccati.*

tenus, quod paradoxum, mors corporis fidelibus beneficium est, ex communione & inhabitatione Christi profluens.

2. *Transitus ad vitam æternam.*

IV. Q. *Mortem deinde nostram esse transitum ad vitam æternam, qui verò ostendis?* R. Cùm in morte vetus homo cum corporis nostri exuviis deponatur & aboleatur, non est quod morientes impediat, quominùs meliore nostri parte apud Deum simus, qui Deus noster est. Atqui quorum ille se Deum dixit, illi certè *Deo vivunt*, *Luc.* 20: 38. *Habitaculum cœleste*, quod jam hanc viventes vitam *induimus*, in morte *non exuimus*, sed *superinduimus*, h. e. penitiùs in idem penetramus, 2 *Cor.* 5: 2, 3, 4. *Ad Christum, cum quo & victuri & regnaturi semper sumus, læta securitate veniamus. Quòd enim morimur, ad immortalitatem morte transgredimur*, inquit Cyprianus *de mortalit.* Unde *mori lucrum* dixit Apostolus, *Phil.* 1: 21, 23.

Quæstio XLIII.

Quid præterea capimus commodi ex sacrificio & morte Christi?

QUòd virtute ejus mortis, vetus noster homo unà cum eo crucifigitur, interimitur, ac sepelitur, ne pravæ cupiditates & desideria carnis posthac in nobis regnent, sed nos ipsos ei hostiam gratitudinis offeramus.

ANALYSIS.

Secundus finis atque fructus sacrificii & mortis Christi est sanctificatio nostri.

I. Expressa verbis allegoricis, quæ triplicem effectum, crucifixioni, morti ac sepulturæ Chri-

Christi ἀναλόγως respondentem, significant; *vetus noster homo unà cum eo crucifigitur* &c.

II. Descripta tùm à causa procreante; *virtute ejus mortis*; tùm à fine duplici per antithesin enunciato; 1. *Ne pravæ cupiditates* &c. 2. *Ut nos ipsos ei hostiam gratitudinis offeramus.*

EXEGESIS.

Quæstionis nexus & argumentum.

Fructus sacrificii & mortis Christi abolitio tùm reatûs nostri, tùm corruptionis.

Utriusque par necessitas.

QUa de causa quærit Catech. *quid* præterea capiamus commodi, &c.? R. Respicit in Quæst. 37----40. ubi priorem sacrificii & mortis Christi fructum, *in abolitione reatûs* nostri situm, expositi: nunc de altero quærit, qui est *abolitio veteris hominis*. Prior ille fructus ad nos redit per *imputationem mortis Christi*, quæ fit in justificatione: Posterior per *conformationem ad imaginem mortis Christi*, quæ fit in sanctificatione.

II. Q. *An utriusque par est necessitas?* R. Omnino: cùm enim ex Adamo peccatore duo trahamus malâ, nempe *Reatum*, & *Corruptionem*: reatus salvandorum dispungendus fuit vicaria morte & satisfactione Christi, unde fidelis *constituitur justus*, *Rom.* 5: 19. Corruptio autem, sive vetus homo, vicarium non habens, pœnas crucifixionis & mortis ipse subire debet, ad quas etiam damnatus est ipsâ sententiâ crucifixionis & mortis Christi.

Abolitio corruptionis cur dicatur crucifixio, &c. veteris hominis.

III. Q. *Corruptio nativa quare dicitur vetus homo?* R. Nominis ratio repetenda ex dictis ad Q. VII. Q. *Quare abolitio veteris hominis exprimitur verbis, crucifigere, interimere, &c.?* R. Quia illius abolitionis causa procreans sive meritoria & exemplaris extat in crucifixione & morte Christi. Unde non miraberis, quod in V. Test. simplicissimis verbis dicitur *recedere à malo*, *facere bonum*, &c. id in Novo Test. dici *crucifigere*, *mortificare carnem*, &c. *vivificare* novum hominem, &c. Quæ etiam causa est, cur Catechesis quærenti, *unde*

vis veterem hominem abolendi proficiscatur? responderi velit; *Quòd virtute ejus mortis* vetus noster homo unà cum eo crucifigitur &c.

Crucifigere, interimere, sepelire vet. hominem quid sit.

IV. Q. *Vetus homo quando & quomodò crucifigitur?* R. Quando usque adeò infirmatur, ut dominari & hominem per omnia sibi obsequentem habere desinat. Q. *Quando & quomodo interimitur?* R. Dum membra, quæ in terra sunt sensim mortificantur, *Col.* 3: 5. donec penitùs consiciantur in morte corporis. Q. *Quomodo sepelitur?* R. Dum abolita corruptione, corpore tumulato, ceu datâ pœnâ, vetus homo justificatus censetur, qua ratione in maleficorum nece fieri consuevit. Q. *Habesne hujus tuæ explicationis fundum in Scriptura?* R. In eo, quòd Scriptura veterem hominem *crucifigi* & *interimi* dicit, idque facere, quanquam gratiæ sit, tamen inter officia vocationis nostræ connumerat, *Gal.* 5: 24. *Col.* 3: 5. nusquam autem, quod meminerim, veterem hominem sepeliri lego: sed nos *consepultos* restatur Apostolus *Christo per baptismum in mortem*, h. e. communionem habentes bonorum, quæ ex morte & sepultura Christi proveniunt, mysterium hoc adumbrante & obsignante baptismo per baptizandorum immersionem, quæ instar sepulturæ habet: *Rom.* 6: 4. Quemadmodum autem cum morte & sepultura Christi, propter ablatam execrationem, necessariò connexa fuit vita & resurrectio: sic habentes communionem in morte & sepultura Christi, etiam communionem habemus in vita ejus & resurrectione, docente Apostolo ibid. v. 5.

Quem in finem vetus homo crucifigendus, &c.

V. Q. *Quo fine & effectu veterem in nobis hominem crucifigi & interimi dicis?* R. I. Ne pravæ cupiditates & desideria carnis posthac in nobis regnent. Q. *Quare Catech. non dicit; ne amplius in nobis existant; aut ne se posthac moveant, exorant, nobisque negotium facessant?* R. Quia intelligi vult de effectu crucifixionis, quem præsentis vitæ conditio fert, manente lucta carnis & Spiritûs, *Gal.* 5: 17. Unde Apostolus *veterem hominem unà crucifixum* dicit, *ne amplius serviamus peccato*, *Rom.* 6: 6. II. Ut nos ipsos ei hostiam gratitudinis offeramus. Quo de officio ad Quæst. XXXII. dictum memini.

Quæ-

Quæstio XLIV.

Cur additur, descendit ad inferna?

UT in summis doloribus & gravissimis tentationibus me hac consolatione sustentem, quòd Dominus meus Jesus Christus inenarrabilibus animi sui angustiis, cruciatibus & terroribus, in quos cùm anteà, tùm maximè in cruce pendens fuerat demersus, me ab angustiis & cruciatibus inferni liberavit.

ANALYSIS.

Ad Quæst. super articulo de descensu Christi ad inferna, Catech.

I. Articulum exponit metaphoricè de *angustiis, cruciatibus* & *terroribus*, quos Christus, *cùm ante* crucifixionem, *tùm maximè in cruce pendens* animô pertulit.

II. Descensus illius finem atque fructum proponit; *Ut in summis doloribus &c.* Ubi observetur. 1. Malum cui quæritur levamen, *summi dolores* &c. 2. Levamen, quod est consolatio; *me hâc consolatione sustentem.* 3. Consolationis argumentum; *Quòd Dom. meus Jesus Christus inenarrabilibus animi sui angustiis---me ab angustiis & cruciatibus inferni liberavit.*

EXEGESIS.

Nexus & ordo tractationis.

Hic Catech. ultimum exinanitionis Christi gradum exponit, nempe *Descensum ad inferos*. Quæ particula Symboli Apost. controversa & plena dissensionis est inter Doctos. Lutherani & Pontificii sensum literalem amplexi, opinionibus tamen dissident; quos tantisper audiri & refelli operæ pretium est.

Lutheranorum sententia super articulo de descensu Christi ad inferos.

II. Illos quod attinet, Scripturam gemini descensus Christi ad inferos meminisse, dicit magni apud ipsos nominis Theologus: *metaphorici* nempe & *propriè dicti*. Illum per acerbissimos cruciatus & dolores verè infernales describi, atque humiliationis & extremæ κενώσεως; hunc verò corporalem Christi ad sedem damnatorum descensum, atque triumphi & gloriosissimæ victoriæ esse, de quo etiam Symboli Apost. articulum intelligendum esse contendit, etsi fateatur, phrasin eandem de hominibus usurpatam in Scriptura nunquam nisi summam significare angustiam. *Quærenti igitur, quando, & quo fine Christus ad inferos descenderit*, respondet; Christum, ut Θεάνθρωπον, animâ & corpore, redivivum, in primo resurrectionis momento, & quidem, quod quibusdam suæ communionis placuisse dicit, in illo ipso magno terræ motu, de quo *Matth.* 28: 2. ad inferos descendisse, ut se declararet destructorem universæ potestatis infernalis & judicem damnatorum severissimum. Brochman. de *Servat. n. J. C. Sect. XIV. Quæst.* 3. & 7. Verùm quicquid de Symboli articulo senserint ejus authores, Lutheranis hactenus assentiri non possumus. I. Quia, fatente authore allegato, phrasis, *descendere ad inferos*, de hominibus usurpata non nisi summas & infernales angustias designat. Quô verò indiciô & argumentô probatum dabit, alium ejusdem phraseos significatum esse, ubi de Christo usurpatur? heic necesse est vel ex Scriptura judicet, vel se Scripturæ judicem faciat. 2. Quia nusquam in S. Literis docemur, Christum animâ & corpore, priusquam è sepulchro prodiret, redivivum ad inferorum loca descendisse. 3. Descensûs

Quæ paucis refellitur.

substan-

substantialis & *localis*, quem vocant, nullus est usus. Neque enim in gehenna triumphavit Christus, neque triumphi præconium, quod est Evangelium, ibidem audiri, necesse fuit.

III. Romanensium Doctorum sententia est: Animam Christi à corpore separatam ad omnia inferni loca descendisse, non ut pœnam ibi subiret; sed partim, ut potentiam suam Diabolis & spiritibus damnatis ostentaret: partim ut *animabus justorum*, puta patrum V. T. *duo magna bona conferret, beatitudinem essentialem, & eductionem ex eo carcere, ac deductionem in cœlum: quorum primum continuò illis præstitit, secundum autem non diu postea.* Bellarm. *Tom. I. cap. 16. de anima Ch. lib. IV.* Sed hanc opinionem si nulla res alia refelleret, nisi quòd nullô Scripturæ locô nititur, satis id esset ad eam rejiciendam. Quæ Bellarm. & alii allegant Scripturæ testimonia, vel de sepultura, ut *Eph.* 4: 9. vel de potestate mortis, ut *Psal.* 16: 10. vel de liberatione Israëlitarum à reatu peccati & servitute legis, ut *Zach.* 9: 11. vel de prædicatione justitiæ & resipiscentiæ Spiritu Christi in diebus Noæ & per Noam facta, ut 1 *Pet.* 3: 19. vel denique de extremo mœrore & angore, quibus anima iræ divinæ sensu tacta obruitur, ut 1 *Sam.* 2: 6. exaudienda sunt. Deinde Christus per mortem *ibat ad vitam*, *Psal* 16: 11. & in *Paradisum*, *Luc.* 23: 43. non igitur ad inferos. Limbus Patrum est commentum. *Filii Dei* omni tempore *in gloriam fuerunt introducti*, *Heb.* 2: 10. & 12: 23.

Pontificiorum super eodem articulo sententia paucis exponitur & refellitur.

IV. E nostris quoque Theologis de hujus articuli sensu aliud aliis videtur: sed ne longus sim, id solùm addo, esse, qui *descensum ad inferos*, de sepultura interpretantur: quibus respondet B. Calvinus; *Quod de verbi significatione obtendunt, verum esse concedo, sed eorum opinioni rationes duæ repugnant, quibus ego facilè adducor, ut ab illis dissentiam. Quantæ enim ociositatis fuisset, rem minimè difficilem, verbis expeditis & claris demonstratam, obscuriore deinde verborum complexu indicare magis, quàm declarare, &c. Deinde, non est verisimile, irrepere potuisse superfluam ejusmodi battologiam in compendium hoc &c. Institut. lib. II. c. 16. §. 8.*

Nostrorum nonnulli descensum Christi ad inferos de sepultura ejus interpretantur. Quos refellit B. Calvinus.

Idem author Symboli articulum de lucta illa Christi, quâ cum inferorum copiis, æternæque mortis horrore, quasi consertis manibus, luctatus est, exaudiendum existimat. Objicienti, *hôc modò perverti ordinem, dum sepulturæ subjicitur quod præcesserat.* R. In Symbolo non temporis, sed rerum servari ordinem, author mox laudatus, aliique respondent, ita quidem ut expositis, quæ in hominum conspectu passus est Christus, opportunè subjungatur invisibile illud & incomprehensibile judicium, quod coram Deo sustinuit. Nos quidem non abs re dubitare videmur, an authores Symboli hanc particulam eo sensu intelligi voluerint: I. Quia hic unus articulus præter ordinem in Symbolo servatum, locum obtineret singularem. In cæteris enim servato temporis ordine quod priùs evenit, priùs narratur. Quæ methodus etiam simplicissima est & Catechumenis aptissima. II. Eadem de causa Symboli Authores non figurato, sed proprio atque etiam rudioribus Christianis obvio sermone uti voluisse verisimile est.

De isto articulo idem sensérint Symboli Authores, quod Calvinus, non temerè dubitatur.

V. *Quærenti an ergò Catech. non rectè faciat, quando descensum ad inferna sensu metaphorico interpretatur?* R. Facit, quod hac in parte potest atque debet. Ut verò quid sentiendum sit, certiùs constet, ante omnia tenendum, Apostolos non esse authores Symboli, uti suô locô nobis probatum. Deinde articulum de descensu ad inferos ne quidem in uno ex antiquis Symbolis reperiri, quorum mentio facta est tribus prioribus Christianismi seculis. Prima ejus mentio fit in Symbolo Athanasiano, quod tamen Athanasii non est. Unde nonnulli verisimiliter factum credunt, ut cùm in Symbolo Nicæno habeantur verba, *sepultus est*, in Athanasiano omissis illis legatur, *descendit ad inferos;* sequentibus seculis ad verba Symboli Nicæni, *sepultus est;* ex Athanasiano explicationis gratiâ ad marginem adjecta fuerint verba, *descendit ad inferos;* quæ postea ex margine in ipsum Symbolum recepta, simulque eodem tenore recitata fuerint, vel certè casu quocunque in textum irrepserint, & tempore eandem cum cæteris articulis authoritatem sint consecuta.

Rectè tamen facit Catech. quando articulum interpretatur de descensu ad inferos metaphorico.

cuta. Hæc fateor difficultatem meditanti uteunque levare possunt, neque tamen omni dubio carent. His porrò non obstantibus articulum istum libenter cum Romanis hoc tempore profitemur, & à præcedentibus distinguimus: verùm quia Symbolo fidei nihil inserendum, nisi cujus certa & inconcussa fides è Dei verbo fieri queat, eo demùm sensu, quem Scriptura probet, intelligendum recipimus, parùm soliciti, qua mente eundem intelligi voluerint Symboli Authores, cùm non fuerint Apostoli. Sensus autem qui S. Scripturæ sit conformis, & simul distinctè doceat, quod præcedentes articuli disertè non docent, metaphoricus est, quem Catech. amplectitur, quando *ad inferna descendisse* interpretatur; *Dominum meum J. Christum in inenarrabiles animi sui angustias, cruciatus, & terrores, cùm anteà, tùm maximè in cruce pendentem, fuisse demersum.* Catecheten sic sentientem ut defendamus, tria nobis probanda sunt 1. Christum non tantùm in corpore, sed & in anima passum esse dolores acerrimos. 2. Illos dolores rectè appellari infernales. 3. De iisdem rectè intelligi articulum de descensu ad inferna.

Christum, etiam ἀμιᾶσως in anima acerrimos perpessum esse dolores probatur.

VI. Q. *Unde probas, Christum in anima acerrimos atque exquisitissimos perpessum esse dolores?* R. Christum in anima passum esse, quò diximus sensu ad Q. 37. multa comprobant. S. Perturbatio, horror, angustia animi, mœror, &c. in quos Christus paulò ante mortem incidit, quosque pòst in cruce persensit. Q. *Eos verò dolores fuisse acerbissimos quî probas?* R. Id docent I. Christi verba, *Matth.* 26: 38, 39. & 27: 46. II. Vultus, *Matth.* 26: 37. *Marc.* 14: 33. *Luc.* 22: 44. III. Gestus, *Marc.* 14: 35. IV. Sudor sanguineus, *Luc.* 22: 44. V. Idem res ipsa non tàm dicere, quàm clamare videtur. Christo, ut sponsori iniquitatibus nostris onerato, mors non jam dura tantùm, violenta & ignominiosa, sed etiam maledicta fuit adeunda: hinc *factus* dicitur *pro nobis* κατάρα, *Gal.* 3: 13. vim igitur maledictionis ut in vinculis & plagis, sic maximè in morte persensit, ejusque horrore perculsus fuit. Unde *mortem gustavit*, vim & aculeum mortis maledictæ sensit, *Heb.* 2: 9. quò sensu

Christus

Christus mortem gustaturos negat, qui sermonem ipsius servaverint, *Joh.* 8: 52. 2. Idem denique docet passionum & mortis Christi finis, qui est *demonstratio justitiæ* Dei, *Rom.* 3: 25, 26. Cujus severitas sola passione & morte corporis homini, ad iram Dei æstimandam segni, *Ps.* 90: 11. quantum satis est demonstrari non potest. Verissimè Calvinus; *Nihil actum erat*, inquit, *si corporea tantùm morte defunctus fuisset Christus; sed operæ simul pretium erat, ut divinæ ultionis severitatem sentiret, quò & iræ ipsius intercederet & satisfaceret justo judicio* &c. Obj. *Anxietatem illam fortè mortis instantis metus animo Christi expressit.* R. Sic Christus quovis martyre mollior fingeretur. Martyres quàm plurimi allatum mortis nuncium cum gaudio exceperunt, & intrepidi ac hilares ad supplicia processerunt, *ignominiam cantantes partem suam, Esai.* 61: 7. Reponit Bellarm. *Christum non timuisse coactum* &c. *sed ut copiosa esset redemptio, voluisse etiam pœnam mœroris & timoris subire, & ideo non permisisse, ut redundaret ex parte superiore gaudium in partem inferiorem, nec avertisse cogitationem à morte imminente* &c. *lib. IV. de anima Chr. c.* 8. *Respondetur Bellarmino.* R. 1. Inepta est indivisibilis animæ divisio in partem superiorem & inferiorem. 2. Mœror & timor animæ passiones sunt, propensioni adversæ, à malo præsente vel imminente, non à voluntate, proficiscentes, secùs ne quidem pœnæ rationem habituræ. 3. Gaudium tùm temporis in anima Christi nullum fuisse testatur Scriptura, ergò ex parte superiore in inferiorem nec redundare, nec voluntate intercipi poterat. 4. Etsi non averterit cogitationem à morte imminente, indignum tamen fuisset tàm forti heroë; ut etiam animi cogitationem in morte defixam habens, eam tantoperè horreret.

Dolores animæ Christi rectè dici infernales demonstratur.

VII. Q. *Dolores illos animæ Christi acerbissimos rectè appellari infernales, unde doces?* R. Id I. liquet ex Scriptura: Vide *Psal.* 18: 5, 6. *Ingruerunt mihi dolores mortis, torrentes Belial perterrefaciebant me: dolores inferni circumdederunt me.* Quibus verbis Christum in Davide, typo suo, conquerentem exaudiendum esse docemur, *Rom.* 15: 9. *Heb.* 2: 13. II. Scriptura de doloribus infernalibus loquens non aliis utitur phrasibus, quàm quæ do-

loreş

lores exquisitissimos verbis cùm propriis, tùm metaphoricis significent. Quò pertinet θλίψις καὶ στενοχωρία, *Rom.* 2: 9. *Ira Dei*, ἐξόχως intelligenda, *Joh.* 3: 16. qualis describitur *Nah.* 1: 6. dolores, quales parturientium, 1 *Thess.* 5: 3. item, quales ab igne, 2 *Thess.* 1: 8. & alibi. *Hæc*, inquit Calvinus, *valdè est terribilis, longeque miserrima inferorum abyssus, sentire, te à Deo derelictum & alienatum, & quum invocaveris non exaudiri, perinde ac si in tuam perniciem ipse conspirâsset. Eò Christum videmus fuisse dejectum, ut coactus fuerit, urgente angustia exclamare, Deus mi! Deus mi! ut quid me deseliquisti?*

VIII. Q. *Ergòne Deus Filio suo fuit adversarius & iratus?* R. Nequaquam id inde concludendum. Quomodo alioqui Christus Patrem sua intercessione aliis placaret, quem ipse sibi infensum haberet? Sed hoc docemus, Christum divinæ severitatis gravitatem sustinuisse, quoniam manu Dei percussus & afflictus omnia irati & punientis Dei signa expertus est. Atque hinc *crux, mors, inferi, nostra vita sunt*, inquit Hilarius, l. 4. 2. & 3. *de Trinit.*

Neque tamen inde consequitur, Patrem Filio suo fuisse adversarium & iratum.

IX. Q. *Ergòne, ut adversarii fidei nostræ calumniantur, Christum desperâsse dicimus, eò quòd pœnas infernales comitari solet desperatio?* R. Nequaquam. Odium enim Dei, desperatio, blasphemiæ ex desperatione ortæ, animi intemperiæ, impotens efferatio, impatientia, murmura, sunt peccata damnatorum, qui cùm corruptissimi sint & surdis malæ conscientiæ verberibus identidem exagitentur, dolorum acerbitate victi omnem fiduciam abjiciunt, &c. Desperatio igitur non ad substantiam supplicii spectat, sed ex vitio & malitia damnatorum provenit. In Christo autem, cùm esset Filius Dei *sanctus, innocens, impollutus, à peccatoribus segregatus*, dolores quàmlibet acerbi & gravissimi nec amorem Dei delibare, nec fiduciam in Deum ullò modò labefacere, nedum intervertere poterant. Q. *Id verò unde constare dicis?* R. Ex eo, quòd etsi se derelictum quereretur, nunquam tamen de salute sua actum credidit, neque adeò desperavit, quod arguunt verba fiduciæ plenissima, *Deus*

Nedum nos statuere, Christum desperâsse.

mi! Deus mi! Unde Apostolus eum dicit *exauditum*, h. e. liberatum *à metu*, *Heb.* 5: 7. Metui ergò non indulsit, sed fiduciâ eum cohibuit, fortiterque vicit. Calvinus ad locum; *Quum εὐλάβεια Græcis plerumque sit metus vel solicitudo* (unde LXX. Hebr. יראה eo nomine vertunt) *non dubito, quin significet Apostolus, exauditum fuisse Christum ex eo quod timebat; ne scil. malis obrutus succumberet, vel morte absorberetur. Nam ad hoc quoque certamen descendit Filius Dei, non quòd diffidentiâ laboraverit, ex qua proveniunt omnes nostri metus, sed quòd sensu carnis sustinuerit Dei judicium, cujus terror sine arduo conatu vinci non poterat.*

Christum, etsi fiduciam in Deum illibatam retinuerit semper, tamen dolores sustinuisse infernales, omni consolationis sensu tantisper destitutum.

X. Obj. *Atqui si fiduciam retinuit, non omni consolatione destitutus, neque adeo pœnis infernalibus subjectus fuit.* R. Id certissimum, Christum de fiducia in Deum nihil remisisse: neque tamen, quo tempore querelam de suî desertione in cruce effudit, ullo dulcedinis sensu, quem auxilii divini fiducia afflictis ingerere solet, permulcebatur: suavis enim ille sensus cum horroribus inferni, qui extremi sunt, componi non potest. Anima igitur Christi in Deo confisa, sed doloribus & horroribus inferni circumvallata, tantisper id non attendit, acerbitate dolorum omne solamen intercipiente. Idque factum oportuit, ut dolores inferni gustaret. Quæ œconomia, fateor, ut admirabilis, sic prorsus ineffabilis est. Christi sanè, sponsori nostro, ea lex dicta fuit, quæ ipsum usque eò se demittere juberet, ut mortem æternam gustaret, iræque divinæ severitatem sentiret, atque eum sensum querelâ de suî desertione nobis ad conscientiam manifestaret. Huic voluntati Patris obediens factus ad supplicium usque crucis maledictum, non peccavit, sed legem implevit. Alia certè ratio querelarum, quas fideles desertione tentati dolorumque acerbitate perturbati, indeque adeò sæpè ex diffidentia de suo statu aliter atque est, judicantes, effundunt. Sensit igitur Christus dolorum infernalium extremitatem, non item ἀταξίαν, *quodammodo separatus à Deo, quod ad affectionem commodi, præsenti ejus consolatione destitutus, licèt non quoad affectionem justitiæ, quia nihil inde ei inordinati accidit.* Maresc. *Loc. IX. §. 46.*

XI. Q.

XI. Q. *Quonam fine suo & fructu nostro passus est Christus dolores illos animæ acerbissmos?* R. 1. Ut nostram vicem satisfaceret severissimo Dei judicio. 2. Ut tentatus per omnia sicut nos, sed absque peccato, sic tentatis succurrere posset, *Heb.* 2: 18. & 4: 15. Fidelibus sæpè sæpiùs accidit, ut tentati sibi persuadeant, se à Deo esse desertos, quo casu peccant, non satis confisi Deo. Christus iis subvenire potest, præstita etiam pro illo dubitationis & diffidentiæ peccato satisfactione. *Passionum animæ Christi finis atque fructus quis.*

XII. Q. *Superest, ut ostendas, quare de istis animæ Christi doloribus & angustiis descensus ad inferna in Symbolo Apost. exponi possit?* R. 1. Quia nobis saltem, de mente authorum Symboli non sollicitis, ob rationes allatas nec de locali descensu, nec de sepultura, istum articulum interpretari convenit. 2. Alioquin in Symbolo Apost. altum foret silentium, quantum ad passionem animæ Christi, quæ plurimum habet momenti in consolatione, quam Symboli doctrina promittit. *De iisdem an rectè exponatur Symboli articulus.*

Obj. *Atqui huic sententiæ repugnant voces illæ Hebræa & Græca?* R. Minimè. Propriè quidem שאול à verbo *Schaal*, *quæsivit*, deducta, notat eam terræ partem, quæ est intra superficiem, atque adeò regionem mortis & locum corruptionis, in quo qui est, tanquàm ἀϊδης (unde ἅδης) quæri & desiderari solet. Qualis locus Jonæ venter ceti, *venter inferni* dictus, *Jon.* 2: 2. Quem significatum quoque infert opposita phrasis, *terra viventium.* Per metaphoram deinde vox eadem vel de sola anima usurpatur, significans ejus aut mansionem in morte peccati, aut sensum iræ divinæ: vel de anima & corpore conjunctim; quo casu miseriam damnatorum æternam denotat. Exempla videsis 1 *Sam.* 2: 6. *Psal.* 18: 6. *Prov.* 5: 5. & 7: 27. *Psal.* 49: 16. & 116: 3. & alibi. *Sententiæ Catecheseos non repugnant voces Scheol & ἅδης.*

Quæstio XLV.

Quid nobis prodest resurrectio Christi?

PRimùm, *suâ resurrectione mortem devicit, ut nos posset ejus justitiæ, quam*

quam nobis suâ morte pepererat, participes facere: Deinde nos quoque jam ejus potentiâ ad novam vitam excitamur. Postremò resurrectio capitis nostri Christi, nobis gloriosæ resurrectionis nostræ pignus est.

ANALYSIS.

I. Suppositâ resurrectionis Christi veritate, quærit de fructu indidem percipiendo.

II. Fructus commemorantur tres.

1. Victoria mortis, tùm posita, *suâ resurrectione mortem devicit:* tùm declarata à fine, *ut nos posset ejus justitiæ----participes facere.*
2. Excitatio nostrî ad novam vitam; *Deinde, nos jam quoque ejus potentiâ ad novam vitam* &c.
3. Confirmatio fidei nostræ de resuscitatione corporum nostrorum; *Postremò, resurrectio capitis* &c.

EXEGESIS.

Nexus. Quis hujus *Quæstionis cum præced. est nexus?* R. Hactenus de statu Exinanitionis Christi, sequitur status Exaltationis, plenus gloriæ & majestatis, *Phil.* 2: 9. Q. *Qua in re spectanda est illa exaltatio?* R. In eo, quod Christus 1. Deitatem suam sub servi forma hactenus occultatam clarissimè manifestavit. 2. Humanitatem, ab omnibus animæ corporisque infirmitatibus liberatam, qualitatibus gloriosis supra omnes creaturas, salvâ tamen manente ipsâ essentiâ & proprietatibus ejus, condecoravit. Q. *Simulne & semel facta est Christi exaltatio?* R. Ejus quatuor recensentur gradus in Symboli Apost. articulis 5. 6. & 7. nempe Resur-

Christi exaltatio qua in respectanda.

Exaltationis Christi

Resurrectio, Ascensio in cœlum, Sessio ad dextram Patris, & Reditus ad judicium. *gradus quatuor.*

II. Q. *De primo igitur Exaltationis gradu, quando in Symbolo profitemur, credo in J. Christum ... qui tertio die resurrexit à mortuis; quid significamus?* R. Nos testimonio Dei de Christi resurrectione fidem habere, etsi eum non videamus; fides enim nititur testimoniô. Quæ fides cùm Christianis sit indubitata, Catech. resurrectionis Christi veritatem non demonstrat, sed supponit, satis habens inquisivisse de fructibus, quos inde percipimus. *Primus gradus est Resurrectio.*

III. Q. *Quæ tamen tibi circa hunc articulum fidei sint firmamenta scire cupiam?* R. Primum argumentum probandæ resurrectioni Christi suppeditant testes. Obj. *Atqui Christum multo manè resurgentem nemo hominum vidit.* R. Nihilominùs testes, qui Christum viderunt & agnoverunt redivivum, extitere plurimi, iique locupletissimi & minimè suspecti, in quibus nec probitatem, nec fidem, nec prudentiam meritò desideres. Q. *Ostende testes fuisse plurimos?* R. In his fuere mulieres, Apostoli & alii, quibus tandem accessit hostis & persecutor Christi Saulus, ab eo tempore Paulus dictus: qui 1 *Cor.* 15: 6. ad testes plus quingentos provocat, queis Jesus post mortem redivivus fuerit conspectus. Atqui mos non est mentientium, ad tam multos provocare testes. Neque fieri potuit, ut qui se tantô numerô testes profiterentur, in falsum testimonium conspirarent, uti mox dicenda probabunt. Adde, quòd Paulus locô citatô testes adhibeat vivos & mortuos: atqui mortuorum testimonia plurimùm valent in rem, de qua vivi etiamnum & superstites interrogati testimonium dicere possunt, & ubi viventes mortuis consentiunt. *Cujus demonstranda argumenta afferuntur: I. A testibus, qui plurimi fuere.*

IV. Q. *Unde doces, testes fuisse minimè suspectos?* R. Constat, neque mulieres, quæ primæ resurrectionem Christi nunciârunt, neque discipulos Christi, finxisse, vel ex composito facere aut dicere quicquam potuisse. Q. *Qui verò?* R. Illas quidem nullius fraudis in corpore Christi commissæ conscias fuisse, vel inde patescit, quia cum summo manè ad sepulchrum ac- *Et minimè suspecti fraudis, &c.*

cessissent, neque corpus Domini reperissent, ea in re hæsitâsse dicuntur, donec ab Angelis, quos Angelos lucis fuisse, argumento sunt vestes fulgurantes, rei veritatem edocerentur. Quô factô *reversæ à monumento annunciaverunt hæc omnia illis undecim & cæteris omnibus*, *Luc.* 24: 4---- 9. Discipulis verba mulierum isthæc nunciantium visa dicuntur quasi deliramenta, neque adeò credita, *Luc.* 24: 11. Quin imò dubitabant iidem etiamnum, cùm idonea rei visæ testimonia benè multa adessent. Nota est Thomæ cunctatio, qui nisi omnium quasi sensuum testimoniô rem haberet compertam, se crediturum negavit. Quæ incredulitas ejus haud spernendum fidei nostræ est firmamentum, *Joh.* 20: 25. Non ex composito egisse discipulos, patet, tùm quia metu exterriti in horto, fugâ dilapsi & dispersi latuerant: tùm quòd Petrus & Joh. auditô ex Maria Magd. Dominum è sepulchro sublatum, neque sibi constare, ubi eum reposuissent, illicò in pedes se conjecisse perhibentur, cursuque contendisse ad sepulchrum: id quod argumento est, illos, quid de corpore Christi factum esset, ignorâsse, *Joh.* 20: 2, &c. Neque dixeris, eos ignorantiam simulâsse: quandoquidem cum tanta virium contentione cucurrerunt, ut posterior priorem præverteret. Johannes, qui cursu prævalebat, ætate minor, sepulchrum, metu prohibente, ingredi non ausus, donec secutus Petrus adesset, satis habuit inclinato corpore introspexisse. Unde quidem horum testium sinceritas & ingenuitas ab omni simulationis fuco aliena concludi potest.

Et rei testandæ prudentes & abundè gnari.

V. Q. *Quomodo ostendis in testibus illis non desiderari prudentiam?* R. Illos totam rem gestam probè fuisse edoctos, nemo cum ratione dubitabit. Christus redivivus non jam singulis tantùm, & semel, sed pluribus unà, imò universis discipulis congregatis, diu atque sæpiùs apparuit, *Luc.* 24. *Joh.* 20. & 21. *Act.* 1: 3. 1 *Cor.* 15: 6. Augustino notante, decies apparuit, aliquando & cibum sumpsit cum discipulis, *Joh.* 21: 13. quò Petrus provocat, *Act.* 10: 41. Atqui ut nulla ratio familiariùs agendi, quàm in convictu; sic etiam nulla

ratio

ratio exploratiùs cognoscendi talis facti veritatem. Unde Lucas; *Quibus etiam stitit seipsum vivum, postquam passus esset, cum multis τεκμηρίοις certissimis signis, per dies 40. conspectus ab eis*, *Act.* 1: 3. sese igitur redivivum exhibuit, & signum post signum, interjectâ aliquâ morâ, meditandum obtulit: ut si unius signi consideratione facta difficultatis quid vel scrupuli supereſſet, aliud signum scrupulo eximendo oblatum expenderent. Quemadmodum præceptor librum in pensa distributum per intervalla discipulo ediscendum præscribit. Hinc quia Apostoli ad hoc testimonium de resurrectione Domini publicandum Dei consiliô Christique provisu delecti & vocati fuêre, μάρτυρες τῆς ἀναστάσεως Χριστοῦ inde dicti, *Act.* 1: 22. Christum redivivum vidisse requirebatur in Apostolo, 1 *Cor.* 9: 1.

VI. Q. *Quomodo tandem doces, hos testes etiam fidem mereri ob probitatem, neque adeo spe commodorum seculi inductos ad testandum unanimiter quod ipsi confinxerint?* R. Constat Viros fuisse probos, vitâ ne ab adversariis quidem culpatâ: quibus etiam nihil objiciebatur præter simplicitatem solam, cujus ingenium à confingendo mendacio longissimè abest. Nemo etiam eorum fuit, qui non gravissima quæque passus sit propter illam professionem de Jesu resuscitato, multis ipsorum morte exquisitissima ob idem testimonium affectis. Jam verò, ut quis sensûs sui compos talia toleret ob conceptam animô opinionem, fieri potest: at ut ob falsum, quod falsum esse nôrit, tam dura pati velit, non unus aliquis, sed plures, quorum id falsum credi nihil interſit, res est planè absurda. Sanæ mentis autem fuisse Apostolos, & vita & scripta satis testantur. Ex adverso, si quod verum crediderunt & constanter affirmârunt, reticere voluissent, plagas, injurias, labores & mortem silentiô redimere & commoda terrena lucrari potuissent. *Vitæ porrò probatæ & inculpatæ.*

VII. Q. *Estne amplius, quô fidem testimonii Apostolici de resurrectione Christi firmes?* R. Dictis accedit, quòd testimonium fuit omnium unanime, viva voce inter Judæos & Gentes, & conscriptis libris, publicatum, *Accedunt alia, quæ fidem testimonii de resur-*

rectione Christi firmant.

catum, miraculis quàm plurimis confirmatum, & sanguine obsignatum, idque eo successu, ut *creditus fuerit Christus in mundo*, 1 *Tim.* 3: 16. Apostolorum porrò testimonium audivit Ecclesia primitiva N. T. examinavit & verum deprehendit. Hinc factum, ut fidelium plurimi istis temporibus morte sua ejus veritatem obsignare minimè dubitarent. Idem testimonium audivere Judæi, hostes Christianorum infensissimi, neque quicquam allegare poterant, quò fraudis & falsitatis idem revinceretur, neque adeo impedire, quominùs reluctante licèt omni potentiâ humanâ, fides illi testimonio habita longè latéque propagaretur. Atque hoc est primum probandæ resurrectioni Christi argumentum à testibus desumptum.

II. *Secundum argumentum ex sepulchri inspectione, &c.*

VIII. Q. *Quodnam est secundum?* R. Id suppeditat sepulchri inspectio. Primùm enim lintea, quibus sanctum Servatoris corpus fuerat involutum, in sepulchro relicta, arguunt, corpus non fuisse furtim ablatum, furibus non tàm diù cunctaturis, donec corpus linteis expediviſſent; quid? quòd linteis involutùm commodiùs auferri potuisset. Obj. *Corpus auferentibus lintea casu avulsa fortè alicubi obhæserunt.* R. Saltem sudarium, quò caput fuerat obvolutum, à linteis separatum capiti hæsisset: atqui & hoc seorsim in sepulchro relictum, suòque locò sepositum memoratur, *Joh.* 20: 6, 7. Quæ satis ostendunt, nihil hîc casu, vel præpropero studiò, quale furantium esse solet, sed ordine omnia esse gesta, atquè ideò tanquam indubium veritatis argumentum ab Evangelista annotata. Discipuli certè, fugâ dilapsi & præ metu latitantes, corpus Christi suffurari vel potuisse vel voluisse dici non possunt, monumentò non tantùm lapide munitò & obsignatò, sed additò etiam custodum præsidiò. Obj. *Si dicas, custodibus forte dormientibus discipulos Christi corpus abstulisse?* R. Id quidem fuisse commentum Sacerdotum & Seniorum, *Matth.* 28: 12, 13. quo divulgato tamen nihil profecerunt, commenti futilitate nimiùm pellucente. Etenim 1. Discipuli erant dissipati. 2. Nulla verisimilitudine fingi potest, custodes universos dormiisse, ne uno quidem vigilante, quanquam habe-

Dici non posse, corpus Christi furtim è sepulchro ablatum à discipulis, vel ab hostibus, &c.

haberent centurionem. 3. Quomodo lapidem amoliri & corpus auferre, ne uno quidem expergiscente? 4. Finge universos dormivisse: ergò sermo ille Sacerdotum & Seniorum jussu divulgatus, fundamentô caret, cùm facti hujus testes producantur, qui dormiverunt. Tandem ab hostibus ablatum nulla veri specie dici potest. Etenim cadaver ostendere nec potuerunt, nec aliud unquam pro Christi corpore subjicere tentârunt, haud dubiè id, si possent, facturi ad irrisionem & exsibilationem religionis Christianæ, cujus præcipuum fundamentum est resurrectio Christi.

III. *Tertium argumentum probandæ resurrectioni sunt monumenta quædam, &c.*

IX. Q. *Estne tibi aliud aliquod argumentum pro veritate resurrectionis Christi?* R. Eandem comprobant monumenta quædam evidentia & indubitata, quæ Christus cùm ante mortem, ut resurrecturus, instituit, quale est S. Cœna: tùm post resurrectionem vel ipsemet sancivit, quale est baptisma gentium, *Matth.* 28: 19. vel per Apostolos dedit; quale monumentum sunt Scripturæ N. Testamenti: vel denique Christo dedicante inde ab Apostolorum ætate usque in memoriam resurrectionis Christi celebrantur; quale est *dies Dominica*, sic dicta, quòd Dominus ea die resurrexerit, eâdemque discipulis ita apparuerit, ut quoties quidem id factum memoratur, dies ista prima Sabbatorum exprimatur. Omnia hæc monumenta, cùm re gesta nitantur, si ea res gesta firmiter probata non esset, nunquam ab hominibus nec stultis & id verum esse nolentibus, sine armis, frustrato hominum furore, credita fuissent, & in omnium usum venissent.

Accedit, quòd Christus resurrexit juxta prophetiam.

X. Q. *Nihilne amplius restat, quod ad hanc veritatem comprobandam faciat?* R. Nihil, nisi, quòd Apostoli Christum Jesum resurrexisse docuerint secundùm Scripturas Propheticas, 1 *Cor.* 15: 4. confer *Luc.* 24: 25, 26, 27. Unde argumentis hactenus allatis non parum roboris accedit.

Argumenta ista quam vim habeant & usum in infideli.

XI. Q. *Argumentis illis quam tribuis vim, ubi Christiano res est cum infideli?* R. Etsi homini, qui non prorsus rationi valedixerit, convincendo sufficiant, tamen, nisi intus fidem operante Spiritu, non persuadent, quod facilè pater attentè legenti locum, *Eph.* 1: 16, 17,

16, 17, &c. Hinc adeò noviſſimum miraculum, quod Chriſtus ἀμέσως patrare voluit, erat ſolennis illa effuſio Spiritûs S. in feſto Pentecoſtes facta, ut patefaceret, quòd quicquid hactenus dixiſſet & egiſſet, ad fidem adducere non poſſet quemquam, niſi effuſo ſuper eum Spiritu fidei. Atque hæc de veritate reſurrectionis Chriſti: nunc expendendi veniunt ejusdem fructus, de quibus Catecheſis.

Chriſtum ſuâ, non alienâ virtute è morte reſurrexiſſe probatur.

XII. Q. *Priusquàm eò veniamus, reſponderi mihi velim ſuâne Chriſtus, an alienâ virtute reſurrexerit?* R. Suâ: quod argumentum eſt, eum verum eſſe Deum, ſiquidem miraculum majus cogitari non poteſt, quàm mortuum à ſe mortuo excitari. Atqui Chriſtus J. mortuus ſe ipſe mortuum ſuſcitavit. In cujus rei fidem allego illud; *Nemo tollit animam meam à me: pono eam a me ipſo; poteſtatem habeo ponendi eam, & poteſtatem habeo reſumendi eam*, *Joh.* 10: 18. Significat enim quòd mortis & vitæ ſuæ cauſa non alia ſit, quàm ipſe: quòd eam ponat & reſumat pro arbitrio, quia ſic velit. Atqui authorem eſſe rei tantæ, non aliô modô, quàm quia ita velit, utique divinum eſt. Excitavit corpus ſuum, ut *templum ſuum*; ergò ut *ſtructor templi*, *Zach.* 6: 12. *ut vitam in ſe habens Joh.* 5: 26. Ut *Spiritus vivificans*, 1 *Cor.* 15: 45. conf. 1 *Pet.* 3: 18, 19. Atque hinc *demonſtratus* dicitur *Filius Dei in potentia per reſurrectionem ex mortuis*, *Rom.* 1: 4. Q. *Qui verò?* R. Chriſtus prædixerat non ſolùm quòd ad vitam rediturus, ſed ſemet ipſe eſſet excitaturus; *deſtruite templum hoc, & tribus diebus ſuſcitabo illud*, *Joh.* 2: 19. conf. 10: 18. *Luc.* 24: 6, 7. Unde conſequitur, Chriſtum, niſi ſe ipſe ſuſcitâſſet, prorſus reſurrecturum non fuiſſe. Neque enim Pater eum ad vitam revocâſſet, ne falſum crederetur, quaſi ſcil. ſe ipſe ſuſcitâſſet, quemadmodum futurum prædixerat. Obj. *Atqui Pater eum in vitam revocâſſe dicitur.* R. Reſuſcitatio Chriſti eſt operatio toti SS. Trinitati communis, unde & Spiritui S. adſcribitur, *Rom.* 8: 11. propter unam trium perſonarum divinarum potentiam, voluntatem & eſſentiam: ne ſcil. credentium & ſperantium in Chriſtum *fides & ſpes* non *eſſet in Deum*, 1 *Pet.* 1: 21. Tamen οἰκονομικῶς attribuitur Patri. Q. *Qua de cauſa?*

Chriſtum, niſi ſe ipſe ſuſcitâſſet, non reſurrecturum fuiſſe.

R. 1.

R. 1. Quia resurrectio Filii est argumentum evidens, quo ille homo mortuus à contemptu hostium, qui illi blasphemiæ dicam impegerant, vindicatus, & Filius Dei demonstratus est. 2. Quoniam resurrectio est argumentum judicii, quô Pater, hoc in negotio judicis schesin habens, Christum sponsorem quasi è carcere dimittit datâque velut apochâ justificat, & nos unà in ipso ut sponsore & capite absolvit. Quapropter *resuscitatus* dicitur *propter justificationem nostri. Rom.* 4: 25. *Quare nihilominùs œconomicè resuscitatio Christi adscribatur Patri.*

XIII. Q. *Ex resurrectione Christi quosnam percipimus fructus?* R. Catech. tres præcipuos numerat. Q. *Quis est primus.* R. Victoria mortis; de qua Catech. *sua*, inquit, *resurrectione mortem devicit, ut nos posset ejus justitiæ*, &c. Quod intelligendum non de *jure*, sed *effecto*. Ratione enim *juris* mortem devicit morte, *Heb.* 2: 14. Resurgendo autem mortem exuit, & *ipsô factô* in se annihilavit, *primitiæ obdormientium factus*, 1 *Cor.* 15: 20. Q. *Cui bono mors erat vincenda?* R. Ut Christus suæ nos posset justitiæ participes facere, puta, per fidem, quæ supponit præconium justitiæ partæ, hæc verò prædicari non posset, nisi Christus resurrexisset, cùm resurrectio publicum justitiæ partæ testimonium sit, *Rom.* 4: 25. *Fructus resurrectionis Christi ad nos redeuntes tres.* I. *Victoria mortis.*

XIV. Q. *Quis secundus fructus?* R. Excitatio nostrî ad novam vitam: de qua Catech. *deinde nos quoque jam ejus potentiâ*, &c. Quemadmodum homo necdum conversus dicitur *mortuus in lapsibus & peccatis*, *Eph.* 2: 1. Ita qui convertitur, ex ista morte in peccatis ad novam vitam excitatur, vide *Rom.* 6: 4. 2 *Cor.* 5: 17. *Eph.* 4: 22, 23, 24. Excitamur autem per δύναμιν τῆς ἀναστάσεως αὐτοῦ, *Phil.* 3: 10. Christus quod meruerat & optimo jure postulare potuerat, nempe peculium & hæreditatem, *Ps.* 2: 8. h. e. populum ex Judæis & gentibus Spiritu & verbô regenerandum & sanctificandum, etiam obtinuit, & obtinuisse demonstrat ipsa resurrectio, in qua Sponsoris nostri justificatio est. Hinc *cum Christo convivificati* dicimur, *Eph.* 2: 5. *Col.* 2: 13. II. *Excitatio nostri ad novam vitam.*

XV. Q. *Quis tertius fructus?* R. Resurrectio corporis nostri gloriosa, cujus argumentum indubitatum & pignus est in resurrectione Christi. Q. *Quî hoc?* R. I. Quia III. *Gloriosa resurrectio corporis nostri.*

Quia Christus est caput nostrum, *Eph.* 5: 23. Vide 1 *Cor.* 15: 12, &c. ubi hoc argumentum exequitur Apostolus, II. Idem Spiritus habitat in nobis, qui in Christo: unde futurum concluditur, *ut & mortalia corpora nostra vivificentur*, *Rom.* 8: 11. Q. *Estne igitur Apostoli argumentatio* 1 *Cor.* 15. *de sola piorum resurrectione intelligenda.* R. Est: quia Apostolus non simpliciter argumentatur ab exemplo Christi, sed cum σχέσει & relatione capitis ad membra considerati. 1. Quia v. 20, & 23. Christum comparat primitiis, significans, quemadmodum sub œconomia V. T. in primitiis totus frugum acervus sanctificabatur, sic in Christo resurgente omnes, qui sunt Christi, itidem sanctificari ad beatam resurrectionem. 2. Quia Apostolus Christum confert cum Adamo v. 21, 22. ea re docere volens; sicut ex Adamo in omnes ad ipsum pertinentes propagata est mors: ita ex Christo in omnes ad ipsum attinentes propagari vitam. Illi quidem sunt omnes Adami filii: hi verò sunt soli credentes, Joh. 11: 25. Hunc comparationis sensum probat illud, quòd qui in Christo vivificabuntur, disertè οἱ τοῦ Χριστοῦ dicuntur, 1 *Cor.* 15: 23. In eandem mentem Apostolum intellexit Augustinus *de Spirit. & Lit. c.* 27. *Sicut in regno mortis nemo sine Adam; ita in regno vitæ nemo sine Christo. Et lib.* 6. *contra Julian. c.* 12. *Nemo ad mortem nisi per Adam; & nemo per Adam, nisi ad mortem. Et nemo ad vitam nisi per Christum, & nemo per Christum, nisi ad vitam.*

Apostolum à capite ad membra concludentem 1 *Cor.* 15. *de sola piorum resurrectione intelligendum esse.*

XVI. Q. *Nonne tamen Christus etiam Author est resurrectionis impiorum?* R. Quidnî? sed alia sub schesi considerandus: nempe I. Ut *Deus*, cujus est *vocare generationes à principio*, *Esai.* 41: 4. Et rursus, *cùm redegerit hominem in pulverem minimum, dicere, redite filii hominis*, *Psal.* 90: 3. Ut *judex* vivorum & mortuorum, *Job.* 5: 22. *Act.* 17: 31. Cujus tribunali sistendi sunt omnes, *Rom.* 14: 10. 2 *Cor.* 5: 10. quos proinde in vitam revocabit,

Christum resurrectionis impiorum & piorum esse authorem, sed notabili discrimine.

Quæ-

Quæstio XLVI.

Quomodo intelligis illud, Ascendit ad cœlos?

QUòd aspicientibus discipulis Christus de terra in cœlum sublatus est, atque etiamnum nostrâ causâ ibidem est, & erit; donec redeat ad judicandum vivos & mortuos.

ANALYSIS.

I. In Quæst. articulus de ascensione Christi in cœlum totidem verbis ex Symbolo Apost. repetitur, ejusque de sensu quæritur.

II. In Resp.

1. Articuli fides firmatur à testium αὐτοψίᾳ; *Quòd aspicientibus discipulis.*

2. Ascensio Christi describitur argumentis quæ sensum art. literalem arguunt, nim. 1. Formâ, quæ est localis translatio; *de terra in cœlum*, &c. 2. Adjunctô modi, erat enim ascensio visibilis; *aspicientibus discipulis.* 3. Fine; *atque etiamnum nostrâ causâ ibi est*, &c.

EXEGESIS.

SEcundus *Exaltationis Christi gradus quis est?* R. Ascensio ejus in cœlum, resurrectionem quadragesimo post die secuta. *Act.* 1. 3. Cujus fidem 1. *Nexus.*

Quærendi de mente articuli occasio unde nata.

sextô Symboli articulô profitemur. Q. *Quæ ratio quærendi de mente hujus articuli?* R. Quæstioni causam dant Lutherani, ascensionem hanc in disparentiam atque invisibilem corporis Christi ubique---- præsentiam convertentes. Unde appositè ad quærentis intentionem, Christi ascensionem iis describit argumentis, quæ sensum articuli literalem arguunt.

Ascensionis Christi in cœlum veritas probatur.

II. Q. *Christum in cœlos ascendisse quomodo demonstras?* R. I. Ejus testes oculati fuere discipuli: in quibus testibus nec numerum, nec prudentiam, nec fidem, nec probitatem, jure desideres. Quibus accessit Paulus ex hoste factus Christi captivus, legatus, servus fidelis atque testis. Testimonii porrò fidem miraculis firmârunt & sanguine obsignârunt. Confer quæ de iisdem testibus dicta nobis ad Quæst. præced

I. *Argumentum.*

De Eliæ in cœlum raptu unius Elisæi, tanquam testis omni exceptione majoris, verbo fidem habent Judæi. Fabulosam Romuli ad Cœlites translationem Ethnici, unius Proculi fide nixi, quondam admisere. *Consiliô unius hominis, inquit Livius, addita rei dicitur fides. Namque Proculus Julius, sollicita Civitate desiderio Regis, in concionem prodit; Romulus, inquit, Quirites, parens urbis hujus, prima hodierna luce, cœlô repentè delapsus se mihi obvium dedit, &c. Liv. lib. I. 16.* Atqui nos Christi fidem profitentes de ascensu ejus 12. proferimus testes, vitæ prorsus inculpatæ viros: quorum testimoniô mundus conversus, Gentilium idololatria profligata, regnum Satanæ eversum, & regnum Dei, nequicquam furente mundi improbitate, inter cruces & flammas erectum fuit.

II. *Argumentum probandæ veritati ascensionis Christi.*

III. Eandem probat solennis illa Spiritûs S. effusio, paulò post ascensionem Christi facta. Dona Spiritûs S. conspicua, queis Apostolos, aliosque ornavit; virtutes mirificæ & facta stupenda, quibus illustre fecit Evangelii ministerium, nullum dubitandi locum relinquunt: præsertim quia missô Spiritu S. fecit, quod discedens facturum se promiserat. *Act. 1: 4.* coll. *Joh. 14: 26. Luc. 24: 49.*

III. *Argumentum.*

III. Eandem comprobat facti eum antegressa prophetia consensus. Ascensionem Christi prædixerant Prophetarum oracula, *Psal. 68: 18, 19. & 110: 1.*

110: 1. coll. *Act.* 2: 34. Præfiguraverant typi & umbræ legis, in quibus eminet summus Sacerdos, quotannis semel ingressus in Sanctum Sanctorum. *Lev.* 16. *Heb.* 9: 24. & 10: 20. His accedunt assumptio populi ex gentibus, regni à Judæis ablatio, judicia in gentem Judaicam, &c. quæ Christum in & è cœlo regnare ostendunt. Atque hæc de veritate Ascensionis Christi: paucis nunc ejus nobis considerandæ sunt circumstantiæ, velut author, modus, corpus quod in cœlum intulit, tempus, finis & fructus.

Ascensionis author quis? sive, suane, an aliena virtute Christus ascenderit, &c.

IV. Q. *Ascensionis igitur author, sive Efficiens procreans quis?* R. Christus ipse. Etenim ut ad vitam rediit, sic in cœlum ascendit suâpte, non alienâ potentiâ, quæ est δύναμις ζωῆς ἀκαταλύτου, *Heb.* 7: 16. Q. *Unde probas?* R. I. Quia ascensio ejus est πορεία *profectio.* Christus in cœlum, ceu domum suam jure atque potentiâ suâ profectus est, *Joh.* 14: 2, 3. II. Eô modô in cœlum ascendit, quô ante ipsum ascenderat nemo, *Joh.* 3: 13. etsi certè Enoch sub promissione, & Elias sub Lege vivi in cœlum translati fuere dispari modo, qui etiam œconomiæ disparitatem arguere poterat. Quotquot deinde filii gratiæ erant in Vet. Test. per mortem *introducti* fuerunt *in gloriam*, *Heb.* 2: 10. Verùm isti alienâ Christus propriâ virtute & jure in cœlum ascendit. Quô pactô ascendere non erat nisi ejus, qui priùs descenderat in inferiores partes terræ, *Joh.* 3: 13. *Eph.* 4: 9. adde *Joh.* 3: 31. & 8: 23. *Psal.* 68: 18, 19. Unde *ædificare* dicitur *in cœlis gradus suos*, *Amos.* 9: 6. adeoque suis ascendit gradibus. III. Christus prædixerat, se ascensurum, ut Filium Dei, à quo exiverit, &c. qui sit *unum* cum Patre, &c. *Joh.* 5. 8. 10. *capp.* quæ si vera non essent, in cœlum assumi non potuisset, ne falsum crederetur, &c.

Ascensionis modus, quis.

V. Q. *De modo ascensionis quid tenes?* R. Illud primò: Christum secundùm urramque naturam ascendisse, dici Theologis. Q. *Quomodo secundùm divinam?* R. Dum desiit φανερῶσθαι in hisce inferioribus mundi partibus: quemadmodum ex adverso cœlô descendisse dicitur, quando carnem nostram indutus apud homines videri cœpit. Q. *Quomodo secundùm humanam naturam*

naturam? R. Ascendit, corpore reapse & visibiliter de terra, ubi antè fuerat, in cœlum supremum, tanquam locum verè corporeum, translato. Quo respectu Christi ascensio fuit ἀνάληψις, *Luc.* 9: 51. *Esaj.* 53: 8. Et Christus dicitur *sublatus* &c. *Act.* 1: 9. Verùm Lutheranis hîc à nobis dissentientibus, ut occurramus, paulò distinctiùs modum ascensionis spectabimus, è termino ejus *à quo* & *ad quem*; sive *unde* & *quò* ascenderit.

Terminus à quo, sive unde ascendit.

VI. Q. *Unde igitur ascendit Christus?* R. Terminum à quô, Scriptura designat cùm in communi, quando Christum ἀφίεσθαι τὸν κόσμον, *Joh.* 16: 28. & *non amplius in terra esse* dicit, *Heb.* 8: 4. Tùm speciatim, quando Christum è monte oliveti propè Bethaniam ascendisse docet, *Luc.* 24: 50, 51. *Act.* 1: 9, 12. Idem igitur erat locus, ubi Christus cum Inferorum copiis luctatus est, & unde pòst triumphabundus in cœlum est profectus.

Terminus ad quem, sive quò, &c.

VII. Q. *Quò ascendit?* R. Terminum, sive locum, in quem ascendit, Marcus & Lucas appellant *cœlum*: Christus *domum Patris*, *in qua multæ mansiones*, *Joh.* 14: 2. Idem dicitur *locus habitationis Dei*, 2 *Chron.* 6: 21. *Cœleste sacrarium*, *Heb.* 9: 24. esse *supra omnes cœlos*, *Eph.* 4: 10. Atque hinc *cœlum tertium*, 2 *Cor.* 12: 2. quod *Christum suscipere debuit*, &c. *Act.* 3: 21. *Unde* eundem *exspectamus servatorem*, *Phil.* 3: 20. Quæ omnia qui paulò attentiùs & citra præjudicium in Scriptura legerit, ei sanè non aliud in mentem venire potest, quàm quod hactenus de ascensione Christi docemus. Nisi enim verba, quibus ad hanc rem Scriptura utitur, motum verè localem significent, quænam tandem satis apta reperientur tali motui denotando? Ut proinde errent Lutherani, pertendentes, ascensionem non tàm loci quàm statûs mutatione factam: & *cœlum illud*, in quod Christus ascendit, *non tàm locali quodam situ, quàm gaudiô & gloriâ à Spiritu Dei* definiri. Brochm. *de Servat. J. C. Sect. XVI.* sicque terminum motûs sive ascensionis, qui cœlum est, cum ejusdem consequente, quod est sessio ad dextram Dei, atque adeò duos diversos fidei

Elenchus erroris Lutheranorum.

articulos,

articulos confundentes, ut hypotheſin de corporali præſentia Chriſti in S. Cœna tueantur.

VIII. Q. *Idemne corpus, quod in morte depoſuerat, & in reſurrectione reſumſerat, Chriſtus in cœlum intulit?* R. Idem: In eodem enim corpore, *carne & oſſibus* conſtante, *Luc.* 24: 39. viſibili modo reverſurum dixerunt Angeli, *Act.* 1: 11. adde *Zach.* 12: 10. Apoc. 1: 7. Quam veritatem temerè intervertunt Sociniani aliud corpus, puta ſpirituale, carne & ſanguine quaſi abſorptis, Chriſto in cœlum aſcendenti adaptatum fingentes. *Idemne, an aliud corpus Chriſtus in cœlum intulerit.*

IX. Q. *Quonam tempore in cœlum aſcendit?* R. Quadrageſimo poſt reſurrectionem die. Variis interea apparitionibus diſcipulis teſtatam fecit reſurrectionis ſuæ veritatem, eosque docuit, quæ ad regnum Dei pertinent, *Act.* 1: 3. Q. *Jamne tunc corpus habuit glorificatum?* R. Jamjam in reſurrectione omnes illas exuerat infirmitates, quæ corpus humanum in ſtatu naturæ comitantur, & corpus ſuum induerat incorruptione, immortalitate & luce, ut neceſſe non ſit quæri, unde & quæ Chriſto redivivo veſtes fuerint, linteis in ſepulchro relictis? pro veſte enim erat lux. Q. *Hanc corporis Chriſti glorificationem unde probas?* R. 1. Locis Scripturæ, *Phil.* 3: 21. coll. 1 *Cor.* 15: 42, &c. 2. Editis operationibus, vide *Luc.* 24: 31. *Joh.* 20: 19. Hinc redivivus non videbatur, niſi qua ſpecie & quibus perſonis apparere voluit. Obj. *Atqui ediſſe dicitur poſt reſurrectionem: ergò necdum corpus habebat glorificatum.* R. Edit, non neceſſitate & indigentiâ naturæ ſubactus, verùm libera diſpenſatione & indulgentiâ uſus, ut diſcipulis oſtenderet, verum eſſe corpus illud, atque adeò ſuum, quod illis agnoſcendum præbebat. Cujus rei fortè argumentum eſſe voluit, quòd ediſſe quidem diſertè dicitur, non item bibiſſe, tametſi potûs non minor quàm cibi neceſſitas ſit ad ſatis naturæ faciendum. *Luc.* 24: 43. *Quando aſcenderit. Corpus Chriſti an illicò a reſurrectione fuerit glorificatum.*

X. Q. *Nihilne intereſt inter corpus Chriſti glorificatum in terris exiſtens, & idem in cœlum ſubvectum?* R. Fatendum, quòd quemadmodum gloria divinitatis Chriſti in ſtatu exinanitionis ſub *ſervi forma* fuit occultata, *Gloriam tamen corporis Chriſti, quoad*

in terris transiit, quodammodo fuisse obnubilatam.

cultata, etsi verbis & factis mirificis subinde emicuerit: sic etiam gloria corporis Christi post resurrectionem, dum in terris egit, quodammodo fuerit obnubilata, ne conversationis familiaritatem impediret: secùs enim discipuli gloriæ splendorem multò minùs ferre potuissent, quàm olim Israëlitæ vultum Mosis radiantem, 2 *Cor.* 3: 7. Eò fulgore præstrictus Paulus oculorum usu tantisper amisso manuductore opus habuit: *Act.* 22: 11. Q. *Ascensionis Christi quis fuit finis atque fructus?* R. De his opportunius ad Quæst. XLIX.

Quæstio XLVII.

An ergò Christus non est nobiscum usque ad finem mundi, quemadmodum nobis promisit?

Christus est verus Deus & verus homo: itaquè secundùm naturam humanam jam non est in terra: At secundùm divinitatem suam, majestatem, gratiam & spiritum, nullo unquam tempore à nobis abest.

ANALYSIS.

I, Quæstio habet objectionem Ubiquetariorum; *Si Christus localiter in cœlum ascendisset, ibiquè maneret &c. jam non esset nobiscum usque ad finem mundi. Atqui est nobiscum, &c.* Assumptio unà cum ejus probatione continetur ipsâ Quæstione.

II. In Resp. negatur consequentia, non disertè quidem, sed allata ratione ex 1. Distinc-

stinctione duarum in Christo naturarum; *Christus est verus Deus & verus homo:* 2. Inde pendente distinctione præsentiæ, quæ vel corporalis & visibilis, de qua Catech. *itaque secundùm naturam hum. jam non est in terra.* Vel Spiritualis & mystica; *At secundùm divinitatem ----- nullo unquam tempore à nobis abest.*

EXEGESIS.

ERror *Ubiquetariorum* estne tanti, *ut ejus refutationi etiam in Catechesi locus dari debeat?* R. Vel eo nomine intolerabilis est, quia erroris defensores, quantum in se est, enervant demonstrationem, *Matth.* 24: 23, 26. Ubi Christus ex eo, quòd adventus ipsius futurus sit *instar fulguris* evidens & conspicuus, neque adeò magis, quàm fulgur, indice opus habens, conficit pseudoprophetas esse, qui dicunt ἰδοὺ ὧδε, &c. Atqui si Christus humanitate sua perinde terris atque cœlo præsens est, falsum erit, Christi adventum non alium, nisi fulguris instar conspicuum esse credendum. *Error Ubiquetariorum quare in Catechesi notetur & refutetur.*

II. Q. *Solutionem objectionis, quam præsens quæstio habet, unde arcessit Catech.?* R. Ex distinctione duplicis in Christo naturæ, & inde pendente distinctione præsentiæ. Q. *Quid eò facit naturarum in Christo diversitas?* R. Inde diversa de Christo Θεανθρώπῳ prædicari possunt: nim. *esse in cœlo, non esse in terra.* Et rursus *esse ubique, esse in & cum Ecclesia in perpetuum.* Etenim filius hominis, qui descenderat de cœlo dicitur *esse in cœlo, Joh.* 3: 13. quia non descenderat, ut relinqueret cœlum: neque ita venerat in terram, ut qui anteà in terra non fuerit, contrarium docente, *Joh.* 1: 10. Consimiliter etiam ascendit in cœlum, neque tamen reliquit terram, quin adsit in nomine ipsius congregatis, & habitet in Ecclesia velut templo suo. Nullatenus igitur sequitur; Christum, si localiter in cœlum ascendisset, ibique maneret, jam non fore nobiscum usque ad finem mundi: Uti ampliùs liquebit ex distinctione præsentiæ. *Solutio objectionis petita 1. Ex distinctione duarum in Christo naturarum.*

III. Q.

2. Ex distinctione præsentiæ.

III. Q. *Quotuplex igitur est præsentia?* R. Alia corporalis est & visibilis; alia spiritualis & mystica. Quod ad priorem præsentiam attinet, Christus in cœlum ascendit, ibique manet, secundùm naturam humanam, juxta *Matth.* 26: 11. *Joh.* 16: 28. *Heb.* 8: 4. Quod posteriorem concernit, Christus utique semper nobis præsentissimus adest I. Secundùm *divinitatem* suam, *Jer.* 23: 23, 24. II. Secundùm *majestatem* suam. *Majestas Jehovæ est supra terram & cœlos*, *Psal.* 148: 13. ubique gloriæ suæ talia edit experimenta, unde cœlum & terra, & quæ ipsorum ambitu continentur, præsentiam ejus fateri coguntur, quæ vocabuli Hebr. מור in loco cit. propria emphasis est. III. Secundùm *gratiam*. *Ubi duo vel tres erunt congregati in nomine meo*, authoritate & mandatu meo, studiò inserviendi gloriæ meæ, per communicationem verbi mei & correptionem fraternam, *ibi ero in medio ipsorum*, præsidiò gratiæ meæ, *Matth.* 18: 20. Unde vota Apostolica, *Rom.* 1: 7. 2 *Cor.* 13: 13. *Apoc.* 22: 21. IV. Secundùm *Spiritum*. Vide promissionem *Esai.* 59: 21. & audi Christum promissionis implementum rogantem, *Joh.* 14: 16. Obj. *Numquid non sæpiusculè suos deseruisse videtur? Quomodo igitur Catech. sustinebit illud;* Nullo unquam tempore à nobis abest? R. Distingue primùm gratiam & gratiæ sensum: deinde Spiritus S. operationes: nunc enim exhilarat credentem, mox secundùm Deum contristat eundem, ut delictorum conscientiam salutaris sequatur pœnitentia.

Præsens est Christus 1. Divinitate. 2. Majestate. 3. Gratiâ. 4. Spiritu. Obj. R.

IV. Q. *Isti, quam hactenus exposuisti, præsentiæ nullone modò obest Christi in cœlum ascensio?* R. Imò verò eam juvat: quia ascendit, ut irrute Spiritus & gratiæ nobis præsentior esset. Ascendit namque, *ut omnia impleret*, *Eph.* 4: 10. & ut Spiritum, qui Jesu glorificatò demùm erat dandus, mittere posset; *Joh.* 7: 39. Christus proinde nunc corpore absens Spiritum dat vicarium. Hanc porrò Spiritualem Christi præsentiam illâ corporali multò esse optatiorem, ipsemet haud obscurè docuit, quando discipulis dixit;

Expedit vobis, ut abeam, *Joh.* 16: 7.

Isti præsentiæ Christi in terris non obest ejus ascensio in cœlum.

Quæ-

Quæstio XLVIII.

An verò istô pactô duæ naturæ in Christo non divelluntur, si non sit natura humana, ubicunque est divina?

Minimè: Nam cùm divinitas comprehendi non queat, & omni loco præsens sit, necessariò consequitur, esse eam quidem extra naturam humanam, quam assumsit, sed nihilominus tamen esse in eadem, eique personaliter unitam permanere.

ANALYSIS.

I. Instant Ubiquetarii; *Si humana Christi natura non est, ubicunque est divina, neque adeò nobiscum in terra, sequitur, duas in Christo naturas divelli. Atqui falsum consequens, &c.*

II. Resp. I. negat propositionem; *minimè.* II. Negationis argumentum, ab immensitate & omnipræsentia, propriô naturæ divinæ attributô, petitum 1. Ponit; *Nam cùm divinitas comprehendi non queat, &c.* 2. Indè concludit; *Necessariò consequitur, esse eam quidem, &c.*

EXEGESIS.

OBj. *Si non sit natura humana, ubicunque est divina, nonne sequetur humanitatem vel divulsum iri à λόγῳ vel alicubi non unitam fore?* R. Neutrum sequitur: quia unio facta fuit ad personam sine exæquatione naturarum, salvâ naturæ utriusque essentiâ & pro-

Ex eo, quòd natura humana non sit, ubicunque est divi-

na, non sequi; Illam ab hac vel divelli, vel alicubi cum ea non esse unitam.

& proprietate. Quapropter λόγος cùm comprehendi nequeat, & omni loco præsens sit, *Act.* 7: 49. & 17: 27. *Jer.* 23: 24. est quidem extra naturam humanam, quam assumsit, nihilominùs etiam est in eadem, eique personaliter unitus manet.

Nec sequi, duplicem fore λόγον, &c.

II. Q. Obj. *Numquid non hac ratione duo constituuntur Christi, duplex* λόγος, ἔνσαρκος & ἄσαρκος. R. Sic οἱ ἐξ ἐναντίου Catech. doctrinam in invidiam adducere conantur, sed frustrà 1. Quia natura divina non habet partes, ut secundùm aliam partem unita, aliam non unita dici queat. 2. Idem est Christus, præsens ubique secundùm divinitatem, absens nunc à terra, quantum ad carnem assumtam. Ubi attendenda est idiomatum communicatio, per quam quæ unius naturæ sunt, alteri non conveniunt, veruntamen attribuuntur personæ utramque naturam habenti. Velut *esse in terris, in corde terræ, pati, mori, revivisc ere,* &c. humanæ naturæ conveniunt. Rursus, *descendisse de cœlo, & tamen esse in cœlo: non videri in terra,* & tamen *adesse fidelibus; inter candelabra ambulare; vitam habere indissolubilem,* &c. divinæ naturæ propria sunt. Ista nihilominùs omnia verissimè prædicantur de persona utramque naturam habente.

Quæstio XLIX.

Quem nobis fructum adfert ascensio Christi in cœlum?

PRimùm, quòd in cœlo apud Patrem pro nobis intercedit. Deinde, quòd carnem nostram in cœlo habemus, ut eo tanquam certo pignore confirmemur, fore, ut ipse qui caput nostrum est, nos sua membra ad se extollat. Tertiò, quòd nobis suum Spiritum mutui pignoris loco mittit,

mittit, cujus efficaciâ non terrena, sed superna quærimus, ubi ipse est ad dextram Dei sedens.

ANALYSIS.

I. In Quæstione I. Supponitur, etiam hanc mysterii pietatis partem suum credenti afferre fructum. 2. Quæritur; *quem igitur nobis fructum adfert, &c.*

II. In Resp. triplex Ascensionis Christi fructus proponitur.

1. Intercessio, expressa verbô, *intercedit;* & descripta à relatis, *apud Patrem pro nobis.*

2. Certitudo fidei de nostrî in cœlum assumtione: ubi 1. Argumentum certitud. propositum sub similitud. pignoris; *Quod carnem nostram in cœlo habemus, ut eô tanquam certô pignore confirmemur, &c.* 2. Confirmatum ratione deducta ab unione nostra cum Christo; *ut ipse qui caput, &c.*

3. Missio Spiritûs S. *Quòd nobis suum Spiritum, &c.* Cujus missionis finis duplex. 1. Ut sit *mutui pignoris locô:* 2. Ut ejus *efficaciâ non terrena, sed superna quæramus, &c.*

EXEGESIS.

Non acquiescendum esse in nuda cognitione

ESTne satis, *articulum de ascensione Christi in cœlum hactenus expositum & vindicatum intellexisse?* R. Non est: juvat etiam novisse, quo fine suo

articuli de ascensione Christi, &c.

& fructū nostro in cœlum ascenderit. Q. *Ascensionis Christi aliquem etiam ad nos redire fructum unde sciam?* R. 1. Ex eo, quòd Christus ubique noster est: in ascensione ergò non minùs, quàm in nativitate, vita, morte & resurrectione. 2. Diserta Christi verba sunt; *Utile est vobis, ut ego abeam, Joh.* 16: 7. Et Apostoli testimonium; *cùm ascendisset in altum, dona dedit hominibus, Eph.* 4: 8. quemadmodum olim victores, quibus devicto populi Romani hoste triumphus erat decretus, missilia spargere solebant.

Ascensionis Christi aliquem ad nos redire fructum.

Eumque triplicem.

II. Q. *Ascensionis ergò Christi finis & fructus quis est?* R. Catechetes triplicem proponit. Q. *Quis primus est?* R. Christi in cœlis intercessio, ἐμφανισμὸς, *Heb.* 9: 24. παράκλησις, 1 *Joh.* 2: 1. ἔνδυσις, *Rom.* 8: 34. Quæ est voluntas habendi, conservandi & sanctificandi hæreditatem, quam postulandi jus habet sponsor consummatus, juxta *Psal.* 2: 8. Quomodo, quo effectu & pro quibus intercedat, dictum ad Quæst. XXXI.

I. Primum fructum esse Intercessionem.

II. πληροφορίαν *fidei.*

III. Q. *Quis secundus fructus?* R. πληροφορία fidei de nostrî in cœlum assumptione. Q. *Quodnam* πληροφορίας *habes argumentum?* R. Id. Catech. sub similitudine pignoris exprimit. Pignus in civilibus datur in securitatem crediti & promissi. Unde Catech. *Quòd carnem nostram in cœlo habemus, ut eò tanquam certò pignore confirmemur, fore, &c.* q. d. Christus gloriam, suò meritò nobis impetratam, certò etiam impertiendam promisit: nec est, cur de promissionis fide dubitemus, quia dum in cœlum ascendit, carnem nostram secum assumsit in gloriam, atque adeò perinde fecit, ac si nobis promissæ gloriæ pignus dedisset, vel arrham prærogâsset. Accedit, quòd Christus in cœlum ascendit, tanquam *caput nostrum.* Inde enim confirmamur *fore, ut nos sua membra ad se extollat.* Vide in hanc rem *Joh.* 17: 24. *Eph.* 2: 6. *Heb.* 6: 20. *Joh.* 14: 3.

III. Missionem Spiritûs S.

IV. Q. *Quis tertius ascensionis Christi fructus?* R. Missio Spiritûs S. *Quod nobis suum Spiritum mutui pignoris locò mittit.* Quemadmodum in securitatem fidei matrimonialis inter sponsum & sponsam mutua intercedunt pignora: sic Christum inter & nos: nostram

ſtram ille accepit carnem, ſuum dedit nobis Spiritum: Spiritum, puta, & dona gratiæ ejus, Chriſto & fontem & manantes inde rivos promittente, *Joh.* 7: 38, 39. Q. *Quem in finem datur Spiritus S.?* R. Primùm, ut *ſit mutui pignoris locò*, pignori alteri carnis Chriſti, quod ipſe in cœlo depoſuit, reſpondens. Unde *arrhabo hæreditatis noſtræ* appellatur, *Eph.* 1: 14. Eſt autem arrhabo pars totius, quæ prærogatur ſecuritatis causâ, velut totius repræſentandi pignus. Sic Spiritus S. nobis dono miſſus eſt arrhabo, quò freti nobis repromittere atque polliceri poſſumus hæreditatem, quippe cujus primitias habemus, Spiritum S. habentes. Deinde, *ut ejus efficaciâ non terrena, ſed ſuperna quæramus*, &c. ipſo Spiritu S. corda noſtra ad meditationem ac ſtudium rerum cœleſtium excitante, *Col.* 3: 1. *Phil.* 3: 20. Atque hinc, quia, nulla nobis terra ſortis inſtar hæreditariæ, ut quondam Iſraëlitis, eſt aſſignata, non eſt, cur exitium, mortem corporis, aliaque vitæ præſentis incommoda & adverſa metuamus: quin potiùs ad cœlum, ubi vera nobis patria, anhelantes, in afflictionibus & perſecutionibus gloriari poſſumus, *Rom.* 5: 3.

In quem finem detur Spiritus S.

Quæſtio L.

Cur additur, ſedet ad dextram Dei?

QUia Chriſtus ideò in cœlum aſcendit, ut ſe ibi caput Eccleſiæ ſuæ declaret, per quod Pater omnia gubernat.

ANALYSIS.

Quærenti, cur articulo *de aſcenſione*, in Symbolo Ap. annectatur, *ſedet ad dextram Dei*, Reſpondetur ex fine aſcenſionis, *quia Chriſtus ideò in cœlum aſcendit*, &c.

Finis iste est manifestatio

1. Summæ gloriæ & majestatis Christi, quam Catech. similitudine capitis exprimit; *ut se ibi caput Ecclesiæ*, &c.
2. Summæ potestatis in omnia Christo datæ, *per quod Pater omnia gubernat.*

EXEGESIS.

Nexus. Ascensio Christi in cœlum, & Sessio ad dextram Dei quomodo invicem se habeant.

Sessio Christi ad dextram D. Patris

1. *Probatur.*
2. *Explicatur.*

Collocare & sedere ad dextram alicujus quid significet usu seculi.

QUis rerum tractandarum ordo & nexus? R. Ascensionem Christi in cœlum excipit ejus *Sessio ad dextram Dei Patris*: qui est tertius exaltationis Christi gradus, cum priore cohærens, ut finis cum effecto destinato. Quapropter conjunguntur in Symbolo Apost. juxta Scripturam, *Marc.* 16: 19. 1 *Pet.* 3: 22. Ideò namque ascendit Christus in cœlum, ut sederet ad dextram Patris. Q. *Sic futurum fuisse unde probas?* R. Uti erat prædictum Prophetarum oraculis, *Psal.* 110: 1. Sic in Christo impletum testantur Apostoli, *Act.* 2: 34. *Eph.* 1: 20. Cæterùm ad rei intelligentiam juvat inquirere 1 Quid phrasis ista, *collocare* & *sedere ad dextram* alicujus, cùm usu seculi recepta; tùm maximè de Christo in Scripturis usurpata, significet. 2. Quis quem ad dextram collocaverit. 3. An Christo secundùm alterutram, an utramque naturam conveniat sedere ad Dextram Dei. 4. Quamdiu. 5. Quô fructu vel commodô nostrô.

II. Q. *Collocare & sedere ad dextram alicujus usu seculi quid significat?* R. Recepti moris est, etiam inter viros principes, ad dextram collocare, quos, quantum ejus fieri potest, honorare volunt. Phrasis igitur *sedere ad dextram*, vel *claudere dextram alicujus* &c. per se nec majorem, nec minorem, sed simpliciter magnum, vel si velis, maximum honorem infert. Minorem verò, an majorem, aut æqualem honorem aliquis designet exhiberi alteri hoc ritu, id verò æstimandum è re nata & conditione eorum, qui hono-

honorem dextræ vel deferunt, vel accipiunt. Veluti, ubi Princeps subdito dextram defert, intelligendus est honor summô minor. Ubi Rex Regi non tributario, honor est æqualis æqualium. Quando autem inferior superiori dextram cedit, honor utique major intelligetur. Porrò de earundem phrasium significatu etiam judicandum est ex ordine dextram tenentis tùm ad eum qui medius sedet, tùm ad eum, qui lævam claudit: itemque ex affectu ejus, qui dextram vel expetit, vel arrogat. Q. *Vellem, hæc omnia exemplis illustrares.* R. Claudius Cæs. *A. Plautio ovationem decrevit, ingressoque urbem obviam progressus, & in Capitolium eunti, & inde rursus revertenti latus texit*, i. e. ut Eutropius dicit, *lævus incessit.* Suet. in Claud. 24. Hìc Cæsar subdito honorem haud dubiè suô minorem habuit. Salomon Matrem suam Batsebam, quantum posset, honorare volens, dextram sibi sedere jussit, tametsi regnum divisum nollet, 1 *Reg.* 2: 19. Nero Tiridatem, Armeniæ Regem, juxta se latere dextro collocavit. Suet. in Neron. 13. ad summam æqualem ipsi, si non minorem, ut regi precario, honorem deferens. Neque enim existimari poterat se illi subjicere, cui modò ut supplici ad genua admisso diadema imposuerat. Quando *Conjux stare* dicitur *ad dextram* Sponsi *in auro Ophirino, Psal.* 45: 10. significatur honor secundùm summum maximus. Quando Mater filiorum Zebedæi Christum in hunc modum rogavit, *edic, ut sedeant hi duo filii mei, unus ad dextram tuam, & alter ad sinistram in regno tuo, Matth.* 20: 21. utrumque honoris est, sed ordine & gradu diverso. Quod *Matth.* 25: 33, &c. de dextra ovibus danda dicitur, honoris & dilectionis est: quod de læva hœdis relinquenda, ignominiæ & condemnationis argumentum est. Tandem de phraseos sensu judicandum quoque esse ex affectu ejus, qui dextram expetit vel arrogat, ostendit illa Jobi querimonia; *ad dextram juvenculi stant*, me vilem habent, &c. *Job.* 30: 12.

III. Q. *Eadem præsis de Christo usurpata quid significat?* R. Cùm Deus sit Spiritus, *Joh.* 4: 24. nec dex- *Eadem phrasis de*

Christo usurpata in Scripturis quid denotet.

tram habet, nec sinistram; *dextra Dei* igitur per metaphoram significat ejus virtutem atque potentiam. Unde consequitur, etiam *sedere ad dextram Dei*, de Christo prædicatum, non denotare corporis situm stationi aut ambulationi oppositum, quod præter mox dicta etiam inde liquet: I. Quia Stephanus *Filium hominis* vidit à dextra Dei *stantem*, *Act.* 7: 56. II. Scriptura dextræ Dei talia attribuit, quæ opinionem istam de situ facilè refellant, *Marc.* 14: 62. *Heb.* 1: 3. & 8. 1. & 12: 2.

Explicatur κατ' ἀρσιν.

κατὰ θέσιν.

IV. Q. *Quid ergò significat?* R. I. Manifestationem gloriæ, quam habuerat *apud Patrem priusquam mundus existeret*, *Joh.* 17: 5. quæ gloriâ Patris nec major, nec minor, sed illi æqualis est, tùm quia est gloria Unigeniti à Patre: tùm quia *considenti ad dextram Dei in supercœlestibus &c.* etiam *nomen datum est supra omne nomen*, &c. *Eph.* 1: 20, 21, 22. *Phil.* 2: 9. quod nomen utique divinum est simpliciter, & summum, quale nec Angelis, nec hominum ulli dari potuit unquam. Unde διαφορώτερον ὄνομα dicitur Apostolo, velut est, esse & appellari *Filium Dei Unigenitum*, *Regem & caput Ecclesiæ*, Angelis & hominibus adorandum, *Phil.* 2: 10, 11. *Esai.* 45. 23. II. Potestatem regiam ipsi delatam in cœlo & in terra. Q. *Huic explicationi unde fidem facis?* R. Ex eo, quòd Apostolus illud Psalmi; *dixit Dominus Domino meo*, *sede ad dextram meam*: interpretatur; *oportet eum regnare*, *usque quò omnes inimicos suppositerit pedibus ejus*, 1 *Cor.* 15: 25. Et verò judicandi stare, & judicantes sedere solent, *Prov.* 20: 8. Q. *Quale est regnum, quod sessione ad dextram Dei designatur?* R. Oeconomicum, à regno naturali non re, sed σχέσει & relatione distinctum: de quo ad Quæst. XXXI.

Regnum sessione ad dextram Dei significatum quale sit.

Solvuntur quædam objectiones.

V. Q. *Nonne ex sessione Christi ad dextram Patris concludere licet, Christo honorem à Patre secundum obtigisse?* R. Nequaquam: ea enim phrasi in præsente causa honorem portendi æqualem, suprà nobis demonstratum est. Q. *Nonne Christo dextram tenenti, Angelis sinistra danda, ita ut Christo proximus à Deo, Angelis deinde tertius debeatur locus?* R. Atqui Angeli

geli sunt ministri, stantes coram throno Dei, & Christo ceu Creatori & Domino suo subjecti. Malè igitur Grotius ad *Eph.* 1: 20. annotat; *finguntur in cœlo duo solia, alterum Dei, alterum Agni, i. e. Christi, Apoc.* 22: 1, 3. Scriptura enim thronum Patris & Filii unum facit, *Matth.* 16: 27. coll. *Matth.* 25: 31. Christus gubernat Ecclesiam ut suam, *Act.* 20: 28. quæ gubernatio etsi suo modo dici possit vicaria, juxta *Joh.* 5: 22, 23. unde etiam Catech. *per quod Pater omnia gubernat?* ipsa tamen potentia & potestas non est precaria, sed absolutè divina atque independens, quam etiam non nisi qui verè Deus sit, possidere, & non exspectato consensu ac authoritate alterius exercere possit. Q. *Ex adverso, nonne Christus, ad dextram sedens, honoratiori loco videri posset quàm Pater?* R. Filius quidem ad dextram Patris, nusquam verò Pater ad sinistram Filii sedere dicitur in Scriptura: quod dubiò procul non caret ratione. Atque hæc de significatu phrasis, collocare & sedere ad dextram.

VI. Q. *Quis quem collocavit ad dextram?* R. De eo ex *Psal.* 110: 1. ad Quæst. XXV. *Quis quem collocaverit ad dextram.*

VII. Q. *Gloria ista juxta quam naturam Christo convenit?* R. Juxta utramque Lutherani, etsi sessione ad dextram Dei significari fateantur *regimen glorioſissimum & planè divinum*, Brochm. *de Serv. J. C. sect. XVII.* contendunt tamen, Christum secundùm humanam solùm naturam sedere ad dextram Dei: unde deinceps humanæ naturæ omnipræsentiam concludi posse arbitrantur. Negamus verò phraseos, *sedere ad dextram Dei*, vim & magnificentiam impleri, si Christus solùm quà homo est, ad dextram Dei sedere dicatur. Ut enim juxta utramque naturam fuerat humiliatus, ita rursus juxta utramque fuit exaltatus. Q. *Quomodo juxta divinam?* R. Quando gloria, quam hactenus servi forma occultaverat, in lucem producta tantò illustriùs effulgere, Christique potentia & Majestas æterna in administratione regni œconomici mirandum in modum manifestari cœpit. Undè tametsi exaltato eadem reddita fuerit gloria, quam habuerat antè, &c *Joh.* 17: 5. nusquam tamen gloria illa di-

Juxta quam naturam Christus sed eat ad dextram Patris.

Ubi notatur error Lutheran.

la divinitatis, ante exaltationem Christi factam, nomine sessionis ad dextram Dei appellatur. Q. *Quomodo juxta humanam naturam sedet ad dextram Dei?* R. Quatenus beneficiô unionis hypostat. natura humana gloriæ Christi ad dextram Dei exaltati suô quôdam modô facta est particeps; ut adeò Christus, etiam quà homo est, supra omnes Angelos atque homines sit evectus, absque naturarum tamen exæquatione & confusione. Quemadmodum maritô ad regium fastigium elatô etiam conjux, fortunæ mariti consors & individua vitæ socia, regii honoris particeps redditur, ut pòst omnibus matronis atque virginibus, novam nuptam comitantibus aulamque regiam ornantibus, præferatur. Quæ omnia facilè confirmantur ex *Joh.* 17: 5. *Eph.* 1: 20, 21. *Phil.* 2: 9, 10. *Heb.* 8: 1.

Quando consederit Christus ad dextram Dei, & quamdiu gloria ista sit duratura.

VIII. Q. *Quando consedit Christus ad dextram Dei & quamdiu sedebit?* R. I. Consedit ad dextram Dei illicò ab ascensione in cœlum, teste Marco, *Cap.* 16: 19. adde *Eph.* 1: 20. *Heb.* 1: 3. II. Sedere ad dextram Dei non desinet, in quantum quidem ea phrasis regnum ipsum, non regnandi modum, denotat. Etenim *in perpetuum consedit in dextra Dei, Heb.* 10: 12, 13. adde *Luc.* 1: 32, 33. Qua de re suprà ad Quæst. XXXI.

Quæstio LI.

Quid nobis prodest hæc gloria nostri capitis Christi?

PRimùm, quòd per Spiritum Sanctum in nos sua membra cœlestia dona effundit: Deinde quòd nos suâ potentiâ contra omnes hostes protegit ac defendit.

ANA-

ANALYSIS.

I. Catech. Gloriam Christo, quippe capiti nostro proximâ Quæst. assertam, nobis etiam prodesse supponens, quærit, quid commodi nobis afferat.

II. Responsio geminum fructum proponit: *Prior* est collatio donorum Spiritûs Sancti in Ecclesiam. Ubi distingui possunt donator, donum, donatarii & donatio, verbô metaphoricô, donationis largitatem connotante, expressa, *Quòd per Spiritum S.---- effundit.*

Posterior est defensio nostrî, à relatis & efficacia effectûsque plenitudine, descripta: *deinde nos quoque suâ potentiâ* &c.

EXEGESIS.

Doctrinæ de sessione Christi ad dextram D. fructum ad nos redire duplicem.

EXpositisti sensum articuli de sessione Christi ad dextram Dei: estne doctrinæ illius atque fidei aliquis fructus? R. Quidnî, cùm Christus & humilis & altus noster sit. Q. *Quem igitur fructum affert credenti?* R. Duplicem: prior quidem munificentiæ est & beneficii regii; posterior verò curæ & officii regii. Q. *Quis prior?* R. Collatio donorum Spiritûs S. in Ecclesiam. Christus enim *dextrâ Dei exaltatus, promissione Spiritûs S. acceptâ à Patre, effudit nunc, quod videtis & auditis*, *Act.* 2: 33.

I. Priorem esse collationem donorum Spiritûs S. in Ecclesiam.

II. Q. *Dona ista quænam sunt?* R. Spiritus, & quæcunque idem in Ecclesia N. T. universa singulisque ejus membris, ad commune commodum & singulorum salutem operatur. Sive, Spiritus S. & ejusdem charismata, juxta *Joh.* 7: 38, 39. Utrumque etiam Catech. conjungit, quando, primùm, inquit, quòd per Spiritum S. cœlestia dona effundit. Q. *Quare dicis*

Quo sensu dona per Spiritum S. effundi dicantur Catechetæ.

dicit per *Spiritum S.* Rz. Non sanè ut significet causam instrumentalem, cùm Spiritus S. donorum author sit & dator, sed ordinem œconomiæ divinæ, qui in duobus spectatur; 1. Quòd Spiritus S. ut à Patre Filioque procedit, sic etiam à Patre & Filio operetur. 2. Quòd Christus hunc Spiritum nobis impetrârit atque donet, *Act.* 2: 33. *Gal.* 4: 6. *Psal.* 68: 19.

Quo sensu dona Cœlestia dicantur.

Q. *Quomodo dona ista dicuntur cœlestia?* Rz. 1. Ratione *ortûs*, quia cœlitùs dantur, & sua indole cœlestem ortum profitentur. 2. Ratione *usûs*, quia illis donis ornati & aucti à terra in cœlum elevamur, vitam in terris agentes cœlestem, quæ cœli sunt sapientes, quærentes, *Col.* 3: 1. *Phil.* 3: 20.

Quibusnam ista dona conferantur.

Q. *Cœlestia illa dona quibus dantur?* Rz. Redemptis & fidelibus, ut liquet ex eorundem descriptione. Illis enim solis convenit esse atque dici reapse *membra Christi Capitis* sui, in cujus communione Spiritus S. ejusque dona salutaria accipiuntur, quemadmodum in corpore animali ex capite in membra Spiritus vitalis & animalis defluit, unde sua membris capiti cohærentibus vita, motus & sensus. Hunc Spiritum *mundus non potest accipere*, *Joh.* 14: 17.

Quâ largitate conferantur.

Q. *Quare dicit*, effundit? Rz. Sic verbô, Scripturæ usu celebratô, donationis largitatem significat. Ut futurum prædixerat Prophetia, *Esai.* 44: 3. *Joël.* 3: 1. ita factum prædicat historia Evangelica, *Act.* 2: 33.

Cur demum Christô exaltatô.

III. Q. *Quid causæ fuit, cur id demùm fieret Christô exaltatô? Nondum enim erat Spiritus S. quia Jesus nondum glorificatus erat*, *Joh.* 7: 39. Rz. 1. Est hoc præcipuum, inquit Calvin. ad l. c. regni Christi decus, quòd Spiritu suo Ecclesiam gubernat. Atqui justam & quasi solennem regni sui possessionem tunc adiit, quum evectus est ad Patris dextram. Non mirum ergò, si plenam exhibitionem Spiritûs ad illud tempus distulit. 2. Juxta temporum œconomiam Spiritus ille operari debebat fidem, quæ propria esset filiorum N. Testamenti, credentium in Christum mortuum, resuscitatum, exaltatum. Unde Spiritus *adoptionis*, non *servitutis*, dicitur, *Rom.* 8: 15. quippe qui non amplius operatur fidem cum suscipiendæ servitutis animo,

animo, & siti, ut olim in Veteri Testamento, sed fidem cum lætitia & gratiarum actione in libertate.

IV. Q. *Quis alter fructus?* R. Defensio nostri contra hostes. Q. *Qualis?* R. Efficax & plena, quod Catech. docet, quando Christum ad dextram Dei evectum nos protegere ac defendere dicit. 1. *Suâ potentiâ*, quâ sibi potest subjicere omnia, *Phil.* 3: 21. Deinde 2. adversus *omnes* hostes: donec tandem ponantur scabellum pedum ejus, *Psal.* 110: 1. 1 *Cor.* 15: 25, &c. II. *Alterum dextram esse sessionis ad defensionem nostri, &c.*

Quæstio LII.

Quid te consolatur reditus Christi ad judicandum vivos & mortuos?

Quod in omnibus miseriis & persecutionibus erecto capite, eundem illum, qui se priùs pro me judicio Dei statuit; & maledictionem omnem à me abstulit, judicem è cœlo exspecto, qui omnes suos & meos hostes in æternas pœnas abjiciat, me verò cum omnibus electis ad se in cœlestia gaudia, & sempiternam gloriam traducat.

ANALYSIS.

I. Catech. articuli de reditu Christi ad judicium, explicationem revocans ad praxin, quærit, quem usum præstet consolandis, &c.

II. Responsio exponit.

I. Con-

I. Consolationem, quam reditus Christi credentium cuique promittit. Ubi 1. Malum, cui solamen inventum, *in omnibus miseriis & persecutionibus.* 2. Consolatio, in eo sita, *quòd erecto capite----- exspecto.*

II. Consolationis argumenta tria: 1. Is exspectatur Judex, *qui se prius pro me judicio Dei statuit*, &c. 2. Christus, ubi redierit, *omnes suos & meos hostes in æternas* &c. 3. Idem *me cum omnibus electis ad se in cœlestia gaudia*, &c.

EXEGESIS.

Quartus Exaltationis Christi gradus est reditus ad judicium universale.

Ubi

Unde.

Quô modô.

DIxisti *de tribus prioribus Exaltationis Christi gradibus, quis est quartus?* R. Reditus ad judicium, quem in Symbolo Apost. profitemur. Q. *Unde rediturus est?* R. In Symbolo Catechumenus dicit *inde*, i. e. è cœlo illo supremo, in quod ascenderat. *Act.* 1: 11. *Phil.* 3: 20. Q. *Quô modô?* R. Visibili formâ, magnifico apparatu, eâdem vestitus carne humanâ, quam in cœlum subvexerat, *Act.* 1: 11. Q. *Quo fine redibit?* R. Ad judicandum, judiciô, puta, universali & solenni, *Act.* 17. 31. *Heb.* 9: 27. Q. *Quos?* R. Cùm *vivos*, quos dies ille Christi redeuntis superstites deprehendet in terra, 1 *Cor.* 15: 51. 1 *Thess.* 4 17. quibus locô mortis continget mutari momentô, 1 *Cor.* 15: 52, 53. Tùm *mortuos*, quotquot ante Christi reditum inde ab Abele usque obiverant, resuscitandos ad judicium, *Apoc.* 20: 12, 13. *Rom.* 14: 10.

Judicium universale & solenne futurum probatur.

II. Q. *Tale judicium futurum unde probas?* R. Hujus articuli fides testatissima est, cùm per conscientiam hominis, quæ justitiæ divinæ judicium postulanti attestatur; tùm per Scripturam S. cujus vel sola illa jamjam citata testimonia ad institutum sufficere possunt. Atque hinc Catech. hujus articuli fidem supponens

nens non abs re quærit, quam consolationem indidem percipere liceat. Enimverò reditus ille Christi ad judicium videri possit maximè formidabilis, quippe summa cum gloria & Majestate futurus: attamen certè ut impiis terrori, sic piis solamini futurum docet Apostolus, qui, cùm de hoc reditu verba fecisset, tandem subjicit; *quare consolamini alii alios hisce sermonibus*, 1 Thess. 4: 18. Atque hinc nata Catech. quæstio; *Quid te consolatur*, &c. *Id solamini esse piis.*

III. Q. *Quibus ergò in malis solamini est reditus Christi?* R. 1. Generatim *in omnibus miseriis*, quibus fideles, quoad vivunt, ad mortificationem veteris hominis conflictantur. 2. Speciatim *in persecutionibus*, quibus sæpè Christi & Evangelii causâ, sed magnô suô & Ecclesiæ commodô, exercentur. *Quibus in malis solamini sit.*

IV. Q. *Qua in re sita est ista consolatio?* R. Catech. eam his concepit verbis; *Quod erecto capite eundem illum, qui ----- judicem è cœlo exspecto.* Considerato atque fides reditûs Christi animum erigit in vivam spem & exspectationem, quæ cum adversis luctantem sustentat, dolorem lenit, terrorem pellit, atquè omninò facit, ut in periculis imperterritus durem, auxilioque & liberationis certus caput erigam. Q. *Unde desumpta phrasis?* R. Ex illo Christi ad discipulos; *Quum autem hæc fieri incipient ἀνακύψατε καὶ ἐπάρατε τὰς κεφαλὰς ὑμῶν, quoniam appropinquat redemptio vestri*, Luc. 21: 28. uti solent qui de loco superiore liberationem exspectant: quod Apostolo est ἀποκαραδοκεῖν, *Rom.* 8: 19. Quò pertinent testimonia Catechetæ citata, *Rom.* 8: 23. 24. *Phil.* 3: 20. *Tit.* 2: 13. Et sanè si sponsi, si mariti, si patris, si vindicis & patroni peregrè profecti reditus desiderabilis est sponsæ, uxori, clientibus, usque adeò, ut nihil prius in votis habeant, omnibusque quasi momentis erecto capite, exertôque veluti collô prospectent, num quà redeuntem videre queant: Haud sanè minùs desiderio voluptatique est credentibus Christi reditus, quem sua spe & exspectatione præcipiunt, eôque se adversus mala solantur. *Qua in re sita sit consolatio.*

V. Q. *Consolationis quæ habes argumenta?* R. Ca- *Consolatio-*

tech.

tis argumenta tria.

tech. tria subjicit. Q. *Quodnam est primum?* R. Quòd

Primum.

is exspectatur judex venturus, *qui se priùs pro me judicio Dei statuit*, &c. Christus quidem redibit judex, neque tamen est quod metuam, quin veriùs totô animô gestiam; quia judex redibit non iratus mihi, sed placatus, qui nullam sive accusationem sive condemnationem adversus me admittet. Qualem judicem experiri nemo non optet. Unde gloriatio, *quis est, qui accusationem intentet electis Dei*, &c. *Rom.* 8: 33, 34. Quidnî verò glorier, exspectans Judicem, qui 1. tanquam Sponsor, Mediator, & Advocatus causæ nostræ datus; *se antè pro me judicio Dei statuerat.* 2. tanquam Jesus, Servator & Liberator meus *omnem maledictionem à me abstulit*, *Gal.* 3: 13. Q. *Quodnam*

Secundum.

secundum consolationis argumentum? R. Quòd Christus, ubi rediverit judicaturus, *omnes suos meosque hostes in æternas pœnas abjiciet*, antegressa causæ cognitione & sententiæ pronuntiatione, *Matth.* 25. Hostes illi, Christi & fidelium communes, sunt Satanas, Ecclesiæ persecutores, impii quique 2 *Thess.* 1: 6, 7. *Apoc.* 20: 10. Q. *Quodnam tertium?*

Tertium.

R. Quòd Christus, ubi redierit &c. *me cum omnibus electis* &c. Argumentum consolationis est æterna fœlicitas, omnibus electis mihique conferenda, exspectanda. Id Catech. verbô *assumere* in textu Germanico, & verbô *traducere ad se*, in textu Latino, non incommodè exprimit: tùm ut hanc electorum receptionem *impiorum abjectioni* opponat: tùm ut loquatur cum Scriptura S. *Psal.* 49: 16. Ubi verbum יקחני *assumet me* etiam de Enocho usurpatur, *Gen.* 5: 24. quod Apostolus explicat μετέθηκεν *transtulit*, sive, *traduxit eum Deus*, *Heb.* 11: 5. Q. *Felicitas illa æterna quid est?* R. Si spectetur *in toto*, est Communio Dei, in Christo consummata, unde *assumptio* & *receptio* dicta catechetæ ex *Joh.* 14: 3. Si spectetur *in partibus*, sunt gaudia cœlestia & sempiterna gloria, *Psal.* 16: 11. 2 *Cor.* 4: 17. solis electis ab æterno parata, *Matth.* 25: 34. Unde Catech. *me verò*, inquit, *cum omnibus electis* &c. Quod præposterum est Judæorum modernorum de primo Messiæ adventu votum, id Christianorum esse oportet de

tet de altero ejus adventu illustri; *Acceleret eum Deus in diebus nostris.* Ναὶ ἔρχε, Κύριε Ἰησοῦ, Apoc. 22: 20.

DE SPIRITU SANCTO.

Quæstio LIII.

Quid credis de Spiritu Sancto?

PRimùm, quòd sit verus & coæternus Deus cum æterno Patre & Filio. Deinde, quòd mihi quoque datus sit, ut me per veram fidem Christi & omnium ejus beneficiorum participem faciat, me consoletur, & mecum in æternum maneat.

ANALYSIS.

In titulo exhibetur subjectum tractationis, quod est tertia SS. Trin. Persona, à natura, ὑποστάσει & operatione descripta.

In Quæst. petitur confessio & expositio fidei circa articulum de Spiritu S.

Ad Quæst. Catechum. sic respondere jubetur, ut ostendat:

I. Quem credat esse Spiritum S. quantum ad personam; *Quòd sit verus & æternus* &c. Quæ veritas in has partes resolvenda: Credit 1. Spiritum S. *esse.* 2. Eundem esse *Deum verum & æternum.* 3. Esse *personam distinctam à Patre & Filio.* 4. Esse *Spiritum Patris & Filii.*

II. Qualem credat esse operatione œconomica; *Deinde quòd mihi quoque datus sit.* Ubi

1. Credere se profitetur. α Spiritum S. *dari*, electis, puta, & redemptis. β In iis *operari fidem*, per quam *Christi & beneficiorum ejus participes fiant.* γ. Eoidem *consolari.* δ. Cum iisdem *in æternum manere.*

2. Hæc sibi applicat, unde gloriatio; Credo, *quòd* mihi *quoque datus sit, ut me per veram fidem*, &c.

EXEGESIS.

Nexus. QUis hîc rerum tractandarum ordo? R. Eum docet rubrica, sive titulus, quô hæc Catecheseos pars inscribitur, *de Spiritu Sancto.* Nimirum secundam Symboli Apost. partem de *Deo Filio*, excipit ultima de Spiritu S. tertia SS. Trinitatis Persona, de qua quid credat Catechumenus hac Quæstione profiteri & exponere jubetur.

Summa doctrinæ Catechet. de Spiritu Sancto. II Q. *Ista fidei confessio quænam summatim continet?* R. Ostendit. 1. Quem credat esse Spiritum S. quantum ad Personam. 2. Qualem credat esse operatione œconomica. Q. *Quid credit de Spiritu S. quantum ad Personam?* R. *Quod sit verus & coæternus Deus cum æterno Patre & Filio.* Quibus verbis quatuor istas veritates in analysi propositas complectitur, quas etiam seorsim expendere juvabit.

I. Quis sit quantum ad personam.

II. Qualis sit operatione œconomica.

Probatur. I. Spiritum S. esse. III. Q. *Primùm igitur credit Spiritum S. esse, sed quibus argumentis persuasus?* R. 1. Testimoniô Dei, *Gen.* 1: 2. & passim per universum Scripturarum codicem. 2. Visionibus ac signis, quibus Spiritus S. supervenerus, accedentibus testificatione & operibus divinis, denotatus fuit, *Matth.* 3: 16, 17. *Act.* 2: 2, &c. Obj. *Atqui Job.* 7: 39. *Nondum erat Spiritus S. conf. Act.* 19: 2. R. Id *non de substantia Spiritus S. cùm legamus Prophetas, Simeonem, Annam Viduam, non caruisse*

vulſſe Spiritu S. &c. inquit Auguſt. ſed de effuſione Spiritûs, per Joëlem aliosque Prophetas promiſſa, intelligendum eſt. Quo enſu etiam vulgò Judæi Spiritum S. inter cætera templi Salomo. decora in domo ſecunda deſuiſſe dicunt.

IV. Q. *Secundò, Spiritum S. eſſe Deum verum & æternum, unde conſtat?* R. I. Ex nominibus divinis, quæ Spiritui S. tribuuntur, veluti *Jehovæ, Adonai, Eſeq.* 6: 5, 8 coll. *Act.* 28: 25. *Deus, Act.* 5: 3, 4. II. Proprietatibus divinis: quales ſunt *æternitas, Gen.* 1: 2. Qui enim fuit in initio, priùsquàm eſſet quicquam eorum, quæ facta ſunt, ille factorum numerus exemptus ob hanc ſolam cauſam eſt, quia non poteſt non eſſe. *Omnipræſentia, Pſal.* 139: 7. *Omniſcientia,* 1 *Cor.* 2: 10. conf. *Job.* 28: 23. Ubi *ſcrutari* per metonymiam antecedentis eſt penitùs & perfectè cognoscere. Unde cum Chriſto teſtari dicitur, non jam quod audivit, ſed *quod vidit* in Deo, *Joh.* 3: 11. *Omnipotentia, Act.* 1 8 *Rom.* 15 13, 19. Unde non rarò Spiritus & potentia conjunguntur *Eeb.* 2: 16. 1 *Theſſ.* 1 5. *Luc.* 1: 17. Spiritus ergò non denotat potentiam, quæ attributum eſt Dei, ſed Perſonam, quæ potentiam habet, & per eandem operatur: atqui potentia non operatur per potentiam. III. Ex operibus divinis: qualia ſunt *Creatio prima, Gen.* 1 2. ubi ſub ſimilitudine aquilæ pullos alarum motitatione ad volatum excitantis & provocantis (quæ vis eſt verbi conf. *Deut.* 32: 11.) docemur, Spiritum Dei eò fuiſſe occupatum & operoſum, ut immensam materiæ molem digereret & ad agendum applicaret. Confer *Job.* 26: 12 & 33 4. Et *creatio ſecunda*, quæ nova, vel novi cordis creatio eſt. Itemque *Reſuſcitatio mortuorum. Rom.* 8 11 Quare etiam corpus in reſurrectione beata induendum *Spirituale* dicitur, quippe quod à Spiritu vivificabitur ad incorruptionem, 1 *Cor* 15: 44. IV. Ex cultu religioſo, qui ipſi deferendus. *Gratia Domini noſtri J C & charitas Dei, & communio S Spiritus ſit cum omnibus vobis*, 2 *Cor.* 13: 13 Obj. *Apoſtolus Corinthiorum fidelibus non activam, ſed paſſivam Spiritûs communionem precari videtur* R. Ut gratiam à

II *Eſſe Deum verum & æternum*

Quod demonſtratur

a *Ex nominibus divinis*

b. *Proprietatibus divinis.*

c *Operibus divinis.*

d. *Cultu religioſo.*

Filio dandam &c. sic communionem, quâ Spiritus ipse se suaque dona fidelibus communicet, voto, suo expetit, Confer *Apoc.* 1: 4, 5. Cultum religiosum Spiritui S. deberi etiam probatur eo, quòd *baptizari* jubemur *in nomen* ejus, *Matth.* 28: 19 quo de videsis ad Quæst XXV. Item quòd fidelium quique dicuntur *templum Spiritus S.* 1 *Cor.* 3: 16. & 6. 19, 20. Ergo domus soli Deo, religiosoque ejus cultui sacra.

III. Spiritum S. esse Personam, &c.

V. Q. *Tertiò*; *Spiritum S esse personam divinam à Patre Filioque distinctam unde demonstras?* R. Id Scriptura docet: 1. de Spiritu S. ut persona, eâque distinctâ, loquens; *Joh.* 14 16 & 15: 26. ubi ἄλλος παράκλητος est, quem Prophetia מנחם משיח *Indicem alterum*, *Zach* 9: 12. appellat: quem Christus abiens Apostolis & Ecclesiæ, tanquam Vicarium suum, mittendum promisit. 2. Spiritui S. quæ personæ sunt, attribuens; quale est *operari atque dispertiri dona cuique prout vult*, 1 *Cor.* 12: 11. Gerere nomen *testis* & *testari*: *cognosci*, *honorari*, *contumeliâ affici*: habere φρόνημα *sensum atque studium*, *quod est secundùm Deum*, &c. Exc. *Ista dici per prosopopœiam.* R. 1. Atqui nemo offendet, in sermone vel Scripturæ vel prudentum, omnia quæ personarum sunt prædicari de re, quæ persona non sit, idque non jam semel & rarenter, sed crebro & ubique. 2. Quæ ratio enallages, quâ Scriptura uti solet, neutro generi πνεῦμα adjungens masculinum ἐκεῖνος & ὃς, *Joh.* 16: 13 *Eph* 1: 13, 14, nisi ut personam exprimat, nosque adversus fraudem hæreticæ pravitatis prævisam præmuniat?

Exceptio. Responsio.

IV. Spiritum S esse Spiritum Patris & Filii, explicatur & probatur.

VI. Q. *Quartò denique Spiritum S. esse Spiritum Patris & Filii quo sensu intelligi vis?* R. Dicere volo; Spiritum S. ab utroque procedere, ita ut, quemadmodum *Filius vivit propter Patrem* viventem, *Joh.* 6: 57. itidem & Spiritus S. vivat propter viventem Patrem & Filium. Præterea, ut *Filius non potest facere, nisi quod videt Patrem facientem*, *Joh* 5: 19. quod argumentum est unitatis essentiæ, voluntatis, potentiæ, &c. ita Spiritus S. non possit facere, nisi quod videt Patrem & Filium facientem. Unde *ex iis, quæ Filii sunt sumere, nobisque annunciare* dicitur, *Joh.* 16: 14. Plura de

de mysterio tanto dicere vetat Scripturæ silentium.

Q. *Spiritum Sanctum à Patre simul atque à Filio procedere negat Ecclesia Græca : tu verò quibus argumentis sententiam ajentem confirmas ?* R. I. Quia est Spiritus Filii, *Gal.* 4: 6. Christi, *Rom.* 8: 9. II. A Christo mittitur & datur, *Joh.* 15: 26. Unde ἐνεφύσησε καὶ λέγει· λάβετε πνεῦμα ἅγιον, *Joh.* 20: 22. quæ insufflatio signum erat Spiritûs à Christo procedentis, & pignus Spiritûs à Christo juxta promissionem mittendi. III. Quicquid revelat Ecclesiæ à Filio accipit, eumque glorificat, non minùs quàm Filius Patrem, *Joh.* 16: 14. Obj. *Atqui Spiritus ille Veritatis παρὰ τοῦ πατρὸς ἐκπορεύεσθαι dicitur*, *Joh.* 15: 26. R. Ista verba primariò non de ἐκπορεύσει φυσικῇ & ὑποστατικῇ ἰδιότητι Spiritûs S. sed de ἐκπορεύσει οἰκονομικῇ sive de egressione ad homines exaudienda sunt. Q. *Hæc autem Veritas estne tanti momenti, ut adversus Græcos meritò retineri & defendi debeat ?* R. Utiquè: pertinet enim 1. ad confirmationem fidei de æqualitate Filii cum Patre. 2. Ad consolationem. Inde namque liquet, Spiritum S. nobis dono mitti à Patre Filioque, nec mitti posse à Patre, quin mittatur à Filio, & vicissim : idque Filium suô consecutum esse meritô, ut nobis decenter donari possit, qui corda purificet per fidem, nos Christo inserat, &c. quique nobis sit arrhabo redemptionis nostræ, sigillum promissionis, & Spiritus adoptionis : cujus φρόνημα & sensus idem sit, qui Patris est & Filii, cùm una trium sit voluntas. Id adeò maximè solamini est, quòd quicquid Spiritus S. ad nostrî consummationem in nobis operatur, id secundùm Patris & Filii voluntatem operetur.

Objectio.
Resp.
Veritatis illius retinendæ & defendendæ necessitas.

VII. Q. *Priusquàm hinc abeamus, quæram, quare & quô sensu tertia SS. Trinitatis Persona dicatur Spiritus, cùm id nominis Deo ἐσιωδῶς adeoque omnibus tribus Personis communiter conveniat*, *Joh.* 4: 24. Resp. Spiritus dicitur à proprietate ὑποστάσεως, quia à Patre & Filio una spiratione, sed nobis incomprehensibili & ineffabili, procedit. Q. *Quare dicitur Sanctus ?* R. Propter operationem œconomicam, quæ est *sanctificare* redemptos *ad vitam æternam*, 1 *Cor.* 6: 11. 1 *Pet.* 1: 2. &c.

Quare tertia persona SS. Trin. dicatur Spiritus.
Quare Sanctus.

Spiritus S. qualis sit operatione œconomica.

VIII. Q. *Hæc de persona Spiritûs S. superest considerandum, qualis sit operatione œconomicâ?* R. Hic Catech. exprimit suam tùm notitiam tùm fiduciam fidei Q. *Quomodo notitiam?* R. Quando sequentes veritates ex verbo Dei sibi compertas profitetur. I. *Spiritum S. dari* Electis & Redemptis, ceu paracletum, arrham & sigillum &c. *Eph.* 1: 13, 14. II. *Eundem* in electis *operari fidem*, per quam Christo insiti omnium ejus beneficiorum participes reddantur. Unde *Spiritus fidei* dicitur, 2 *Cor.* 4: 13. III. Eosdem electos *solatio sustentare* in afflictionibus. Atque hinc *paracletus* appellatur, *Joh.* 14: 16. & 15: 26. Parum ad rem interest, nomen illud παράκλητος *consolatorem* vertas, an *advocatum*: quando eô ipsô consolatorem se præbet, quòd pro nobis *intercedit suspiriis ineloquacibus*, *Rom.* 8: 26. IV. Cum illis, quibus est datus, *æternum manere*, *Joh.* 14: 16, 23. Q. *Quomodo testatam facit catech. suam fiduciam?* R. Quando quæ de œconomia Spiritûs S. credere se profitetur, sibi applicat, rei veritatem conscientiæ sensu & experimentô compertam habens. Unde gloriatio illa fidei; *credo, quòd* mihi *quoque datus sit*, &c. Q. *Spiritum S. & mihi dono datum, unde sciam?* R. Eos, quibus dono datur, præsentiæ & inhabitationis suæ non sinit esse ignaros, quippe docens, ducens, instruens, consolans, obsignans, contestificans, lætificans, &c. Quæ omnia, cùm Scripturæ testimoniô & intimô conscientiæ sensu comprobentur, fidelibus seipsos, ut oportet, explorantibus dubitationem eximunt.

I. Fidei suæ notitiam & assensum.

II. Fiduciam.

Spiritûs S. præsentia & inhabitatio quibus signis cognoscatur.

Quæstio LIV.

Quid credis de sancta & catholica Christi Ecclesia?

CRedo Filium Dei ab initio mundi ad finem usque, sibi ex universo genere

nere humano cœtum ad vitam æternam electum, per Spiritum suum & verbum, in vera fide consentientem colligere, tueri ac servare: meque vivum ejus cœtus membrum esse, & perpetuò mansurum.

ANALYSIS.

I. Materiam Quæstioni suppeditat pars prior articuli noni Symb. Ap. *Credo sanctam Ecclesiam Catholicam*: quibus verbis quid Catechum. sentire se atque credere profiteatur, inquiritur.

II. Responsionis duæ sunt partes.

1. Generalis explicatio articuli, per descriptionem Ecclesiæ ex quatuor Causarum generibus. 1. Ex Causa procreante & conservante; *Credo Filium Dei per Spiritum suum & verbum——colligere, tueri ac servare.* 2. Materia, quæ est multitudo *hominum ex universo genere humano ad vitam æternam electa.* 3. Forma, quæ est *consensus in vera fide.* 4. Fine subordinato, *vita æterna.*

2. Specialis applicatio articuli; Credo *me vivum ejus cœtus membrum esse*, &c.

EXEGESIS.

PRoxima Quæstione de Spiritu Sancto & sanctificante vidimus: sequitur nunc Spiritus sanctificantis & sanctificationis *subjectum recipiens*, quod ex *Nexus.*

Rerum tractandarum summa.

art. IX. Symboli Apost. statuitur *Ecclesia*. Ut enim ros soli velleri Gideonis, *Jud.* 6: 37. sic sanctificationis beneficium soli Ecclesiæ destinatum est. Ecclesiæ, quantò fieri poterit brevitatis studiò, considerabimus 1. Nomen. 2. Rem ex definitione, quam dat Catech. 3. Epitheta. 4. Catechumeni fidem.

Ecclesia quomodo appelletur in libris V. T.

II. Ecclesiæ nomina in libris V. T. usitatissima sunt קהל & עדה quorum illud frequenter Ἐκκλησίαν, hoc nunquam aliter, quam συναγωγὴν reddiderunt LXX Nomina autem ista Hebr. differre significatu docet locus *Prov.* 5: 14. scil. quævis multitudo ex condicto convenientium dicta videtur עדה Sed cœtus magnus consentiens & ab aliis distinctus, qualis est civium unius Reip. sive convenerint in concionem, sive saltem societate quapiam, præsertim religiosa, contineantur, propriè קהל vocatur. Unde Rabbinis ex. gr. dicitur קהלא קדישא דבירושלם *Ecclesia Sancta, quæ est Hierosolymis.* עדה verò cœtus ex universis delectus, & minimùm denariô capitum constans, Sanhedr. *Cap.* 1. §. 6. Græcos Interpretes, qui primi vocem *Ecclesiæ* traduxerunt ad significandum communitatem & conventus Israëlitarum, secuti Evangelistæ & Apostoli in N. T. eandem de populo Dei è mundo per Evangelii prædicationem evocato, cum universim, tùm particulatim sumpto, usurpârunt, vocabulô Ecclesiæ ad significatum Hebr. קהל & עדה accommodatô, non repugnante ejus etymo: quicquid demùm Ecclesia profanis Scriptoribus significet. Cæterùm nomine συναγωγῆς, Judæis de conventu suo & loco conventûs usitato non abs re abstinuerunt Scriptores N. T. ut quod Ecclesiæ Judaicæ & Christianæ discrimen est, etiam nomenclationis diversitate significaretur.

Inter nomina קהל & עדה quid intersit.

Ecclesia Christi cur nunquam appelletur Synagoga.

Homonymia nominis Ecclesia.

III. Ambiguitatem nominis *Ecclesia* quod attinet, ad institutum nostrum id unum annotatum oportet; Societatem Christianorum posse considerari vel *universè*, unde *Ecclesia universalis* dicta: vel καθ' μέρος, quatenus in varias particulares societates distributa est: Unde *Ecclesia particularis.* Priori sensu accipitur vox Ecclesiæ, *Matth.* 16: 18. *Eph.* 1: 22. 23. & alibi passim. At cùm mentio fit *Ecclesiarum*, ut *Act.* 9: 31. & 15: 41. item

Ecclesia

Ecclesiæ quæ *erat Hierosolymis*, & *Ecclesiæ Corinthiorum*; &c. in Actis Apost. & Epistolis Pauli, denotantur societates particulares eorum, qui Christo nomen dederant variis in locis, ex quibus Universalis Ecclesia suô modô constituta est. Ecclesia porrò Universalis nunc latiori, nunc angustiori significatu dicitur. *Latiori* quidem, quatenus complectitur omnes sive homines, sive cœtus, fidem in Christum profitentes, &c. Quomodo sumpta Ecclesia notam habet sensibilem, dicturque *magna domus*, *in qua non tantùm sunt vasa aurea & argentea*, *sed etiam lignea*, &c. 2 *Tim.* 2: 20. *Angustiori* deinde, quatenus Ecclesia significat universam multitudinem electorum & efficaciter vocatorum, &c. ut *Eph.* 5: 25. & alibi. Quô modô Ecclesia sensui non subjecta sola fide percipitur. Atque hoc posteriori significatu venit vox Ecclesiæ in Symbolo Apost. quod vel inde liquet, quia talem in mundo reperiri Ecclesiam, fidei articulus est. Quapropter etiam Catech. articulum IX. Symboli Apost. rectè de Universo cœtu Electorum & regenitorum interpretatur. Atque hæc de nomine. Nunc rem ipsam expendamus, sequentes vestigia Analyseos Catech.

Quo significatu nomen Ecclesiæ veniat in Symbolo Apost.

IV. Q. *Ecclesiæ author & fundator quis est?* R. Ipse Filius Dei, qui eam *proprio sanguine acquisivit*, *Act.* 20: 28. optimoque jure *suam* dicit, *Matth.* 16: 18. Q. *Quo sensu author Ecclesiæ est?* R. I. Procreando: ipse enim sibi Ecclesiam jure quæsitam colligit, tùm per se, *Matth.* 15: 24. *Luc.* 24: 15. *Joh.* 10: 14, 15, 16. tùm per alios, puta, verbi ministros, *Eph.* 4: 11, 12. II. Conservando: quia Ecclesiam adversus hostium fraudem atque vim curâ usque adeò vigili manuque valida tuetur, ut ne unum quidem membrum, à corpore Ecclesiæ avulsum, pereat, *Joh.* 10: 28. *Eph.* 5: 29. Hinc Ecclesiam totam è mundo nunquam perire, adeò verum est, ut vel ipsæ persecutiones & jactationes Ecclesiæ ejus per omnes terrarum tractus propagationem & diffusionem juvare debeant. Quemadmodum agricolæ graminis & herbarum agrestium semina non colligunt, sed vento jactanda & dispergenda relinquunt, non ut dispereant, sed ut disjecta passim

Ecclesiæ Author Efficiens quis. & quomodo.

progerminent. Ut adeò ventus sit sator, de quo Optimus naturæ Parens humano generi in laboris compendium providit, cum in finem seminum folliculis ut plurimum lanugine quadam vestitis; ut ventô facilius differri queant. Sic persecutio ventus est, fideles, pro seminandæ Ecclesiæ traduces, disjiciens, non sanè ut intereant, sed Deo providente lætiori proventu alibi terrarum succrescant.

Colligi & conservari Ecclesiam per verbum & Spiritum Christi.

V. Q. *Quomodo colligit & conservat Ecclesiam?* R. Per Spiritum suum & verbum: quæ est continua vocatio. Q. *Qualis igitur est ista vocatio?* R. Non solùm *externa* per Verbum, quæ Electorum & reproborum communis est, *Matth.* 20: 16. sed etiam *interna* per Spiritum S. Electorum propria, *Rom.* 8: 30. Collectio Ecclesiæ est vocatio eorum, quæ non sunt, ut sint, & resuscitatio mortuorum in lapsibus & peccatis. Atque ab hac vocatione vera Ecclesia, quam in Symbolo Apost. nos credere profitemur, nomen accepit. Unde qui Ecclesiam faciunt iidem *Vocati* dicuntur, & *Vocatio*, 1 *Cor.* 1: 24, 26. Q. *Hæc vocatio interna quomodo fit?* R. Certissimum est, eam fieri per illuminationem mentis & immutationem cordis, atque adeò esse potentissimam peccatoris adductionem ad fidem & communionem gratiæ Christi; unde *Vocatio efficax* dici consuevit. Obj. *Vocatio includit invitationem: Atqui in vocatione interna sic explicata nulla invitatio*, &c. R. Mandat externô auribus insonante, animus ipse atque conscientia peccatoris, à Spiritu S. illuminata, vicem Dei sumens, peccatorem miseriæ suæ sensu dejectum venire jubet, utque jussus veniat Spiritus S. efficit. Cui rei explicandæ servit illud, *Psal.* 27: 8 *Tibi*, O Deus (i. e. vicem tuam, pro te, ut *Exod.* 4: 16.) *dicit cor meum, quærite faciem meam.* Hæc est vocatio interna, cui etiam se obsequentem sistit illicò, dicens; *faciem tuam, ô Jehova, quæro.* Quando igitur suum homini cor, suusque animus idem loquitur intus, quod Deus in verbo suo, vocatio est interna, successu non destituta, quippe quam certa sequitur veniendi voluntas & obsequendi

Ubi de vocatione externa & interna.

Vocatio interna quomodo fiat.

In ea etiam esse mandatum aliquod, quô peccator intus compelletur & venire jubeatur.

propo-

propositum, Spiritu S. mentem illuminante, persuadente, permovente sanctificante.

VI. Q. *Unde & quò vocatur peccator?* R. Vocatio, unde vocatorum multitudo *Ecclesia* appellatur, non est evocatio ex loco in locum, qualis erat civium ad concionem voce præconis facta convocatio apud Athenas, nî Ecclesiam à campanarum sonitu dictam velis; sed est Electorum separatio à mundo, & potens ad Christum adductio. Hoc modò qui vocati sunt, sive ad sacra congregentur in eodem loco, sive persecutionibus jactari cogantur latere vel obertare; sive cohabient, sive dispersi longis locorum intervallis distudantur, unam nihilominus constituunt Ecclesiam, quippe qui ejusdem Vocationis cœlestis participes, ab impuri profanique mundi consortio segregati, alia sentiunt, sapiunt, amant, sectantur quàm seculi homines: idem tamen omnibus sensus, idemque studium est, quia una omnibus fides, quâ Christo; eadem charitas, quâ sibi invicem devinciuntur. Qui sè è multitudine aliqua evocanti paret, eô ipsô ab istâ multitudine segregatus, vocanti & aliis, unà secum evocatis, aggregatur. *Vocationis termini a quo, & ad quem quinam sint.*

VII. Q. *Ecclesiam quinam constituunt?* R. Non sanè universum genus humanum facit Ecclesiam, sed *cœtus* multorum *ex universo genere humano ad vitam æternam electus*, ut Catech. docet ex *Joh.* 17: 6. *Apoc.* 5: 9. *Ecclesia Materia quænam.*

Q. *Qui Ecclesiam constituunt, ceu vera ejus membra, quales sunt naturâ suâ?* R. Naturâ cæteris hominibus nihilô sunt meliores, quippe *filii iræ, ut & reliqui*, *Eph.* 2: 3. Q. *Unde igitur id consequuntur beneficii, ut fiant Ecclesiæ Christi?* R. Liberrimo favori atque gratiæ Dei id debent, quod æternô testamentô ad hæreditatem vitæ vocati, nunc etiam in tempore ad communionem vitæ æternæ in Christo vocentur. Q. *Ergone sola electio æterna non facit membrum esse Ecclesiæ?* R. Ad id necesse est, ut vocentur in tempore & vocationi pareant, nisi malos etiamnum & irregeniros Ecclesiæ vera membra dicere velis. Facit tamen electio, ut electorum quisque membrum Ecclesiæ certò sit futurus suo tempore, juxta *Joh.* 10: 16. Hinc *Qui Ecclesiam constituunt quales sint naturâ. Idem ex gratia sunt electi ad vitam. Solane Electio facit membrum esse Ecclesiæ.*

vocat-

vocati, *electi*, *fideles*, conjunctim dicuntur, qui Ecclesiam constituunt, *Apoc.* 17: 14.

Omnesne communiter vocati sint membra Ecclesiæ.

Ubi distinguitur judicium charitatis de personis à judicio fidei in genere de re verbo Dei definita.

VIII. Q. *Nonne omnes communiter vocati pertinent ad Ecclesiam?* R. Hîc distinguendum inter id quod ex officio charitatis speciatim de hac illave persona judicandum, & id quod in genere de rei veritate, verbô Dei definita, nobis certa fide tenendum est. Qui hactenus vocati Evangelium ita audiunt, ut etiam posthac audire velle videantur, suumque nomen inter Christi discipulos ore saltem profitentur, hi nobis pro Christianis & Ecclesiæ membris habendi sunt. Sic Apostolo 1 *Cor.* 7: 12, 13, 14. *fidelis* dicitur *conjux*, qui religionem Christianam profitetur, non attentô, verane sit professio, an simulata: infidelis contrà, qui animum ab ista professione alienum ostendit. Q. *Unde probas, hanc esse mentem Apostoli?* R. Nisi esset, præceptum, quô divortium fieri vetat inter conjugem fidelem & infidelem, si hic illi cohabitare consentiat, nullo casu usui esse posset, quando nemini mortalium datum est, infallibili judiciô nôsse, an fidem, quam alter conjugum profitetur, veram habeat, an fucatam. Quod verò ad rei veritatem verbô Dei definitam attinet, id nobis exploratum esse debet, non omnes fidem profitentes, sed solos electos & efficaciter vocatos, vera esse Ecclesiæ membra. Q. *Id verò unde probas?* R. Ecclesia vera est corpus Christi mysticum, cujus membra Christo ceu capiti suo per veram fidem insita cohærent: atqui hæc fides *electorum* propria est, *Tit.* 1: 1. *Act.* 13: 48. Obj. *Ergò non omnes externè vocati pro Ecclesiæ membris habendi judiciô charitatis: quia judicium nostrum, ne fallat, ad judicium Scripturæ est conformandum.* R. Aliud est judicare de membris Ecclesiæ in genere, judiciô nullis personis definitè applicatô; quo sensu vera Ecclesiæ membra ex Scriptura S. definientes negamus, de Ecclesia esse, quotquot in ea sunt, externa fidei professione, 1 *Joh.* 2: 19. Aliud deinde est judicare de membris Ecclesiæ in specie, exhibitis his illisve personis, de quibus judicium ferri debeat: atque hîc locum dari oportet charitati, quæ *omnia credit, omnia sperat*, 1 *Cor.* 13: 7. Si vel minima

sit

sit ratio credendi & benè de proximo sperandi, charitas in eam partem propendet, etsi non desint rationes, quæ contrarium suadere videantur, modo rationes illæ adeo graves & evidentes non sint, ut iis non permoveri sit manifestæ veritati repugnare.

IX. Q. *Id verò per quod tu, ego, alii, vera sumus membra Ecclesiæ, quid est?* R. Consensus in vera fide, ut Catech. docet. Nimirum veræ fidei doctrinam, verbô Dei traditam, uno *corde* amplectuntur *ad justitiam*, & uno *ore profitentur ad salutem*, quotquot Ecclesiæ membra φερωνύμως talia sunt, *Rom.* 10: 9, 10. *Eph.* 4: 3, 4, 5. Unde Ecclesia columna & *firmamentum veritatis*, 1 *Tim.* 3: 15. adde *Eph.* 2: 20. & 4: 13. *Act.* 2: 42, 44. Atque hæc in descriptionem Ecclesiæ à Catech. traditam dixisse sufficiat. Unde non obscurum, quid de distinctione Ecclesiæ *Visibilis* & *Invisibilis* tenendum. *Ecclesiæ forma quænam.*

X. Q. *Visibilis & Invisibilis Ecclesia eademne, an diversa est?* R. Ex mente nostra eadem Ecclesia Visibilis dici potest & Invisibilis, quatenus vel ex iis, quæ in sensus incurrunt, vel ex aliis, quæ à sensibus remota sunt consideratur. Rursus tamen ea ipsa, quæ Ecclesiam faciunt conspicuam, temporum vicissitudine multum variant, quanquam ne quidem calamitosissima tempora eam prorsus latere patiantur, ut omnis ejus fama & memoria intereat. Fieri potest, ut quis sibi persuadeat, ut olim Elias, Ecclesiam interisse, se solo superstite, cùm nihilominùs 7000. superessent, qui genua non flexére Baali. 1 *Reg.* 19. Quo casu Ecclesia, quæ Prophetæ erat invisibilis, hostibus idololatris potuit esse non ignota, quippe non ignorantibus quos quam ob causam persequerentur. Verùm si, quod faciunt Pontificii, Ecclesiam visibilem diceres, quæ nihil nisi externa haberet, negarem equidem Ecclesiam visibilem & invisibilem unam eandemque fore & solo respectu distingui. Ea de re quid sentiant Pontificii, docent Bellarminus, *Ecclesiam* dicens *unam tantùm esse, non duas, & illam unam & veram esse cœtum hominum ejusdem Christianæ fidei professione, & eorundem sacramentorum communione col-* *Ecclesiam eandem alio & alio respectu dici posse visibilem & invisibilem.*

Sed non ex mente Pontificiorum: quorum sententia super ea re ex Bellarm. profertur & rejicitur.

ne colligatum, sub regimine legitimorum pastorum, ac præcipuè unius Christi in terris vicarii Romani Pontificis. Addit deinceps; *ut aliquis aliquo modo dici possit pars veræ Ecclesiæ, de qua Scripturæ loquuntur, non putamus requiri ullam internam virtutem*, &c. *Tom. II. lib. III. de Ecclesia milit.* c. 2. Sed hæc vehementer absurda sunt. Siccine Christus dicetur caput ejus Societatis, quæ nulla fide, nullaque charitate prædita est? Siccine cœtus, omni interna virtute carens & sceleribus scatens, appellari merebitur *sponsa, corpus, oves Christi, gloriosa Civitas Dei & Christi, hæreditas, peculium, populus peculiaris?* &c. Quod si Ecclesia visibilis latiori vocis usu comparatur cum *area*, tritici & paleam habente, cum *rete*, malos pariter & bonos pisces colligente, totum istud à meliore sui parte nomen oritur, quia invisibilis Ecclesia, in quam solam memorata encomia competunt, in visibili latet.

Ecclesiæ Epitheta.

XI. Q. *Quænam sunt Ecclesiæ epitheta, de quibus tertiò loco dicere constituimus?* R. Quam credimus Ecclesiam, in Symbolo Apost. & inde in Quæst. nostra Catech. dicitur *Sancta & Catholica.*

1. Appellatur Sancta. Solum Deum ex se esse sanctum & quid sanctum, & quid sanctitas Dei sit, ostenditur.

XII. Q. *Epithetum illud* Sancta *quid significat?* R. Ante omnia notandum, solum Deum ex se esse Sanctum. Quo sensu *nemo bonus, nisi unus Deus, Matth.* 19: 17. etiam nemo sanctus, nisi unus Deus: unde ter Sanctus laudatur in Trisagio, *Esa.* 6. 3. & *Sanctus Israëlis* apud eundem Prophetam aliquoties, & exemplar Sanctitatis est, *Lev* 11: 44. & 19: 2. 1 *Pet.* 1: 16. Sanctus porrò est Deus, h. e. 1. Separatus ut ab omni vilitate & humilitate, sic ab omni immundicie & reprehensione, quippe Maximus, habitans lucem, amans veritatem, non dicens, non faciens, nisi quod per omnia conveniat voluntati quod verum est amanti: quæ Apostolo ὁσιότης ἀληθείας dicta, præcipuam imaginis divinæ partem constituens, *Eph* 4. 24. II. Hinc Deus & quæcunque Dei sive divina sunt, summè veneranda, tremenda, inviolabilia & extra omnem contemptum constituta sunt. Q. *Quo sensu jam sanctum quid dici potest extra Deum?* R. Quò quid propiùs ad Deum accedit, eò sanctius & inviolabilius esse

Quo sensu alia præter

esse intelligitur, puta 1. *Usu*: sic sancta dicuntur, quæ ab usu communi secreta & Deo dicata sunt. 2. Authoritate & potestate adversus contemptum & violationem munita legibus. Sic sancta Principum Majestas &c. 3. Similitudine virtutum. Quo sensu etiam Latinis Sanctitas significat augustam quandam & maximè admirabilem omnium virtutum complexionem, incontaminata puritate & sinceritate junctam, quæ habentem à contemptu & violatione vindicare debet, quando præter peccati immunditiem nihil in homine contemni meretur. *Deum sanctadicuntur.*

Q. *Hactenus dicta quomodo Ecclesiæ applicas?* R. Sancta est Ecclesia. 1. Quia à mundo secreta & Deo dicata est sancto fœdere, sanctâ doctrinâ, sanctis legibus, &c. Sic universa quondam Gens Judaica *Sancta* dicebatur, quòd ad fœderis communionem evocata, circumcisione, aliisque ritibus Deo dicata fuerit, *Deut.* 7: 6. Quæ sanctitas *fœderalis*, *externa*, *relativa* & *denominativa* est Theologis. 2. Sancta est Ecclesia similitudine virtutum, quatenus eam in hac vita assequi datur. Quæ non jam *relativa* tantùm, sed etiam *absoluta* & *interna* sanctitas est, per quam Ecclesia Deo cum effectu dicata reapse servit: de qua *Luc.* 1: 74, 75. 1 *Cor.* 6: 11. *Tit.* 2: 14. &c. 3. Sancta est Ecclesia, quia eo ipso nomine, de quo hactenus, inviolabilis & extra contemptum constituta haberi debet. Hujus instar vide in Ecclesia Patriarcharum, *Psal.* 105: 13, 15. Et in Ecclesia Israëlitica, *Zach.* 2: 1, 2, &c. *Quid significetur quando Ecclesia vocatur Sancta.*

XIII. Q. *Titulus*, Catholica, *origine sua & usu qualis est?* R. Non est ἐγγεγραφος, sed usus Ecclesiastici, primùm Ignatio in epistola ad Smyrnenses, sed tamen ejus Epistola est, usurpatus. Verum tituli sensum docet scriptura, & inde Catech. his verbis; Credo, Filium Dei *ab initio mundi ad finem usque sibi ex universo genere humano cœtum*, &c. Catholica igitur dicitur, 1. e. *universalis* ratione *temporis*, *loci* & *personarum*. Quæ ut rectiùs intelligantur, tenendum est *Catholicæ* cognomen nunc *latissimo*, nunc *strictiori* sensu, aliquando etiam *abusivè* accipi. *Sensu latissimo*, quatenus omnes temporum, locorum, personarum *II. Appellatur Catholica. Cujus consensum gnominis origo & usus quis.*

ac

Ejusdem ratio ut rectius percipiatur, nominis evolvitur significatus ambiguus.

ac conditionum differentias complectens, universam Dei familiam per omnia mundi secula & spacia diffusam significat. Ex quo enim Verbum promissionis Evangelicæ auditum & creditum fuit, etiam ecclesia extitit, nunc arctioribus, nunc latioribus finibus, pro varia temporum dispensatione: Ut adeò Ecclesia nec defuerit, nec defutura sit unquam. *Sensu stricti*ori, quando Ecclesia N. T. appellatur Catholica in oppositione ad Ecclesiam V. T. I. Quia nulli loco, ut olim, affixa est: non quòd simul & semper omnia terrarum loca occupet, sed quia, Deò sic gratiæ suæ dispensationem pro arbitrio suis dividente temporibus, nullus locus est, in quem diffundi non possit. II. Quia nulli genti, hominum ordini, ætati, sexui &c. alligata est Ecclesia. Hâc notâ oportebat etiam Eccles. Christianam à Synagoga distingui, ut declararetur, per adventum Christi impletam esse fidem Oraculorum propheticorum, quæ quasvis promiscuè gentes ad Dei communionem vocandas esse prænunciaverant; quanquam ab eo potissimùm tempore *Catholicæ* nomen invaluerit, quò *Novatiani*, & pòst etiam *Donatistæ* Ecclesiam exiguo terrarum angulo intra Africam includebant. Sumitur tandem nomen Catholicæ *abusivè*: quando significandæ Ecclesiæ particulari, communionem cum Catholica retinenti, nullaque hæresi, vel schismate ab ea revulsæ, adhibetur: ferè quò sensu Oceanum Atlanticum, Britannicum, &c. dicimus maria, quæ ex terris adjacentibus ea nomina habent, sed cum Oceano cohærent. Imò usus obtinuit, ut *Catholica* idem denotaret, quod *Orthodoxa*, & Catholicæ elogium opponeretur Hæreticorum & Schismaticorum conventiculis. Unde frequentata Antiquis, ἡ καθολικὴ Ἐκκλησία ἡ ἐν Ἀλεξανδρείᾳ, ἡ ἐν Κωνσταντίνου πόλει, &c. Atque hæc de tertio tractationis nostræ membro, superest quartum, Fides Catechumeni de Ecclesia.

Abusivè nomen Catholicæ etiam Ecclesiis particularibus tribui.

Catechumeni fides de Ecclesia.

XIV. Q. *Quomodo eam Catechumenus testatam facit?* R. Primùm quidem ostendit se credere Ecclesiam, non, in Ecclesiam, quando phrasin Symboli Apost. *Credo sanctam Ecclesiam* &c. sic explicat, *Credo*

Filium

Filium Dei ab initio mundi ad finem usque sibi ex universo genere humano, &c. Quid ex usu Symboli inter duas istas loquendi formulas intersit, dictum ad Quæst. XXVI. Deinde quanquam fiduciam suam Catechum. non reponat in Ecclesia, fiduciæ tamen est, quòd quæ generatim de Ecclesia credere se profitetur, etiam speciatim ad solidam suî consolationem sibi applicet, quando gloriabundus subjicit; *meque vivum ejus cœtus membrum esse, & perpetuò mansurum.* Q. *Quodnam istius suæ gloriationis habet fundamentum?* R. 1. Sibi conscius est, quòd virtute Spiritûs & verbi Dei cum Sancta Ecclesia Catholica in vera fide consentiat, unam cum ipsa eandemque fidem corde tenens & ore profitens. 2. Certissimum novit, Christum Ecclesiam suam collectam ita porrò tueri & servare, ut nec singulos, nec universos, qui vera ejusdem membra sunt, interire patiatur unquam. Vide *Joh.* 10. & 17. 1 *Cor.* 1: 8, 9. & ad Quæst. I. Ubi de perseverantia sanctorum.

Quæstio LV.

Quid sibi vult communio sanctorum?

PRimùm, quòd universi & singuli credentes Christi & omnium ejus bonorum tanquam ipsius membra communionem habeant. Deinde, quòd singuli, quæ acceperunt dona, in commune commodum & universorum salutem prompte & alacriter conferre debeant.

ANALYSIS.

Quærenti, quid credere se profiteatur verbis Symb. Apost. *Sanctorum communionem*; ita respondet Catech. ut exponat.

I. Quos nomine *Sanctorum* intelligi oporteat, nempe, *credentes.*

II. Quæ sit illa communio: nim. 1. Communis possessio Christi, omniumque ejus beneficiorum; *Quòd universi & singuli* credentes *Christi & omnium ejus bonorum, tanquam ipsius membra &c.* Ubi distingui possunt commune bonum, possessores ejus & possidendi jus. 2. Collatio donorum in commodum atque salutem totius corporis; *Deinde quòd singuli, quæ acceperunt dona*, &c.

EXEGESIS.

Partem illam Articuli noni, quæ est Sanctorum communio, non esse superfluam, paucis ostenditur.

PArticula hæc noni articuli, *Sanctorum communionem* Veteribus, Ruffino, Augustino & aliis benè multis non memorata, nonnullis inde dubiæ authoritatis & fortè minùs necessaria existimatur, quasi quæ vix quicquam contineat, quod prior articuli pars non complectatur. Attamen nunc apud omnes Christianos recepta est, non modò non inutiliter, sed etiam necessariò, si res ex vero æstimetur. Unde & Catech. ejus explicationem omissam noluit. Non esse superfluam, sed necessariam, sic ostendo: Duplici unione continetur Ecclesia: una quidem, quâ Christus fideles omnes in se recolligit, cujus copula *fides*. Altera, quâ iidem bonorum omnium communione quadam inter se cohærescunt, cujus vinculum *charitas fraterna*. Utraque effectus est Spiritus sanctificantis in Ecclesia: utramque etiam profitemur in Symbolo; illam quidem verbis; *Credo sanctam Ecclesiam Cath.* hanc autem paulò explicatiùs, quando addimus, *Sanctorum communionem*. Hujus duo expendit Catech. I. Quinam per *Sanctos* intelligendi. II. Qua in re *Sanctorum communio* sita sit.

Summa doctrinæ Catech. de Sanctorum Communione.

Per Sanctos qui-

II. Q. *Sancti ergò, quorum communionem credimus, quinam sunt?* R. Sanctos Catech. interpretatur, *universos*

versos & singulos credentes. Sic Scriptura *Sanctos* vocat infideles etiamnum in terra superstites, *Psal.* 16: 3. *Rom.* 1: 7. 1 *Cor.* 1: 2. De sanctitate vidimus ad Quæst. præced. Q. *Qua de causa Catech.* sanctos *interpretatur* credentes? R. I. Veræ sanctitati nusquam locus, nisi in corde per fidem repurgato, *Act.* 15: 9. II. Credentes ipsa sua fide, primo Spiritus sanctificantis opere, sancti sunt: quia 1. Fide, tanquam *subjectione adstipulationis in Evangelium Christi*, 2 *Cor.* 9: 13. Deo se dedicant. 2. Fides Christo inserit, qui factus nobis *sanctificatio*, 1 *Cor.* 1: 30. Corda repurgat, ut mox dictum. 3. *Fide* veluti *præsidio custodiuntur*, 1 *Pet.* 1: 5. adversus injuriam & contemptum: inde inviolabiles, *ut malignus ille eos non tangat*, 1 *Joh.* 5: 18.

nam sint intelligendi.

Credentes quare dicantur Sancti.

III. Q. *Sanctorum Communio qua in re consistit?* R. Juxta Catech. I. In communione juris & possessionis Christi, omniumque ejus opum. II. In collatione donorum ad commune commodum, &c. *Illa* pendet ex unione Ecclesiæ cum Christo, quæ fide fit, & spectat beneficium. *Hæc* ex unione membrorum inter se, quæ mutua charitate constat, & respicit officium. Prior posteriori fundamentum sternit & causam dat, quæ ut distinctè intelligatur, consideranda sunt 1. Bonum, cujus communiter possidendi fruendique jus est. 2. Possessores & fructuarii. 3. Juris fundamentum.

Sanctorum communio in duobus consistit: I. In communione juris & possessionis Christi, &c.

IV. Q. *Bonum igitur illud quodnam est?* R. Christus cum omnibus suis beneficiis: Christus *plenus gratiâ*, *Joh.* 1: 14. *plenitudo Christi*, *Col.* 1: 19. Qualis est in bonis hæreditariis ager, quem cohæredes indivisum possident; sic Christus & omnia Christi hæreditas sunt individua cùm Ecclesiæ totius, tùm singulorum ejus membrorum: Christus enim totus est universorum, & totus singulorum, singulis eum habentibus sine exclusione cæterorum. Universi & singuli fideles usurpare possunt illud *Cant.* 2: 16. *Dilectus meus meus est, & ego illius.* Q. *Idemne de bonis Christi, quæ in credentes confert, dicendum?* R. Imò, & illa omnium communia sunt, quippe quæ Deus in usum totius corporis dispensat, ut donorum communione colatur fraterna charitas. Hinc Apostolus; *Unum*, inquit, *corpus &*

1. Bonum commune quodnam.

unus Spiritus, sicut & vocati estis in una spe, &c. Eph. 4: 4. Cur unam omnium spem dicit? quia nulla salutis spes est, nisi in communione Ecclesiæ: ideò tibi vitam sperare datur, quia membrum es corporis Christi mystici. Sic sentiendum de omnibus gratiæ donis, tibi, mihi in communione fidelium concessis: decora sunt, quibus Servator sponsam suam exornat.

2. *Boni communis possessores & fructuarii quinam.*

V. Q. *Dixisti de bono cujus commune jus est: ejus possessores & fructuarii quinam sunt?* R. Fideles universi & singuli, sine distinctione Israëlitarum & Gentilium, domesticorum & advenarum, liberorum & servorum, marium & fœminarum, populi & sacerdotum, *Gal.* 3: 28, 29. Commune jus illis asseritur, *Joh.* 1: 12, 16. 1 *Cor.* 1: 9. & 10: 16.

3. *Juris fundamentum quodnam.*

VI. Q. *Quodnam communis illius juris fundamentum?* R. Unio arctissima fidelium ut membrorum cum capite Christo. Sic enim Catech. *quòd universi*, inquit, *& singuli credentes ------ tanquam ipsius membra.* De unione ista ad Quæst. XXXII. Atque hæc est prior pars communionis Sanctorum, quam multis prædicat Scriptura, ut *Rom.* 8: 17, 32. 1 *Cor.* 12: 13. *Eph.* 1: 10. 1 *Joh.* 1: 3. Ex hac pendet altera illa, nempe *collatio donorum* in commune commodum & universorum salutem.

II. *In Collatione donorum in commune commodum: quam ex priore illa pendere ostenditur.*

VII. Q. *Unde hanc ab illa pendere ostendis?* R. Cùm omnium credentium commune sit jus & possessio Christi, omniumque ejus beneficiorum, inde sequitur, jus esse cuique credentium ad omnia charismata, quæ Spiritus S. impertitur corpori in communione Christi. Inde adeò fidelium nemo dona quæ accepit, tantùm ut sua, sed ut dona Ecclesiæ data reputare, & consequenter in commodum commune impendere debet; ut quod quisque in se non habet, id in altero possideat. Cæterùm hîc distinctè considerandа 1. Officium. 2. Officium faciendi modus.

Hîc considerandа 1. *Officium.*

VIII. Q. *Quodnam ergò tibi, mihi, aliis, incumbit officium?* R. Ut quæ accepimus dona exerceamus, impendendo ad quem destinata sunt usum. Neque enim credentes otiô torpere, talentum defodere, &c. decet. Q. *Quænam & qualia hîc intelligis dona?* R. Cujusvis generis & usûs; *extraordinaria* & *ordinaria*, eaque

vel

vel re, vel modô acquirendi, vel etiam & rei & modi respectu, talia: rursus dona *spiritualia & corporalia*; dona *animi*, *corporis*, *hominis*, vel quæ vulgi error *fortunæ bona* dicit, &c. Q. *In quem usum sua cuique dona impendenda?* R. In commune commodum, &c. *Phil.* 2: 4. &c. Id argumentum diligenter exequitur Apostolus sub similitudine capitis & membrorum, 1 *Cor.* 12: 12, &c.

2. *Officium faciendi modus.*

IX. Q. *Officium impendendi dona quomodo faciendum est?* R. Promptè & alacriter; ex officii conscientia, amoris Christi sensu, charitate & benevolentia fraterna, studio glorificandi Deum & ædificandi proximum: citra coactionem, tergiversationem, invidiam, avaritiam; qua ratione membra ejusdem corporis alia aliorum necessitati succurrere solent, 1 *Cor.* 12. & 14. Exempla vide *Act.* 2: 42. 2 *Cor.* 8.

Sanctorum communionem specialia quædam nobis imponere officia, quæ ordine suo recensentur.

X. Q. *Nonne sanctorum communio etiam ad alia se extendit?* R. Quibus talis intercedit Christi bonorumque ejus communio, ut hactenus dictum, illi certè communia credent atque sentient alii aliorum prospera & adversa: unde specialia quædam charitatis officia fluunt. Q. *Quænam?* R. I. Non alienari pudore à pauperibus, despicatui, probro, persecutionique expositis. II. *Gaudere cum gaudentibus*, *Rom.* 12: 15. gratias agere Deo pro bonis, quæ cuique dispertitur, tanquam beneficiis in Ecclesiam collatis, 2 *Cor.* 1: 11. Et *flere cum flentibus*, *&c. Rom.* 12: 15. *Gal.* 6: 2. *Heb.* 13: 3. Atque omnino aliorum malis *tristibus* perinde atque suis affici, & laborantibus consiliô & auxiliô præstò esse: in malis *turpibus* fratribus ignoscere, lapsos erigere spiritu mansuetudinis, *Gal.* 6: 1. III. Precibus communia fratrum desideria atque vota complecti, 1 *Tim.* 2: 1. *Eph.* 6: 19. Unde & Christus nos quasi agminatim communem Patrem adire & comprecari jussit, *Pater noster*, *qui es in cœlis*, *&c.* IV. Verbô & exemplô charitatem mutuam bonorumque operum studium acuere, '&c. *Heb.* 10: 24, 25.

Sanctorum communione non tolli varia Ecclesiæ mi-

XI. Q. Obj. *Ea Sanctorum communione tolli videntur varia Ecclesiæ ministeria, & conturbari civilis ordo, quô suas cuique facultates privatim possidere permittitur?* R. Nequaquam: quemadmodum unius corporis

nisteria, nec turbari dominia rerum.

membra quadam inter se communitate participant, ut quæ singulorum sunt, eadem & universorum dici queant, & nihilominus suæ singulis peculiares dotes, distinctaque ministeria sint.

Communionem Sanctorum in Symbolo traditam quare Catech. tantùm de Sanctis in terra interpretetur.

XII. Q. *Communio Sanctorum nonne etiam complectitur beatos Cœlites?* R. Catech. etsi haud dubiè negare nolit, Communione aliqua jungi Beatos Cœlites tùm inter se, tùm etiam nobiscum viventibus in terra, nihilominùs *Communionem Sanctorum* in Symbolo Apost. traditam de solis fidelibus in terra agentibus interpretatur. Q. *Qua de causa?* R. 1. Quia beatos illos Spiritus, qui sunt in cœlo, Scriptura S. non solet appellare *Sanctos*, sed *animas*, *Apoc.* 6: 9. *Spiritus justorum consummatorum*, *Heb.* 12: 23. Atqui Symbolum è Scriptura depromptum, & iis temporibus conditum est, quibus Ecclesiæ sermo nondum à Scripturæ verbis declinaverat. 2. In brevissima fidei Christianorum synopsi non contineri censentur, nisi quæ ad salutem creditu sunt necessaria: qualis est communio sanctorum in terris, perpetuam charitatis praxin postulans.

Notantur errores, quos Pontificii Communioni Sanctorum superstruunt.

XIII. Q. *Nonne charitas Christiana vi communionis sanctorum etiam ad mortuos se exporrigit?* R. Sic quidem temerè Romanæ Ecclesiæ Doctores Sanctorum communioni superstruunt 1. Officium orandi pro mortuis in purgatorio laborantibus. 2. Officium invocandi sanctos in cœlis. 3. Thesaurum è meritis sanctorum superabundantibus conflatum, per indulgentias Papales dispensandum. Quæ omnia multis è Scriptura refelli possent, ubi opus & otium esset. Cæterùm quibus mortuis & quid debeamus paucis docet Apost. *Heb.* 13: 7. *Recordamini ducum vestrorum, qui vobis locuti sunt sermonem Dei: quorum contemplantes exitum conversationis, imitamini fidem.*

Quæst.

Quæstio LVI.

Quid credis de remissione peccatorum?

Deum propter satisfactionem Christi, meorum peccatorum, atque illius etiam pravitatis, cum qua mihi per omnem vitam pugnandum est, memoriam omnem deposuisse, & me justitiâ Christi gratis donare, ne unquam in judicium veniam.

ANALYSIS.

Responsio ad Quæst. super sensu articuli decimi, qui est de *remissione peccatorum*, duabus partibus absolvitur:

I. Generali descriptione remissionis peccatorum, ex causis aliisque circumstantiis ejus: nim. 1. Efficiente principali, quæ *Deus*. 2. Impulsiva externa & interna, *propter satisfactionem Christi——gratis*. 3. Objecto, quod sunt peccata actualia & originale, *meorum peccatorum, atque illius etiam pravitatis, &c.* 4. Formâ, expressâ cùm privativè, *memoriam omnem deposuisse:* tùm positivè; *me justitiâ Christi donare*. 5. Signô impetratæ remissionis, luctâ perpetuâ cum peccato inhabitante; *cum qua mihi per omnem &c.* 6. Fine; *ne unquam in judicium veniam.*

II. Speciali applicatione, quam significant pronomina, *meorum* peccatorum, *mihi, me*, &c.

EXEGESIS.

Nexus & ordo.

QUis hic rerum tractandarum *nexus & ordo* ? R. Proxima Quæstione consideravimus Communionem Sanctorum, in qua est *communio Christi omniumque ejus beneficiorum*: nunc quæ sint præcipua Christi beneficia, sequentibus tribus articulis Symboli docetur, quibus exponendis totidem Quæstiones destinavit Catech. factô hâc Quæst. à *remissione peccatorum* initiô. Cujus videnda nobis: I. Descriptio ex argumentis in analysi enumeratis. II. Fides, quam de eadem profitetur Catechumenus.

Summa Doctrinæ Catech. de remissione peccatorum.

Remissionis peccator. causa efficiens, vel author quis.

II. Q. *Quis beneficii remissionis peccatorum est author ?* R. Solus Deus. *Quis* enim *potest remittere peccata, nisi solus Deus ?* sic in thesi rectè statuunt Scribæ & Pharisæi, *Luc.* 5: 21. conf. *Esa.* 43: 25. Nec remittere peccata potest, nisi is, in quem peccatur: atqui *in solum Deum peccatur*, *Psal.* 51: 5. Q. *Quomodo & sub qua scheſi consideratur Deus, quando ei remissio peccatorum ut authori adscribitur ?* R. Remittere peccata convenit quidem Deo ὁσιωδῶς considerato, Patri, Filio & Spiritui S. Οἰκονομικῶς tamen frequenter attribuitur Patri, jus & authoritatem totius SS. Trinitatis in hoc negotio sustinenti & personam judicis gerenti: quemadmodum Filio sponsoris, & Spiritui S. præconis & paracleti, sententiam absolutionis animo intimantis & obsignantis, partes tribuuntur. Obj. *Atqui etiam Apostoli & Ecclesia remittunt peccata, Matth.* 18: 18. *Et frater fratri condonare tenetur offensas, Matth.* 6: 14. R. 1. Deus remittit ut Judex summus, potestatem habens αὐτοκρατορικὴν, Apostoli, ut ministri, verbum reconciliationis annunciantes. 2. In peccato distingue reatum & offensam: illum remittere non potest nisi judex; hanc fratri condonare debet frater, iram & vindictæ animum deponendo, &c.

Causa remissionis peccatorum impulsiva

III. Q. *Quænam ejus causa impulsiva, sive, quid Deum movet ad condonandum*, &c. ? R. Hinc quidem Dei judicis clementia & gratia: inde verò Christi Sponsoris satisfactio, *Rom.* 3: 24, 25, 26. 2 *Cor.* 5: 19, 21. *Eph.* 1: 7. 1 *Joh.*

1 *Joh.* 2: 1, 2. *Col.* 1: 19, 20. Q. *Remissio peccatorum an non est actus liberalitatis Dei, veluti creditoris, debitum sine solutione facta remittentis?* R. Atqui id repugnat justitiæ Dei, quæ etiam Deo condonante non patitur *sontem pro insonte haberi*, *Exod.* 34: 7. Hinc adeò Deum in hac causa non ut Creditorem, sed Judicem spectandum dico. Obj. *Si Deus condonat peccata propter satisfactionem Christi, ergò non gratis, ut habet Catech.* R. 1. Gratia tamen est, quòd Deus ipse nobis alioquin æternùm perituris de Sponsore providit. 2. Gratia est exuperantissima, quòd Sponsorem dedit Filium suum unigenitum, cum pœnam peccatis debitam à nobismet ipsis exigere posset. 3. Gratia est, quòd tibi, mihi, præteritis aliis quàm plurimis nihilò nobis pejoribus, Sponsorem destinavit. Cùm ergò hîc non agatur de justificatione Christi Sponsoris, quæ certe gratuita non fuit, sed de justificatione nostrî, gratiæ utique & clementiæ Judicis cum satisfactione & merito Sponsoris optimè convenit.

interna & externa quænam. *Obj.* *Resp.*

IV. Q. *Deum remittere peccata, audio; sed scire velim, omniane an aliqua tantùm remittat?* R. Resipiscenti & credenti omnia cùm *actualia*, tùm *originale* remitti, gloriatio est Catechumeni. Remittit igitur Deus, quicquid culpæ & vitii contraximus in & ex primo parente, & quicquid deinde peccavimus ipsi, ac posthac nos peccare contingit ex infirmitate.

Deum resipiscenti & credenti omnia remittere peccata.

V. Q. *Remissio peccatorum quomodo fit?* R. Ut ea de re nobis constet, juvat, non tantùm rem ipsam ex Scriptura, ut facit Catech. sed etiam phrasin explicare. Eum in finem considerandæ: 1. Natura peccati ex iis quæ omni peccato insunt. 2. Significatus verbi *remittere*. Q. *Quid est peccatum?* R. Quicquid à lege, æternam veritatem, sanctitatem & voluntatem Dei exprimente, diversum abit, sive actus vel omissio, sive habitus fuerit. De peccati fœditate, quæ tanta, ut nulla definitione satis enunciari queat, vide ad Quæst. XI. In peccato duo spectanda: I. *Macula*, quæ est spurcities illa, quam peccatum ani-

Forma remissionis peccatorum quæ. *Excutitur phrasis remittere peccata.* *In peccato quolibet*

considerandа cùm maculа tùm reatus.

mæ affricat, quæque imaginem Dei in homine corrumpit atque delet. Unde respectu Dei aversatio & abominatio, *Prov.* 3: 32. respectu hominis, è mali conscientia pudor & metus, *Rom.* 6: 21. II. *Reatus*, qui est obligatio ad pœnam, *Rom.* 3: 9. & 5: 16. *Deut.* 27: 26. *Jer.* 5: 9, 29. Atque hæc de primo: sequitur alterum, nempe significatus verbi, *remittere*.

Verbum remittere quid significet.

VI. Q. *Quid igitur significat?* R. Ἀφιέναι *remittere* primigenio significatu est *à se amovere*: sic librum remittit arbor, per translationem remitti dicitur custodia, disciplina, animus, passimque opponuntur *remitti* & *intendi*. Τὸ ἀφιέναι, ubi agitur de peccatis, opponitur τῷ κρατεῖν, *Joh.* 20: 23. Ut igitur κρατεῖν est retinere apud se, & non pati rem, quam tenemus, à nobis amoveri: sic ἀφιέναι est, à se amovere, missum facere. Unde phrasis, *peccata in mare projicere*, *Mich.* 7: 19. sicut & Latini, quæ extra curam poni significant, ventis tradi dicunt, in mare raptanda. Q. *Hæc quomodo ad peccatum transfers?* R. Peccatum, si *in se* vel *in macula* consideretur, remitti à Deo dici nequit: hæret enim in homine, non in Deo: ab homine verò amovetur non impunitate, sed hominis emendatione & facultatum correctione. *In reatu* deinde si consideretur peccatum, quod respectu peccatoris est obligatio ad pœnam perferendam, respectu judicis est jus ad pœnam inferendam. Atque sic *remittere* peccatum est illo jure non uti, ignoscere, pœnam non exigere. Neque tamen existimandum, Deum nobis peccata remittentem suo jure simpliciter decedere, id enim repugnaret iis, quæ modò & paulò antè de causa impulsiva dixi; sed remittere, quando reatum à peccatore in Sponsorem transfert, illumque ob satisfactionem ab hoc præstitam absolvit.

Verbi significatione ad institutum translata, quomodo peccatum remitti dicatur.

In Catech. remissionis formam exprimi

1. *Privativè.*

VII. Q. *Quomodo Catech. remissionem peccatorum fieri docet?* R. Rem potiùs ex Scriptura, quàm phrasin ex verbi proprietate, attendens, remissionis formam exprimit tùm privativè, tùm positivè. Q. *Quomodo privativè?* R. Dum eam constituit in peccatorum oblivione, dicens; *meorum peccatorum memoriam omnem*

omnem depoſuiſſe, ex *Jer.* 31: 34. Sic Deus *peccata abjicere* dicitur *ponè tergum*, *Eſa.* 38: 17. *Delere inſtar nubis*, quæ disjecta ventô diſparet, nullô ejus remanente veſtigiô, *Eſa.* 44: 22. *Obtegere*, *Pſal.* 32. 1, 2. *In profundum maris projicere*, *Mich.* 7: 19. ne in conſpectum & recordationem veniant. Notandum interim, cùm *non---recordatio peccatorum* apud Jerem. referatur ad bona Novi Teſt. fidelibus promiſſa, ea phraſi non tantùm ſignificari, Deum peccata non imputaturum, ſed etiam nullum poſthac ampliùs chirographum exacturum, ut antè fecerat impoſitis ſacrificiis, &c. per quæ fiebat peccatorum ἀνάμνησις, *Heb.* 10: 3. Q. *Quomodo poſitivè?* R. Per gratuitam juſtitiæ Chriſti donationem, quando ſubjicit; *Et me juſtitiâ Chriſti gratis donare*, ex *Rom.* 5: 16, 18, 19. quæ ipſa cauſa eſt cur peccatorum ampliùs meminiſſe nolit, cur ea tegere, delere, abjicere, velit. *Indui* nos oportet *D. J. Chriſtum*, *Rom.* 13: 14. *& veſtes albas*, *ne ignominia nuditatis noſtræ appareat*, utque adeò peccata contegantur, *Apoc.* 3: 18. Sed de his plura, ubi de juſtificatione ad Quæſt. LIX. & LX.

2. *Poſitivè.*

VIII. Q. *Remiſſionis peccatorum quis finis*, *propter quem?* R. Proximus finis, eſt liberatio à judicio condemnationis: de qua Catech. *ne unquam in judicium veniam*, *Rom.* 5: 1. & 8: 1, 33, 34. Ceſſat actio in debitorem, ubi creditor ſponſorem datâ apochâ abſolvit. Q. *An ergò in remiſſione peccatorum noſtrorum nihil aliud quàm impunitatem conſequimur?* R. Sub liberatione à judicio condemnationis συνεκδοχικῶς comprehenſa intelligitur benedictionis & vitæ æternæ donatio, juxta *Gal.* 3: 13, 14. ubi duo iſta conjunguntur: neque verò ſeparari poſſunt, quia ſatisfactio Chriſti nequit eſſe ſine pleniſſima juſtitia: atqui juſtitia non ſolùm impunitatem, ſed etiam jus vitæ, quæ juſtitiæ præmium eſt, affert. Unde etiam *beati*, *quorum remiſſæ ſunt iniquitates*, *Rom.* 4: 7. & *Pſal.* 32: 1, 2.

Remiſſionis peccatorum finis propter quem.

IX. Q. *Quo certô ſignô diſcam*, *mihi remiſſa eſſe peccata?* R. Juxta Catech. ſignum impetratæ remiſſionis eſt continua cum peccato inhabitante lucta. Quando enim Deum memoriam depoſuiſſe dicit etiam *illius*

Impetratæ remiſſionis peccatorum ſignum quod

lius pravitatis meæ, *cum qua mihi per omnem vitam pugnandum est*, significat, cum remissione peccatorum conjungi beneficium sanctificationis Spiritûs, unde lucta existit cum peccati reliquiis, ut ne in nobis amplius regnet peccatum, *Rom.* 6: 6. *Gal.* 5: 16, 25. Id signum Catechum. per gratiam Dei in se deprehendens, beneficium gratuitæ remissionis peccatorum descripsisse hactenus satis non habet, sed illud etiam suum facit, per *actum* fidei fiducialem, quæ est altera pars doctrinæ Catech. de remissione &c. nempe Catechumeni fides.

Fides Catechumeni de remissione peccatorum, quam testatam facit gloriatione.

X. Q. *Quomodo ergò fidem suam de remiss. peccatorum testatam facit?* R. Dum speciatim *suorum* peccatorum remissionem credere se profitetur, dicens; Credo Deum propter satisfactionem Christi *meorum* peccatorum &c. & *me* justitiâ Christi donare, ne *ego* unquam in judicium veniam. Hujusmodi κάυχησιν in vera fide inesse alibi demonstratum est. Q. *Unde sciam gloriationem meam non esse temerariam?* R. De remissione peccatorum suorum non temerè gloriatur, quisquis credens in Deum, *qui justificat* impium, &c. *Rom.* 4: 5. penès se fidei suæ δοκιμὴν & experimentum è sensu & testimonio bonæ conscientiæ, cum sincero novæ obedientiæ proposito, invenit, idque perpetuò peccatum oppugnandi studiò probat.

Quæstio LVII.

Quid te consolatur resurrectio carnis?

QUòd non tantùm anima mea, postquam è corpore excesserit, è vestigio ad Christum suum caput assumetur: verùm quòd hæc quoque caro mea potentiâ Christi excitata, rursus animæ meæ unietur, & glorioso corpori Christi conformabitur.

ANA-

ANALYSIS.

Suppositô, fidem adhiberi articulo Symb. Apost. de resurrectione mortuorum, quæritur quid momenti afferat ad solidam consolationem in vita & in morte.

In Resp. Catech. consolationem fidei & spei suæ duabus complectitur partibus.

Prima est migratio vel assumptio animæ, &c. *Quòd non tantùm anima mea, &c.*

Secunda est glorioſa hujus carnis resurrectio. Ubi distinctè obs. 1. Resuscitationis subjectum, *hæc caro mea.* 2. Causa efficiens, *potentia Christi.* 3. Forma, quæ suis q. gradibus perficitur, nim. a. Carnis meæ *excitatione.* b. Animæ in corpus remigratione, & utriusque unione; *rursus animæ meæ unietur.* c. Corporis *ad glorioſum corpus Christi conformatione.*

EXEGESIS.

Nexus. Hactenus de primo beneficio in Communione Christi percipiendo; sequitur Secundum, resuscitatio carnis.

SEcundum *beneficium in Communione Christi percipiendum quodnam est?* R. Beata *resuscitatio carnis,* quam in XI. articulo Symboli Apost. profitemur juxta Scripturam, docente Apostolo, nos beatæ resurrectionis participes fore in Christo, 1 *Cor.* 15: 22. Q. *Si resuscitatio carnis est beneficium in communione Christi percipiendum, an ergò injustorum, qui extra Christum sunt, nulla resurrectio futura?* R. Catechetes partitionem Symboli Quæst. XXIV. positam secutus, articulum de resurrectione carnis, quam in Symbolo Apost. profitemur, inter beneficia Christi in Ecclesiam conferenda connumerare videtur: neque tamen eô negare putandus est injustorum resuscitationem, quippe quam refert ad articulum de reditu Christi ad judicandum vivos & mortuos, uti constat ex articuli illius

lius expositione, Quæst. LII. Obj. *Symboli Authores articulum XI. de universali justorum & injustorum resurrectione intelligi voluisse, non videtur dubitandum.* R. Esto: Catech. satis habuit, inde assumsisse, quod ad spem atque consolationem fidelium pertinet, quasi fidelium quisque sic profiteatur; *Credo carnis resurrectionem*, atque hæc est mea consolatio. Unde Cathech. quærit, non, quid credis de resurrectione &c. sed, *quid te consolatur* &c. memor admonitionis Apostoli, qui cùm de mortuorum resurrectione dixisset, subjecit; *Quare consolamini alii alios sermonibus his*, 1 *Thess.* 4: 18.

Summa Doctrinæ Catech. de resurrectione carnis.

II. Ad intelligentiam Articuli de resurrectione carnis, summatim tenenda juxta Catechesin. 1. Quid de animabus fidelium defunctorum, earumque statu sit credendum. 2. Quòd resurrectio carnis certò futura sit. 3. Qualiter comparata ex causis & circumstantiis.

1. *Certa fide tenet Catechumenus animæ immortalitatem.*

III. Q. *De animabus fidelium defunctorum quid credit noster Catechumenus?* R. Ea spes ipsum solatur, fore, *ut anima sua, postquam è corpore excesserit, è vestigio ad Christum suum caput assumatur.* Certa igitur fide tenet. I. Animam post animal superesse, atque adeò immortalem vivere, sentire, operari. Q. *Quæ probatur testimoniis Scripturæ non solùm è Novo sed etiam Vet. Test. petitis.* *Quibus argumentis animæ immortalitatem demonstras?* R. Cùm hîc agatur de fide Catechumeni, quæ nititur testimoniô divinô, huic veritati ex revelatione Verbi divini fides adstrui debet, neque aliunde plena persuasio exspectari potest. Q. *Audiam igitur testimonia?* R. Luculentissima sunt, *Matth.* 10: 28. 2 *Cor.* 5: 8. *Phil.* 1: 23. & alia quàm plurima. Q. *Non est dubium, quin Christus & Apostoli eam veritatem evidentissimè docuerint, quæro saltem, an & hac in parte præter Mosen & Prophetas nihil dixerint? quapropter audire velim etiam testimonia è libris V. T. alleganda.* R. Unum, idque invictum, immortalitatis argumentum allegâsse sufficiat ex *Exod.* 3: 6. ubi Deus se dixit *Deum Abrah. Isaaci & Jacobi*, quanquam tres isti patres pridem fuissent mortui. Deus autem, cujuscunque se Deum dicit, singularem ejus fautorem atque benefactorem se profitetur, ipsa phrasi, quicquid in gratuito Dei fœdere comprehen-

Locus Exod. 3: 6. explicatur & vindicatur adversus exceptiones.

prehensum est, significante: *stabilio fœdus meum------ ut sim tibi Deus, & semini tuo post te*, Gen. 17: 7. Quis verò Dei favor, nominis magnificentiam implens, quæ beneficia in pridem mortuos, nullâ suî parte superstitantes? *Deus* utique *non est mortuorum, sed vivorum* Deus: *omnes enim vivunt ei*, Luc. 20: 38. Obj. *Deus se Deum dicit jamjam mortuorum eò sortè, quòd olim eorundem dum viverent, singularis extitit fautor atque benefactor.* R. Aliud est Deum *fuisse* Deum ex. gr. Abrahami, quoad erat in vivis: aliud *esse* Deum ejusdem, ex quo in vivis esse desiit. Atqui hoc, non illud, affirmat Scripturæ textus. Excip. *Deus fortè se Deum dixit Abrahami dudum mortui, quia posteris ejus, ob fœdus cum parente initum, favere & benefacere vellet.* R. Atqui hanc interpretationem non ferunt verba, *ego sum Deus tuus;* sed quæ ista proximè sequuntur, *& seminis tui post te*, Gen. 17: 7. Fateor equidem hominem homini mortuo favere posse, affectu, quo viventem fuerat amplexus, nondum intermortuô, ita ut, si penes fautorem foret, amicum mori minimè pateretur. Deus autem, cujus in manu vita salusque hominis est, cur interire sineret amici animam? Cur naturâ suâ immortalem destrueret? Mors verò corporis Abrahamo, fideli & fœderato Dei, non iræ, sed favoris, erat argumentum, quia *seni & satiato* in votis fuerat, Gen. 25: 8. Obj. *Deus se profitetur Deum Abrahami fortè hanc ob causam, quia mortuo vitam erat redditurus suo tempore.* R. Si corporis, naturæ suæ conditione ad reviviscendum inepti, resuscitatio ista fœderis promissione comprehenditur, ut certè comprehendi testis est Scriptura, *Heb.* 11: 16. quidnî animæ hominis Deo fœderati, quæ suâpte naturâ immortalis, perpetua conservatio eadem fœderis promissione contineretur? Vide *Matth.* 22: 32, 33, 34. Animam porrò naturâ suâ esse immortalem probant cùm ejus à corpore distinctio, tùm alia, de quibus in Ethica. Hactenus de primo, quod Catechum. de animarum statu post mortem tenet. Idem II. credit, *animam suam postquam è corpore excesserit, è vestigio ad Christum suum caput assumi*, in communionem gloriæ ejus. Non igitur

2. *Certa fide tenet Catechum. ani-*

mas justorum illicò post mortem ad Christum assumi.

igitur agnoscit locum pœnæ, in quem animæ justorum migrent quasi purgandæ priùs à peccatis residuis, quàm ad Christum assumantur in cœlo. Q. *Quodnam spei suæ fulcrum habet?* R. Id ipsum, quòd anima fidelis Christum *suum caput* agnoscit. Atqui fieri nequit, ut totus homo, & quicquid hominis est, in morte à Christo capite divellatur, vel, corpore sub mortis potestate tantisper detento, anima pœnas det infernales, & nihilominùs Christo capiti suo unita maneat, nullum è Servatore suo sentiens beneficium. Vide mihi testimonia, *Rom.* 8: 1, 10. *Eph.* 2:6. *Phil.* 1: 23. *Act.* 20: 29. 2 *Cor.* 5: 2, 6, 8, &c.

3. Indubitatam credit corporum nostrorum resurrectionem è morte.

IV. Q. *Resurrectionis corporum nostrorum veritatem unde probas?* R. Eam Catechum. indubitatam credit, ideoque ea se solatur spe, futurum, ut *hæc quoque caro sua potentiâ Christi excitata rursus animæ suæ uniatur*, &c. Hujus porrò fidei atque spei suæ firmamenta habet quàm plurima cùm Scripturarum V. & N. T. testimonia, tùm rationes ex ipsa salutis nostræ œconomia depromptas, velut 1. A prima promissione in paradiso edita. 2. A Fœdere Dei. 3. A Christo Capite nostro, & à redemptionis opere. 4. A justitia Dei. 5. A sacramentis, quorum usu corpora nostra consecrantur & futuræ resurrectioni quasi inaugurantur. 6. Denique quia corpora nostra sunt templa Spiritûs S. quæ disperire & sordidorum instar cinerum volucres in auras spargi minimè permittet: quæ omnia prolixiùs expositа videsis apud Theologos. Omnes istas rationes suô modô complectitur una illa, quam à Christo Capite & redemptionis opere desumptam Apostolus quam maximè urget 1 *Cor.* 15. & pro spei suæ fundamento præcipuo arripuisse videtur Catech. quando carnem suam *potentiâ Christi* excitandam, & *corpori Christi glorioso conformandam* sperat. Videsis dicta ad Quæstionem XLV. Hæc de secundo tractationis membro; supereſt tertium, qualis futura sit resurrectio ratione causarum & circumstantiarum, puta, Subjecti, Causæ efficientis, Formæ, Loci, Temporis.

Tertium tractationis membrum ubi.

V. Q.

V. Q. *Resurrectionis subjectum quodnam?* R. Subjectum in Scholis distingui solet duplex: *Quod* & *Quô*. Illô significatur, quinam sint resurrecturi: Hôc verò, quid hominis sit resurrecturum. Q. *Quinam ergò resurgent?* R. Omnes, quotquot unquam vitam cum morte commutârunt homines, universalem mortuorum resurrectionem disertim docente Scripturâ, *Joh.* 5: 28. *Act.* 24: 15. & requirente justitia Dei, vide *Matth.* 25: 32. 2 *Cor.* 5: 10. Q. *Quid fiet illis, quos novissimus mundi dies vivos deprehendet?* R. Illi mutabuntur, 1 *Cor.* 15: 51. mutatione mortis locum subitura. Q. *Quid hominis resurget?* R. Caro, h. e. corpus humanum, quod per peccatum mortale & caducum factum de casu suo restituetur. Q. *Idemne, an simile corpus?* R. Idem atque suum cujusque corpus, quod cecidit, resurget. Quid enim ἀνάστασις, nisi θεία τε πάλιν ὁδὸς σῶσις? inquit Damascenus. Unde Catech. *hanc suam carnem* iri excitatum; Et Symbolum Aquil. *hujus carnis* resurrectionem, dicit: idque juxta Scripturam. Ab antiquissima Ecclesiæ memoria Jobus cutem suam quasi manu tenens & exhibens hanc fidei confessionem edit; *postquam* vermes *cutis meæ distrinxerint* HOC, *etiam ex carne mea videbo Deum*, &c. *Job.* 19: 26, 27. Consimiliter Apostolus tristes illas quas gestabat exuvias quasi digitô monstrans, *oportet*, inquit, *Corruptibile* HOC *induere incorruptibilitatem*, &c. 1 *Cor.* 15: 53. Idem fieri postulat justitia Dei, ut *quisque in suo corpore reportet*, &c. 2 *Cor.* 5: 10. Adde nos Christo Capiti nostro hac in parte futuros conformes, *Phil.* 3: 21. Obj. *Difficultatem facit barbarus ille mos & fœda gula ἀνθρωποφάγων, qui fidem nocæsorum hominum reliquias turpi in alvo condere & distrahere solent.* R. Id nos turbare non debet: *Primùm* enim nasutis & sciolis ea parte fidem nostram tentantibus illud Servatoris respondendum est: *Erratis, neque Scripturam scientes, neque potentiam Dei*, *Matth.* 22: 29. *Deinde*, quando homo homini in escam cedit, non putandum, totam carnem absumptam in nutrimentum vescentis, atque in substantiam ejus converti; exiguum valdè est, quod in carnem ejus conversum

1. *Resurrectionis subjectum quod & quo.*

Idem numero corpus, quod cecidit, resurrecturum, probatur.

Respondetur illis, qui fidem nocentes barbarum morem & fœdam gulam Anthropophagorum.

versum assimiletur, cæteris cibi partibus tanquam retrimentis aliò abeuntibus; unde, Dei providentiâ identidem pro genere humano excubante, recolligi, ac suum cuique restitui potest. Obj. *Saltem exiguum illud, quod de carne pii cujuspiam hominis devoratum in substantiam impii ἀνθρωποφάγου abivit, in impio isto resuscitatum atque punitum iri, vel certè hiatum fore ac defectum. Atqui utrumlibet dicas, non vitabis absurditatem.* R. Quando eandem, quam gestavimus, carnem resurrecturam credimus, non ea nobis mens est, quasi omnem illam carnem, quam toto vitæ nostræ decursu primùm infantes & pueri, pòst adolescentes & viri, ac tandem senes circumtulimus, in resurrectione simus recuperaturi; alioqui non eâ corporis mensurâ, quæ cujusque ætatis esse solet, sed tantâ carnis mole induti resurgeremus, quâ non jam gigantes, sed monticuli videri possemus. Caro enim nostra in continuo defluxu est, perpetua restauratione ejus, quod defit, opus habens. Unde de carne verissimum est, quod dixit Seneca; *Neminem nostrûm eundem esse in senectute, qui fuit juvenis: sicut in idem flumen bis nos descendere, negavit Heraclitus.* Defluxus ille carnis in ægrotante observabilis est: à rectè valente, qui perpetuâ stomachi fulturâ utitur, detrimenti & supplementi vicissitudo non animadvertitur.

2. *Resurrectionis Causa efficiens.*

VI. Q. *Resurrectionis Causa efficiens quænam?* R. Mortuorum resuscitatio divinæ potentiæ opus est, neque adeò nisi Jehovam authorem habere potest. *Videte nunc, quòd Ego, Ego is---- Ego interficio & Ego vivifico, Deut.* 32: 39. Hinc illud Sapientum Hebræorum, citatum in Targum Hieros. *Gen.* 30: 22. *Quatuor sunt claves in manu Domini mundi universi &c. Clavis pluviæ, sustentationis, sepulchrorum & sterilitatis.* Quod probant ex locis Scripturæ, *Deut.* 28: 12. *Psal.* 145: 16. *Ezech.* 37: 13. *Gen.* 30: 22. Quia autem una Patris, Filii & Spiritus S. potentia est, etiam mortuorum resuscitatio tribus in Deitate Personis communiter attribuitur. Vide *Rom.* 8: 11. Speciatim tamen resurrectionis author in Scripturis celebratur Christus, ut *Joh.* 11: 25. & alibi. Qua de re vide ad Quæst. XLV.

VII. Q.

VII. Q. *Resurrectionis forma quænam?* R. Ea juxta Catech. suis quasi gradibus perficitur: 1. Excitatione carnis, id est, corporis ex partibus suis, quibus constabat olim, recompositis iterata formatione & vivificatione. 2. Animæ in corpus remigratione, ejusque cum corpore redintegrata unione, nullo pòst tempore dissolvendâ. 3. Corporis ad suum exemplar, quod est corpus Christi glorioſum, conformatione. *Phil.* 3: 21. & 1 *Cor.* 15: 52. &c. Plura hac de re cognoscere dabitur experturis. 3. *Forma.*

VIII. Q. *Mortui ubinam resurgent?* R. Quemadmodum universum genus humanum de ruina sua susciatum iri credimus, ita toto, quà patet, terrarum orbe mortuos de monumentis suis prodituros; mare & tellurem, omniaque elementa, quibus cineris nostri custodia instar depositi credita fuit, depositi fidem servatura, deque reconditoriis suis generis humani pulverem reddituras affirmamus, ex *Matth.* 24: 31. *Apoc.* 20: 13. Has autem generis nostri reliquias recolligere Deo, etiam capitis nostri pilos in numerato habenti, longè facilius est, quàm bibliopego disjecta libri folia in librum reconcinnare. 4. *Locus.*

IX. Q. *Universalis mortuorum resurrectio quo tempore est futura?* R. Id indicare non est nostrum, Christo docente; *non est vestrum, nôsse tempora*, &c. *Act.* 1: 7. adde *Matth.* 24: 36. *Marc.* 13: 32. Hoc certum, uno eodemque tempore futuram omnium mortuorum resurrectionem, teste Christo, *Joh.* 5: 28, 29. Ut adeò audiendi non sint Chiliastæ, duplicem confingentes resurrectionem, quarum prior, nempe martyrum, mille annis præcessura sit alteram; malè intellectô locô, *Apoc.* 20: 6. Ubi *resurrectio prima* denotat conversionem, quæ resurrectio est è morte in peccatis ad vitam justitiæ. 5. *Tempus.*

Quæstio LVIII.

Quam consolationem capis ex articulo de vita æterna?

QUòd, quoniam in præsentia vitæ æternæ initia in meo corde præsentisco, futurum sit, ut post hanc vitam plenâ perfectâque beatitudine potiar, in qua Deum in æternum celebrem, quam quidem beatitudinem nec oculus vidit, nec auris audivit, nec ullus homo cogitatione comprehendit.

ANALYSIS.

Interrogatus Catechum. quid solaminis percipiat ex articulo de vita æterna, quam se credere profitetur, duo solidæ consolationis argumenta proponit.

Primum suggerit fides, præsensionem primitiarum vitæ æternæ afferens; *Quoniam in præsentia vitæ æternæ initia*, &c.

Alterum suppeditat spes plenæ perfectæque beatitudinis post hanc vitam consequendæ, *futurum*, *ut post hanc vitam*, &c.

EXEGESIS.

Tertium beneficium in communione Christi percipiendum, vita æterna.

TErtium beneficium Sanctis in communione Christi percipiendum quodnam? Rz. Vita æterna, quam tanquam salutis nostræ complementum, spei metam, & fidei finem, 1 *Pet.* 1: 9. ultimò symboli Apost. articulò profitemur. Ejus porrò in communione Christi nos esse consortes testatur Apostolus 2 *Tim.* 2: 11, 12.

II. Q.

II. Q. *Vita hôc locô quid denotat?* R. Non nudam viventis existentiam; vivent enim & improbi, quippe *morte in stagnum ignis conjecta* nunquam morituri, *Apoc.* 20: 14. sed felicem conditionem: *non enim est vivere vita*, ut ille ait, *sed valere.* Atque hujus notionis usus frequens est in sacris, 1 *Reg.* 1: 25. *Gen.* 45: 27. *Psal.* 22: 27. Unde & consummata beatorum felicitas in cœlo passim in Scripturis *Vitæ* nomine venit. Q. *Hujus significatûs & usûs quænam potest esse ratio?* R. 1. Ut felicitatem cœlestem nullô rerum creatarum pretiô æquiparari posse doceamur: quemadmodum vitâ vulgò nihil homini antiquius, nihil pretiosius habetur. Unde illud; *pellem pro pelle, & quicquid est viro, daturus esset pro seipso*, *Job.* 2: 4; 2. Quia vera demùm hominis vita est cognoscere & amare quod amabile veréque jucundum est & satiare potest. Unde vita etiam Philosophis *jucunda* dicitur *actio ejus qui vivit. Nec enim*, inquit Aug. *vera est vita, nisi ubi feliciter vivitur, nec vera incorruptio, nisi ubi salus nullo dolore corrumpitur. Enchir. c. 92.*

Vita quid hôc locô significet.

Et quæ significationis sit ratio.

III. Q. *Vita illa quare dicitur æterna?* R. In oppositione ad vitam hominis animalem, quæ primitus sic erat comparata, ut morte, si quando hominem peccare contingeret, interrumpi posset, & nunc peccatô in mundum ingressô reapse interrumpatur, *Rom.* 5: 12. & 6: 23. quæ verò resurrectionem consequetur vita fine carebit, quippe vita à Deo æterno, qui æternùm noster est; à Spiritu æterno, qui in nobis, ceu templo sibi sacro, æternùm habitat; à justitia æterna, cujus præmium quod vita est nunquam excidit, à potentia æterna, quæ nos nunquam destituit; à gratia & vocatione, cujus Deum nunquam pœnitet. Vita proinde, cui nec à peccato, nec ab injuriis, corpus mortale infestantibus, periculum est ullum.

Vita illa quare vocetur æterna.

IV. Q. *Quam consolationem capis ex articulô, quô profiteris fidem de vita æterna?* R. Sic quærenti duo ad consolationem sui pertinentia respondere jubetur Catechum. quorum quidem unum *fidei* est, *spei* alterum. Q. *Prius quodnam est?* R. Vitæ æternæ initia

Summa responsionis Catech. ad præsentem quæst. habet.

1. *Præsensionem initiorum vitæ æternæ.*

in corde præsentiscere. Quemadmodum Deus quondam Israëlitis in deserto Cananitidis delicias in botro indidem allato prægustandas dedit, *Num.* 13. ita fidelibus hanc etiamnum vitam viventibus cœlestium gaudiorum primitias in spem secuturæ messis prælibandas offert, *Rom.* 8: 23, 24. Q. *Qua in re primitias offert?* R. Dum I. Fideles sibi *admovet*, propè accedere facit, *habitaturos atria sua, satiandos bonô domûs suæ*, ceu amicos atque familiares, *Psal.* 65: 5. II. Quotidianis experimentis *sensum benignitatis suæ* iisdem ingerit, *Psal.* 34: 9. & ad suavissimi amoris *osculum* eosdem admittit, *Cant.* 1: 2. Cumprimis III. Ineffabili gaudiô eorum animos perfundit adoptionis Spiritus, *contestificans cum Spiritu* ipsorum, *eos esse filios atque hæredes Dei*, *Rom.* 8: 16, 17. eosque *obsignans in diem redemptionis suæ*, 2 *Cor.* 1: 22. *Eph.* 4: 30. Q. *Alterum quodnam est?* R. Ex primitiarum præsensione certò futurum colligit, ut post hanc vitam plenâ perfectâque beatitudine potiatur. Quô judiciô non falli Catechum. ostendunt dicta ad Quæst. I. sub finem: ubi de certitudine salutis.

2. *Conclusionem, quâ ex primitiis colligitur plena beatitudo.*

Beatitudinis summa, quæ.

V. Q. *Beatitudinis summa qua in re consistit?* R. In Luce & Vita. Ad *lucem* referenda est perfecta Sapientia & Sanctitas: ad *Vitam* gloria in animam atque corpus exundans cum gaudiorum satietate: de quibus Theologi, quantum ex Scriptura & Conscientiæ bonæ sensu nôsse datur. Vide *Matth.* 5: 8. *Joh.* 17: 24. 1 *Cor.* 13: 12. *Psal.* 16: 11. & 17: 15. *Eph.* 5: 27. &c. Q. *Qualis est ista beatitudo?* R. Catech. eam dicit 1. *Plenam*, cui nulla felicitatis pars defutura, quæ *perfectio partium est.* 2. *Perfectam*, ita ut omnes istæ felicitatis partes ad summum excellentiæ gradum provehantur, quæ *graduum perfectio* dicitur. 3. Nunc nobis *inconspicuam*, quam oculus non viderit: *inauditam*, quam auris non audiverit: *incomprehensibilem*, quæ in mentem hominis non venerit, ut sonant verba Apostoli ad hanc rem accomodata à Catech. ex 1 *Cor.* 2: 9. *Esa.* 64: 4. Obj. *Atqui verba illa, ex Esaia ab Apostolo producta, de mysteriis Evangelii antiquo Judæorum populo incognitis exaudienda sunt?* R. Rectè tamen applicantur

Beatitudo, qualis.

cantur à Catech. Quæ enim fuerat ratio Judæorum ad ea, quæ tùm latebant, & noviſſimis demùm temporibus manifeſtata ſunt, eadem eſt ratio Chriſtianorum ad ea, quæ nunc nobis operta noviſſimo die revelabuntur. Verè Auguſtinus, *Ergò*, inquit, *quia hoc bonum tàm magnum, tàm præclarum, tàm ineffabile, non invenit hominem perceptorem, tenebit Deum promiſſorem. Serm. 64. In Evang. Joh.* Ut non immeritò nobis damnetur præpoſtera Scholaſticorum diligentia, vel ut veriùs dicam, temeritas, qui immemores *maximè excellenter æterni ponderis gloriæ*, cui ferendo nemo mortalium eſt, 2 *Cor.* 4: 17. etiam *hic* curioſitati ſuæ nihil intentatum relinquunt. *In luce tua videbimus lucem*, *Pſal.* 36: 10. Lumine gloriæ opus eſt ad percipiendum quæ gloriæ ſunt. Paulus ſe *in Paradiſum raptum audiviſſe dicit ineffabilia verba*, 2 *Cor.* 12: 4. meminit auditorum in paradiſo, ſed indidem reverſo effabilia eſſe negat.

Lumine gloriæ opus eſſe percipere volentibus quæ gloriæ ſunt.

VI. Q. *Beatitudinem hactenus deſcriptam quando & ubi percipiemus?* R. Tantæ felicitatis theſaurum in cœlo nobis repoſitum, & demùm hâc animali vitâ functis percipiendum docet Catech. quando *futurum*, inquit, *ut poſt hanc vitam* plena perfectaque beatitudine potiar. Q. *Ea loci & temporis circumſtantia quid nos monet?* R. I. Perfectam felicitatem nemini mortalium in hac vita obtingere. *Nunc quidem filii Dei ſumus, ſed nondum manifeſtum factum eſt, quod erimus* &c 1 *Joh.* 3: 2. Enimverò huic vitæ non contingit perfectio novitatis, nedum gloriæ & beatitudinis, quia hæc vita eſt vita circumferentium *corpus mortis*, *Rom.* 7: 24 & *corpus peccatorum carnis*, *Col.* 2: 11. Ergò II. Veri nominis felicitatem non ex commodis & voluptatibus vitæ præſentis eſſe æſtimandam, quin potiùs quæ profanum vulgus ſtupet & maximi facit, tanquam longè infra dignitatem cœli candidatorum ſubſidentia, pro ſtercoribus & damno habenda. Vide *Pſal.* 17: 14, 15.

Beatitudo ubi & quando percipienda.

VII. Q. *Quo fine beatitudo æterna quærenda?* R. Id docet Catech. quando ſubjicit; *in qua Deum in æternum celebrem*, vide *Apoc.* 19: 1, 5. Votorum igitur noſtrorum

Beatitudinem quærendi ſtudio

quem finem propositum oporteat.

strorum meta non in beatitudine, ut commodo nostro, reponenda, quod φιλαυτίας foret, sed ulteriùs est exporrigenda, ut nim. Deus in nobis glorificetur; *gloriamur enim spe gloriæ Dei*, *Rom.* 5: 2. confer 2 *Thess.* 1: 10.

Quæstio LIX.

At cùm hæc omnia credis, quid utilitatis inde ad te redit?

QUòd in Christo justus sum coram Deo, & hæres vitæ æternæ.

ANALYSIS.

Quærenti de fidei hactenus expositæ fructu vel effectu, respondet duos fidei effectus proponendo.

Prior est justificatio; *Quòd in Christo justus sum coram Deo.*

Alter est vitæ æternæ hæreditas; *& vitæ æternæ hæres.*

Quæstio LX.

Quomodo justus es coram Deo?

SOlâ fide in Jesum Christum, adeò ut licèt me mea conscientia accuset, quòd adversus omnia Dei mandata graviter peccaverim nec ullum eorum servaverim: adhæc etiamnum ad omne malum propensus

sus sim, nihilominus tamen, modò hæc beneficia verâ animi fiduciâ amplectar, sine ullo meo merito, ex mera Dei misericordia mihi perfecta satisfactio, justitia & sanctitas Christi imputetur ac donetur, perinde ac si nec ullum peccatum ipse admisissem, nec ulla mihi labes inhæreret, imò verò quasi eam obedientiam, quam pro me Christus præstitit, ipse perfectè præstitissem.

ANALYSIS.

In Quæst. priorem fidei effectum, justificationem, ampliùs sibi describi petit Catechetes: *quomodo justus* &c.

In Resp. I. Summatim proponitur justificationis modus; *sola fide in Jesum* &c.

II. Distinctiùs exponitur; *adeò ut*, &c. Ubi

1. Subjectum, quod Catechum. a. In se ipso exhibet, credentis cujusque personam assumens, ut docent pronomina, *me*, *mea*, &c. b. describit à qualitate: subjectum enim justif. est homo peccator. Hæc qualitas tùm amplificatur distributione gemina peccatorum, in originale & actualia; omissionis & commissionis: tùm confirmatur testimoniô conscientiæ, *licèt me mea conscientia accuset*, &c.

2. Causæ. 1. Efficiens principalis,

Deus. 2. Impulsiva cùm interna, quæ *mera Dei misericordia:* tùm externa, *perfecta satisfactio Christi*, &c. Utraque remotione causæ impulsivæ falsæ illustratur; *sine ullo meo merito.* 3. Forma justificationis, quæ est *imputatio ac donatio perfectæ justitiæ & sanctitatis Christi*, descripta à certitud. & perfectione, *perinde ac si nec ullum peccatum*, &c. 4. Causa instrumentalis, quæ fiducia est fidei; *modò hæc beneficia*, &c.

Quæstio LXI.

Cur sola fide te justum esse affirmas?

NOn quòd dignitate meæ fidei Deo placeam, sed quòd sola satisfactio, justitia & sanctitas Christi mea justitia sit coram Deo: Ego verò eam non aliâ ratione, quàm fide amplecti & mihi applicare queam.

ANALYSIS.

Quærenti, quamobrem proximâ Quæst. *se sola fide justificari*, asseruerit, respondet

I. Κατ' ἀντιθεσιν rejiciendo falsam phraseos, *sola fide justificari*, interpretationem, quæ est, quasi *dignitate meæ fidei Deo placeam.*

II. Veram interpretationem subjiciendo; *sed quòd sola justitia & sanctitas Christi mea justitia sit*, &c.

Quæst.

Quæstio LXII.

Cur nostra bona opera non possunt esse justitia, vel pars aliqua justitiæ coram Deo?

Propterea, quòd oporteat eam justitiam, quæ in judicio Dei consistat, perfectè absolutam esse, & omni ex parte divinæ legi congruentem: nostra verò etiam præstantissima quæque opera in hac vita sint imperfecta, atque adeo peccatis inquinata.

ANALYSIS.

I. Occasione argumenti, quô Catech. modò usus est ad probandum, *nos solâ fide justificari*, nascitur Quæstio hæc bimembris. 1. *Cur bona opera non possint esse justitia.* 2. *Cur non pars saltem justitiæ.*

II. In Resp. suppositâ distinctione duplicis justificationis, unius quidem *ex operibus*; alterius, *ex fide*; priorem non dari demonstrat Catech. unicô argumentô, desumtô ab adjuncto justitiæ ejus, quam lex requirit, sic concludens; *Justitiam, quæ in judicio Dei consistat, absolutè perfectam*, &c. *esse oportet. Atqui justitia nostrorum operum talis non est*, &c. Assumptionis ratio est; *quia etiam præstantissima quæque opera in hac vita sunt imperfecta.*

EXE-

EXEGESIS.

Quæstionum LIX. LX. LXI. LXII.

Ordo & nexus rerum tractandarum.

HActenus de *objecto fidei*, sive de credendis, quæ symbolô Apostolicô, proponuntur: hac porrò & sequentibus aliquot Quæstionibus considerandus venit *fidei effectus*, qui est *Justificatio* & *Hæreditas vitæ*.

Summa doctrinæ Catech. de Justificatione.

Ubi 1. Catech. definit, *nos in Christo justos esse coram Deo*, & cùm à justitia pendeat jus exspectandi vitam, etiam *hæredes vitæ æternæ*, Quæst. LIX. II. Ostendit justificationis rationem, sive processum, è *subjecto* & *causis* ejus, Quæst. LX. III. Defendit, quòd, *sola fide nos justificari*, rectè affirmârit, Quæst. LXI. LXII. IV. Diluit adversariorum objectionem geminam totidem Quæstionibus.

Doctrinæ de Justificatione summum esse momentum.

II. Hujus doctrinæ summum est momentum: *Justificatione enim stat Ecclesia, quæ in terris est; per hanc non perit, quod perierat & inventum est. Aug. Enchir. c. 64.* Quapropter rectè intellecta tantò nobis arctiùs tenenda & accuratiùs defendenda est, quò plures usque & usque experta est hostes. Nobis de Justificatione pro instituti ratione dicturis primùm tantisper explicandum est *nomen*, deinde *res ipsa* membratim exponenda juxta præmissam Quæst. Catech. analysin.

I. Evolvitur nomen Justificatio, *& verbum* justificare.

III. *Justificationis* nomen, ut & verbum *justificare*, usûs Ecclesiastici sunt, probatæ Latinitatis authoribus non usurpata, fatente Costero Jesuita *Enchir. Controv. cap. 6. Nomen justificationis à profanis Scriptoribus non legimus usurpatum, sicut nec verba ipsa justificare & justificari: sunt enim hæ voces Christianorum propriæ*, &c. Ineptus verò est, quando de significatu vocis *justificatio* ex sola compositione Grammatica judicat, eamque ideò *mutationem ad justitiam* significare contendit: *sicut calefactio est motus ad calorem, & calefacere est calidum facere.* Unde deinceps justificationem definit *habitûs justitiæ infusionem*, eamque in *primam* & *secundam* dividit. Verùm præterquam quòd similis formæ verba, velut *magnificare, glorificare*, &c. non rei mutationem physicam denotant, certè de

De nomine isto non judicandum

voce

voce *justificatio*, quæ minùs Latina, non ex Grammatica, sed ex usu verborum Hebraicorum & Græcorum in Scriptura, unde Latinum *justificare* natum interpretibus, judicium fieri oportet. Atqui Hebræum הצדיק in Vet. & Græcum δικαιῶν in Novo Test. frequentissima non nisi forensi usu capiuntur, & significant *justum pronunciare* vel *declarare*, *absolvere*: ne quidem exceptis locis, quæ ab adversariis opponi nobis solent, *Dan.* 12: 3. *Rom.* 8: 30. 1 *Cor.* 6: 11. *Apoc.* 22: 11. uti liquet loca ista paulò attentiùs & juxta fidei analogiam examinanti. Neque aliter græca δικαιῶν & δικαίωσις ab Apostolo usurpantur, quotiescunque de justificatione disputat: quod *multis indiciis vel argumentis patet.* I. Quia mentionem facit *iræ Dei*, *judicii* divini, *reatûs*, *condemnationis*, *maledictionis*, *legis*, *Rom.* 1: 18. 2: 16. 3: 19. 5: 16, 18. 8: 34. *Gal.* 3: 10. II. Justificationem accusationi & condemnationi opponit, quemadmodum & verborum הצדיק & הרשיע δικαιῶν & ἐγκαλεῖν ac κατακρίνειν perpetua oppositio est in usu Scripturæ; vide *Rom.* 8: 33. & 5: 18. III. Justificare exponit per *imputare justitiam*, *Rom.* 4: 6. & *vincere in judicio*, *Rom.* 3: 4. IV. Justificationem nostrî ponit in *remissione peccatorum*, *Rom.* 4: 6, 7. V. Aliter accipi non potest ejus conclusio, *Rom.* 3: 20. eique consona Davidis confessio, *Psal.* 143: 2. VI. Justificationem à sanctificatione & nomine & serie disputationis distinguit. Excipit Bellarm. *Quamvis condemnatio & justificatio alicubi significent actionem judicis*, &c. *tamen quando Deus justificat impium declarando justum, facit etiam justum; quoniam judicium Dei secundùm veritatem est*, T. IV. *lib.* II. *Justif. cap.* 3. Rz. Quid paleæ cum tritico? quid mendacio cum veritate? Judex quà talis nihil nisi de causa cognoscit & sententiam pronuntiat; reorum indolem sanare beneficium est cum justificatione non confundendum. Neque si Deus non justificat impium introducendo habitum justitiæ, judicium ejus secundùm veritatem esse desinit; quia justum pronuntiat, qui reapse talis est in Christo, uti patebit ex dicendis. Atque hæc de nomine Justificationis: Rem, quantô fieri potest brevitatis studiô

esse ex compositione Grammatica &c.

Usum vocabulorum justificatio & justificare forensem esse in Scriptura.

Præsertim apud Paulum quoties de justificatione disputat.

Bellarminus notatus.

II. Explicatur actus Ju-

stificationis. studiô expediemus justificationis distinctione atque descriptione & descriptionis explicatione.

Justificatio legalis, vel Evangelica.

IV. Q. *Justificatio quotuplex est?* R. Ut Justitia, *personæ* pura, non causæ, alia Legalis est, alia Evangelica; sic Justificatio itidem alia *Legalis* est, alia *Evangelica*. Illi in statu integritatis locus erat futurus, si homo in studio obedientiæ, quam Deus operum fœdere stipulatus fuerat, perseverâsset: suâ enim obedientiâ justus erat futurus, & justitiæ præmium, vitam æternam, consecuturus. Verùm peccatô in mundum ingressô hæc justificatio locum ampliùs habere non potest. Q. *Qua de causa?* R. I. Quia absoluta

Legali locum non ampliùs esse probatur.

legis impletione constat, qualem peccatori vindicare velle, est oppositum in oppositô statuere. II. Unde Scriptura *ullum viventem apud Deum justificari* scil. justitiâ operum suorum, disertè negat, *Psal.* 143: 2. III. Idem Deus non obscurè significavit, quando protoplastos è Paradiso ejecit, interseptâ ad arborem vitæ viâ. Succedit igitur Justificatio Evangelica, quâ peccator credens *in Christo justus est coram Deo & hæres vitæ æternæ:* ut Catech. definit, Quæst. LIX.

Justificationem Evangelicam dari demonstratur.

V. Q. *Hanc dari unde probas?* R. 1. Eam clamat universa Scriptura, cumprimis autem adversus Judæos propugnat Apostolus in Epistolis ad Rom. & Galatas. 2. Eandem infert totum Redemptionis opus à Christo peractum. Unde verissimè Apostolus; *si per legem est justitia, ergò Christus frustrà mortuus est, Gal.* 2: 21.

Eadem describitur.

VI. Q. *Justificatio Evangelica quid sit, paulò plenius expone.* R. E præceptis Catecheticis hæc ejus instrui potest descriptio; *Justificatio Evang. est actus Dei Judicis, quô electos in se ipsis sontes mortique obnoxios ex misericordia per & propter obedientiam Christi gratuitò ipsis donatam & sola fide receptam à reatu peccatorum absolvit & jus vitæ æternæ ipsis adjudicat: unde laus gloriosæ Dei gratiæ.* Vide *Rom.* 3: 24, 25. In hoc compendium contracta audimus, quæ de Justificationis *authore, subjecto occupante, causa impulsiva, forma, instrumento* atque *fine* nobis dicenda sunt juxta Catech.

VII. Q.

VII. Q. *Justificationis quis author?* R. Deus, *Rom.* 8:33. *Esai.* 43:25. Neque enim alius peccatorum in legem Dei commissorum gratiam facere potest, quàm qui supremam habet potestatem conscientiæ dicendi jus, *unicus Legislator, qui servare potest & perdere, Jac.* 4:12. Repetenda hîc quæ de authore beneficii remissionis peccatorum dicta ad Quæst. LVI. *Ubi I. Justificationis Evang. Author.*

VIII. Q. *Qui justificantur quinam & quales sunt?* R. 1. Sunt homines electi, redempti & efficaciter vocati, teste Apostolo *Rom.* 8:29, 30. *Quos verò prædestinivit, hos & vocavit; & quos vocavit, hos & justificavit*; &c. 2. In se spectati sunt fontes mortique æternæ obnoxii. Unde Catech. *adeò ut, licèt me mea conscientia accuset, quòd* &c. docente enim Apostolo *justificatur impius, Rom.* 4:5. Ἀσεβὴς apud LXX. respondens Hebræo רשע significat improbum, injustum, malè petentem in judicio & inde κεκαδεδικασμένον, velut *Psal.* 109:7. *judicio contendens exibit* רשע *damnatus.* Unde docemur 1. Peccatorem in judicio Dei non suâ justificari justitiâ. 2. Non habere peccatorem, quô se ad gratiam capessendam præparet, nedum quô, vel ob quod, apud Deum justus censeri queat, quippe qui nihil sui, nisi peccatum & ἀσέβειαν habet. Unde illud *Hos.* 14:2. כל תשא עון *quicquid accipis pravitas* est, à nobis auferenda inque crucem portanda Christo. 3. Justificare non idem esse atque justitiam infundere; alioqui phrasi Paulinæ nulla foret emphasis, cùm nemo nesciat, justitiæ habitum nisi injusto infundi non posse. Atqui certè Paulus, quando *Deum* dicit *justificare impium*, id intelligi vult tanquam paradoxum aliquod Evangelicum: significans, Deum pro sapientiæ atque gratiæ suæ divitiis modo se decente posse, quod judicibus in foro humano negatum, &c. *II. Subjectum occupans.* *Doctrinæ de Subjecto Justif. occupante tria consectaria.*

IX. Q. *Causa impulsiva justificationis quænam est?* R. Ratione decreti, sive consilii æterni nulla datur præter merum Dei beneplacitum & gratuitum amorem erga miseros, quem Catech. vocat *Misericordiam.* Quòd si consilii divini executionem spectes, causa justifi- *III. Causæ Justif. Impulsiva cùm ratione decreti, tùm*

ratione exe-cutionis ejus.

stificationis nostrî meritoria est *satisfactio* sive *obedientia* Christi. Fieri enim non potest ut Deus salvâ justitiâ suâ & lege gratiam faciat peccatori absque convenienti satisfactione, quod suô locô probatum. Q. *An non Lex pœnam denuncians transgressori, tacitam includit conditionem pœnitentiæ?* R. Lex pœnitentiam & gratiam ignorat. Et verò cùm peccator actâ pœnitentiâ legi satisfeciſſe censeri deberet, à judice ut absolveretur non jam ex gratia, sed jure postulare posset, quippe quem judex ex lege justificare teneretur.

Explicatur locus Rom. 3: 24, 25. & adversus Pontif. vindicatur.

Cæterùm de causa justificationis impulsiva & meritoria disertus est locus Apostoli, *Rom.* 3: 24, 25. *Justificati igitur* δωρεὰν τῇ αὐτοῦ χάριτι διὰ τῆς ἀπολυτρώσεως τῆς ἐν Χριστῷ Ἰησοῦ. Ubi duo illa δωρεὰν & χάριτι nequicquam discerpunt Pontificii, δωρεὰν interpretantes de *gratuito favore*, sed per χάριν intelligentes *donum justitiæ*, quô infusô peccator ex injusto fiat justus habitualiter. Etenim I. Δωρεὰν significat *citra causam* & *meritum*, puta nostrum: respondet enim apud LXX לָשׁוְא חִנָּם Hebræorum, ut *Psal.* 69: 5. conf. *Job.* 15: 25. χάρις autem, sive *gratia*, in omni lingua sonat gratuitum favorem. Et verò quid aliud, quam favorem denotare potest, quando Apostolus χάριν & δωρεὰν conjungit? *Rom.* 5: 15. numquid ἡ δωρεὰ ἐν χάριτι *erit donum in dono gratiæ*, non autem donatio ex gratuito favore profecta? II. Hominem non justificari donô gratiæ infusô, quod Bellarm. charitatem vocat, infrà docebitur. Obj. *Sic Apostolus erit tantologus, quia jamjam in vocabulo* δωρεὰν *de gratuito Dei favore locutus intelligi potest.* R. 1. Nulla hîc ταυτολογία, quia δωρεὰν sensum tantùm habet negantem: negat enim causam, puta, meritum & opus nostrum, quod sit causa juris petendi vitam, ut mercedem: atque adeò idem est quod τὸ δικαιοῦσθαι μὴ ἐργαζόμενον, *Rom.* 4: 5. χάρις verò sensum habet ajentem. 2. Tautologiæ vitium veriùs notari potest in interpretatione Pontificiorum: donum enim sanctificans haud dubiè gratis esset datum, alioqui non vocandum χάρις: cui ergò usui adverbium δωρεὰν?

X. Q.

X. Q. Atque hinc liquet δικαίωμα, quô justi constituimur coram Deo I. non esse fidem & novam obedientiam, locô perfectæ justitiæ reputatam; quia Deus in negotio justificationis nostræ non ut Creditor, apud quem acceptilatio locum habeat, sed ut Judex spectandus est. Atqui Deus Judex, secundùm veritatem judicans, *Rom.* 2: 2. pro justitia reputare & admittere non potest, nisi obedientiam, quæ omnes officii lege præscripti numeros impleverit: Quia nec sanctitatem suam dissimulare, nec legem rescindere, neque adeò aliter peccatorem justificare potest quàm salvâ legis authoritate & veritate: *legem igitur irritam facimus per fidem? absit. Imò legem stabilimus*, *Rom.* 3: 31. II. *Non esse* justitiæ habitum infusum & bona opera, ut vult communio *Romana*. 1. Quia justitiæ habituali deest perfectio à lege mandata, uti liquet ex Spiritûs & carnis lucta, quam in se perpetuam experiuntur justi, *Rom.* 7: 20, 23. *Gal.* 5: 17. ab ea non liberandi, nisi in morte corporis, *Rom.* 6: 6. & 8: 10. 2. Eô justi constituimur in foro divino, quô diluimus accusationem, quâ legis violatæ postulamur: atqui eam accusationem habitu justitiæ infuso non diluimus; neque enim is habitus aut accusationem illam falsam reddit, aut satisfactionis pro peccatis nostris rationem habet. Etsi enim faceret, ut posthac peccare desineres, non tamen impediret, quo minùs peccavisse censeri posses.

IV. Materia justificationis, sive δικαίωμα, *quo justi constituimur, explicatur* κατ' ἄρσιν. *Ubi refellitur sententia Socin. &c. & Pontificiorum.*

XI. Q. *Quam igitur dicis justificationis nostræ materiam, sive* δικαίωμα, *quô justi constituimur?* R. Perfectissimam Christi obedientiam. Q. *Unde demonstras?* R. I. Quia duplex solùm cogitari potest justitia, *nostra* & *aliena*, & consequenter duplex justificationis ratio. Atqui Scriptura, quando de homine reo agere se profitetur, nostram justitiam apertè rejicit, *Rom.* 3: 23. ex operibus suis justificari ullum disertè negat, *Rom.* 3: 20. *Gal.* 2: 16. Alienâ ergò justificamur, quam Christi, Sponsoris nostri, justitiam esse constat, quia II. Scriptura eam passim celebrat, vocans justitiam, *quæ ex Deo est ad fidem*, *Phil.* 3: 9. Deus ipse *suam* dicit, *Esaj.* 46: 13. confer *Rom.* 10: 3. 2 *Cor.* 5: 21. *Jer.* 23: 6.

2. κατὰ θέσιν. *Ubi ostenditur,* δικαίωμα *esse obedientiam Christi.*

1 *Cor.* 1: 30. III. Ea sola habet perfectionem, quæ ad rigorem legis examinari sustineat: hinc ea sola est δικαίωμα εἰς δικαίωσιν ζωῆς, *Rom.* 5: 18, 19.

Passivane solùm an & activa Christi obedientia in causa justificationis nobis imputetur.

XII. Q. *Cùm verò Christus obedientiam suam probaverit non solùm voluntaria passione & morte, sed etiam sanctissimâ & inculpatâ vitâ, alterutramne tantùm an utramque obedientiam dicis esse* δικαίωμα, *quò justi constituamur coram Deo?* R. Sunt Theologorum nostrorum non pauci, qui justificationem sola remissione peccatorum, mortis Christi fructu, definientes, solam obedientiam voluntaria passione & morte testatam, quam inde *passivam* dicunt, nobis ad justitiam imputari existimant. Quærenti porrò, an ergò & cui bono Christus alteram illam, quam *activam* vocant, obedientiam debuerit, respondet D Piscator: *Christum ad obedientiam vitæ obligatum fuisse jure naturæ, sive creationis, tanquam verum hominem, quantum ad legem moralem: nec non jure fœderis à Deo pacti cum posteris Abrahami & Israëlis, quantum ad legem tùm moralem, tùm ceremonialem, quippe cùm fuerit Filius Abrahami & Israëlis. Neutro autem, sed planè diverso jure, nempe voluntariæ sponsionis obligatum fuisse ad obedientiam mortis.* Communior verò Theologorum sententia utramque illam Christi obedientiam in redemptionis nostræ pretio, & justificationis materia complectitur; justificationem non in sola remissione peccatorum, seu absolutione à pœna, sed etiam juris ad vitam donatione constituens. Atqui jus ad vitam pendet ab impletione legis, juxta illud; *fac hoc & vives.* Q. *De hisce quid tu sentis?* Totus Christus noster est, *nobis à Deo factus sapientia, justitia* &c. 1 *Cor.* 1: 30. & una duntaxat est ejus obedientia, actionibus & passionibus ad supplicium usque crucis spectata: imò accuratè judicando & loquendo ea una obedientia potius *activa* tantùm statuenda: quia Christus sponsione voluntaria ad mandatum Patris legi dilectionis fraternæ se subjecerat; legi, inquam, postulanti, ut, si fratrem ab exitio æterno vindicare possis cum sanctificatione nominis & demonstratione justitiæ Dei, id facias, tametsi citra gravissimum ani-

Obedientiam Christi unam esse, eamque activam, ostenditur.

mæ

mæ malum fieri non posſit. Id Chriſtus, cùm ſolus poſſet, etiam Patre volente præſtitit.

XIII. Q. *Hanc Chriſti obedientiam unam eſſe, eamque activam potiùs, quî verò oſtendis?* R. De utroque conſtat his argumentis: I. Pati per ſe non eſt obedire, ſed pati velle ex ſtudio ſanctificandi nomen Dei, & demonſtrandi juſtitiam ejus; atque ex dilectione, fratrum ſalutem ſitiente. II. Scriptura non niſi unam agnoſcit obedientiam in Chriſto: *unius obedientiam* Apoſtolus vocat δωρεὰν τῆς δικαιοσύνης & δικαίωμα *id quod lex requirit juſtitiæ causâ*, *Rom.* 5: 17, 18, 19. III. Chriſtum oportuit fieri in ſimilitudine carnis peccati, ut ſuppleret legis ἀδυναμίαν, & *jus legis in nobis impleret*, *Rom.* 8: 3, 4. Atqui lex impotens dicitur non ea parte, quæ pœnarum ſpectat irrogationem, ſed quæ reſpicit mandatorum obſervationem, atque adeò obedientiam activam. Adde IV. *Principem ſalutis* oportuiſſe *conſummari per paſſiones*, *Heb.* 2: 10. In paſſionibus igitur non tota obedientia, ſed obedientiæ complementum eſt.

Audiuntur & refelluntur nonnulla contrariæ ſententiæ argumenta.

XIV. Q. *Quid reſpondendum objicienti: Chriſtum quà hominem jure naturæ; quà filium Abrahami jure fœderis à Deo pacti &c. obligatum fuiſſe lege morali?* R. Si veniſſet Filius Dei in carne, non ut Sponſor, (Sic verò venturum fuiſſe non dicimus, quin autem venire potuiſſet, quis neget?) neceſſariò futurus erat homo ſanctus, ſicut nunc etiam ſoluto reatu noſtro & impetratâ nobis vitâ æternâ ſanctus eſt. Neque tamen futurus fuiſſet ſub lege, tanquam domina imperante conditionem promerendi vitæ præmium. Unde *Heb.* 12: 2. ὃς ἀντὶ τῆς προκειμένης αὐτῷ χαρᾶς ὑπέμεινε *ſuſtinuit crucem*. Scil. ut Filius Dei gloriam & gaudium illicò ſibi vindicare poterat, mereri neceſſe non habens.

XV. Q. Obj. *Quare peccatorum remiſſio, &c. ſanguini & morti Chriſti paſſim in Scriptura adſcribitur, ſi non ſola ejus obedientia paſſiva nobis imputatur?* R. 1. Ipſa paſſio Chriſti fuit ſpecimen charitatis & obedientiæ activæ, ut ſuprà dictum. 2. Obedientia Chriſti morte præprimis manifeſtata & conſummata eſt. Obj. *Propter*

pter quod imputatum remittuntur peccata commissionis & omissionis, eò utique non solùm liberi à pœna, sed etiam justi atque hæredes vitæ æternæ censemur: quandoquidem cui remittuntur peccata omissionis, ille nihil omisisse, omnia igitur fecisse, atque adeò justus esse censetur. Atqui propter solam obedientiam Christi passivam remittuntur peccata, &c. R. I. Etsi duo ista nempe, *censeri nihil omisisse*, & *censeri omnia fecisse*, videantur tantundem dicere, heic tamen non spectandum, quid nobis videatur, verùm quid doceat Scriptura, *Rom.* 5: 19. II. Deus nos justificat imputatâ eâ justitiâ, quam Lex primaria intentione exigit, quæ alia non est, quàm perfecta Legis impletio. Altera illa quæ in passiva obedientia sita est, secundariò demùm & supplendo prioris defectui à lege postulatur, ut fatentur Authores hac in parte à nobis dissentientes. Assertioni nostræ inde fides constat, quia justificatio nostrî fit sine legis rescissione, quin potiùs cum legis stabilitione, *Rom.* 3: 31. & δικαίωμα τῦ νόμυ impletur in nobis, *Rom.* 8: 4. Atqui Lex ignorat justificationem peccatoris, quippe solùm obedientem, qui fecerit quæ legis sunt, justum pronuncians. III. Adde, si Deus sola peccatorum remissione nos justificaret, censendo nos nihil omisisse, &c. hactenus solùm essemus non injusti. Atqui certè Deus haud paulò liberaliùs nobiscum agit, uti liquet ex eo, quòd Apostolus gratiæ opponens peccatum, gratiæ tribuit exuberantiam, *Rom.* 5: 15.

V. Forma justificationis.

XVI. Q. *Justificatio nostrî quomodo fit?* R. Per imputationem ac donationem perfectæ satisfactionis, justitiæ ac sanctitatis Christi. De qua Catech. Quæst. LX. *mihi perfecta satisfactio ---- imputetur ac donetur*, &c. Quæ paucis explicanda. Q. *An ergò Deus nos justificat putando, opinando*, &c. R. Verbum *imputare* respondens Hebræo חשב & Græco λογίζεσθαι, quorum usus est in hac causa, non denotat fictionem mentis & opinionem, sed verum justumque judicium, quô Deus judicat eos, qui credunt, esse in Filio, atque adeò justitiæ & omnis juris ipsius, ut capitis & fratris primogeniti, consortes, vitæque æternæ, quæ præmium

Verbum imputare quid hôc locô significet.

est,

est obedientiæ à Lege propositum, hæredes, perinde ac si eam obedientiam, quam Christus pro ipsis præstitit, ipsimet præstitissent, &c. Q. *Quid verò propriè significat verbum λογίζεσθαι, Rom.* 4: 3, 4, 5. R. Theologis traductum videtur à rationibus mercatorum, qui tabulas habent accepti & expensi. Sic in libro rationum Dei scriptum est, quid nobis dederit, quidque ei debeamus: quum verò in altera pagina scribi non potuerit obedientia nostra & debiti solutio, ibi adscribitur δικαίωμα sive meritum Christi, quod valet ad multorum justificationem. Notandum porrò, in ista imputatione distinctos concurrere actus non planè coordinatos, sed suô modô subordinatos, quamquam tempore coincidant: nempe. 1. Justitiæ Christi donationem, sive judicium Dei, quô per fidem Christo uniti perinde justi censemur, ac si ipsimet omnem legi obedientiam præstitissemus. 2. Inde pendentem juris ad vitam æternam addictionem. Qui enim obediviſſe censetur, ei obedientiæ præmium, quod est jus vitæ, adjudicatur. 3. Remissionem peccatorum. Enimverò propter satisfactionem Christi remittuntur peccata: illâm igitur credentibus imputari, peccatorum remissio supponit. Consequenter etiam peccato jus dominandi & damnandi hominem abjudicatur, *Rom.* 6: 14. & 8: 1, 2, 3.

In imputatione illa justitiæ Christi distinctos concurrere actus suô modô subordinatos.

XVII. Q. *Hujus imputationis fundamentum quodnam est?* R. 1. Sponsio Christi. Quicquid Filius Dei legi subjectus fecit &c. id voluntaria sponsione, mandante & approbante Patre, loco electorum fecit & passus est: meritò igitur id ipsis imputatur, ac in ipsorum rationes refertur, quemadmodum in solutum refertur primo creditori, quod nomine & loco ejus solvit fidejussor. 2. Unio electorum cum Christo per Spiritum fidei tàm arcta, ut unum fiant corpus, &c. 1 *Cor.* 12: 3, &c. Quapropter in Christo feciſſe ac tuliſſe censentur, quod fecit tulitque ipsorum vicem Christus. Q. *Imputationis ejusque ratio?* R. Ea ejus est ratio, ut justitia Christi nobis non ad qualemcunque utilitatem, velut ad gratiæ internæ & justitiæ inhærentis infusionem, ut volunt Romanenses, sed ad justificationem & vitam ἀφέσεως imputetur.

Imputationis fundamentum quodnam.

Et quæ ratio.

Obedientiam Christi ad justificationem vitæ nobis imputari probatur.

XVIII. Q. *Id verò quibus argumentis confirmas?* R. I. Unius Christi justitiâ & obedientiâ justos constitui multos &c. docet Apost. *Rom.* 5: 18. id verò non per inhæsionem, sed imputationem fieri patet ℵ Quia unius Adami (cum quo Christum contendit Apostolus) inobedientiâ peccatores constituti sunt multi per imputationem: aliter namque actus unius non potest fieri multorum &c. Ergò & unius Christi obedientiâ justi constituuntur multi per imputationem: secùs vindicta foret exuberantior quàm gratia, contra v. 15. ב καθάκειμα cui Paulus opponit δικαίωσιν ζωῆς est actio forensis & judicialis: ergò & δικαίωσις. II. Obedientia Christi dicitur χάρισμα & δώρημα *gratiosa donatio*, *Rom.* 5: 16. Ergò illa ipsa nobis credentibus donatur: & cùm eadem sit δικαίωμα *id quod lex requirit ad præmium justitiæ* consequendum, ib. v. 16, 19. sequitur eam obedientiam nobis donari immediatè ad justificationem & vitam. III. Eâ justitiâ solâ justificamur, quâ liberatus est à reatu nostro Sponsor: est autem certè liberatus ab illo plenissimè vi satisfactionis à se præstitæ pro nobis &c. Unde Apostolus, *si unus*, inquit, *pro omnibus mortuus est, ergò omnes illi mortui sunt*, 2 *Cor.* 5: 15. qui verò nisi substitutione unius in locum cæterorum, ut factum illius unius imputetur his omnibus? Hinc cum Christo dicimur *crucifixi*, *mortui*, *sepulti*, *vivificati*, &c. *Eph.* 2. quod dici non posset, nisi quæ Christi sunt etiam nostra essent donatione & imputatione.

Eadem veritas adversus cavillum adversariorum vindicatur.

XIX. Obj. *Nemo justus esse potest justitiâ alienâ, sicut nemo doctus est alienâ doctrinâ, albus aliena albedine*, &c. R. Horum maximè dispar est ratio. Nec doctus, nec albus quis esse potest, nisi doctrinâ & albore inhærente: sed justus dici potest ob justitiam imputatam; hujus enim in foro est ratio, qualis debitorum & factorum esse solet. Q. *Quæ demum causa esse potest, cur nostra de imputatione justitiæ & meriti Christi doctrina Papistis usque adeò sit invisa?* R. Quanquam ipsimet merita sanctorum per indulgentias Papales dispensata, imputationis beneficiò aliis prodesse velint, imò & *meritorum communionem* moribundos emere jubeant, tamen

Doctrina de imput. justit. Christi quare Papistis tam invisa.

men imputationem meriti Christi ad δικαίωσιν ζωῆς ferre non possunt, eò quòd stante ista justificandi ratione gratuita nundinatores illi Romani fortunis suis evertuntur.

XX. Q. *Cùm igitur justificemur justitiâ Christi imputatâ, & nihilominus dicamur justificari fide, quis hîc locus, quæ partes fidei?* R. Fides justificationis *instrumentum*, sive *causa instrumentalis est.* Q. *Cùm justificatio sit actio Dei Judicis, quomodo fides, mentis humanæ habitus & actus, illius videri potest instrumentum?* R. Hîc probè tenendum, justificationem considerari posse vel *activè*, vel *passivè*. Activè quidem prout est actio Dei justificantis credentem in hac vita. Id quod nonnulli vulgò sic concipiunt, quasi Deus, tanquam Judex in throno sedens, sententiam pronunciet absolutoriam, quæ ipsis est justificatio *activa*. Quando deinde peccator hanc sententiæ pronunciationem fide verâ apprehendit cum sensu absolutionis & *gaudio super salute Jehovæ*, tunc justificationem vocant *passivam*. Addimus nos, hanc sententiæ absolutoriæ pronunciationem ad fidem & conscientiam hominis non fieri extra Scripturam & sine Scriptura S. alioqui homo eam audiens & animo apprehendens foret Enthusiasta. Q. *Id ampliùs etiamnum explanari velim.* R. Homo sensu miseriæ suæ tactus & onere peccatorum suorum pressus vera fide in Christum Servatorem unicum reclinans, sententiam absolutoriam invenit in Scriptura, puta, in promissionibus Evangelicis, justitiam, remissionem peccatorum & vitam addicentibus cuilibet verè credenti: qualis promissio est *Matth.* 11: 28. *Venite ad me* &c. *Joh.* 3: 16. *Ita Deus dilexit* &c. Obj. *Atqui nomen tuum, meum &c. non reperitur in Scriptura* &c. R. Satis est, nomen tuum, meum &c. esse nomen credentis. Quapropter verè credens & resipiscens non jubendus est captare & opperiri oraculi extra Scripturam. Exploret fidem suam, amplectatur promissiones Evangelicas, easque ubi fidem exploraverit, sibi applicet; id enim faciendi jus habent, quotquot fidei veræ δοκιμὴν apud se deprehendunt. Credens igitur sententiam absolutionis suæ legit in

VI. Justificationis causa instrumentalis.

Cùm justificatio sit actus Dei, quomodo fides ejus possit dici instrumentum.

Justificationem activè sumptam non fieri extra Scripturam, & sine Scriptura.

Scriptura, quam etiam Spiritus fidei in corde ejus obsignat per verbum & Sacramenta. Atque hæc est justificatio passivè sumpta, prout fit in homine per fidem persuasum habente, sua sibi in præsens remitti peccata. Q. *Necdum video quomodo fides justificationis sit instrumentum?* R. Justificationis *activè* consideratæ instrumentum si quod statuendum est, ipsum Evangelii verbum est, quippe *potentia Dei ad salutem cuivis credenti*, *Rom.* 1: 16. Justificationis *passivè* sumptæ instrumentum est ipsa fides. Unde & justificatio hoc sensu intellecta *fidei effectus* nobis dicta superiùs. De fide porrò videndum: 1. Qualis sit, quæ justificat. 2. An sola justificet. 3. Quomodo.

Justificationis activè sumptæ instrumentum esse verbum Evangelii: passivè consideratæ, fidem.

Fides justificans qualis sit.

XXI. Q. *Fidem igitur in causa justificationis qualem esse postulas?* R. Non *generalem* duntaxat *assensum*, quô vera affirmes quæcunque Deus in verbo suo revelavit, ut placet Pontificiis, ex falsa hypothesi, quòd fides non nisi *dispositivè*, ut loquuntur, justificet, de quo errore infrà: sed *Specialem assensum* in verbum fœderis & promissiones Evangelicas, cum fiducia cordis in Deum reclinantis, & Christum tanquam arcem Dei apprehendentis, ut tandem compositis animi æstuantis fluctibus securè & absque pavore in ipso acquiescat. Adeóque ut verbô dicam, fidem justificantem existimamus esse fiduciam divinæ misericordiæ peccata propter Christum remittentis. Vide Quæst. XXI.

Solâ fide nos justificari affirmat Catechum. contra Pontif.

XXII. Q. *Solane fides justificat?* R. Id Catechum. noster affirmare docetur adversus Communionis Romanæ Doctores, qui non jam fervidè solùm, sed propè furenter contendunt, non justificari nos sola fide: uti videre est apud Bellarm. qui *lib. I. Tom. IV. â cap.* 16. ad finem usque libri, 10. integris capitibus operosissimè pertendit, nos non sola fide justificari.

Id quo sensu intelligendum sit paucis explicatur.

Q. *Quo sensu intellectum vis, quando sola fide nos justificari doces?* R. Eâ particulâ *Sola* operum bonorum non præsentiam, sed efficientiam à fide quâ justificante excludimus. *Solam* igitur dicentes, non intelligimus solitariam, h. e. operibus destitutam & effœtam, qualis fides somnium veriùs & umbra fidei, quàm

quàm veri nominis fides est : quemadmodum solus oculus videt, sed non solitarius, sive à capite revulsus.

XXIII. Q. *Hoc sensu sola fide nos justificari quibus argumentis evinces ?* R. I. Apostolus exertis verbis, *fide* inquit, *justificamur sine operibus*, *Rom.* 3: 28. quod tantundem valet, ac si diceret, *sola fide*. Et rursus; *scientes hominem non justificari ex operibus legis*, ἐὰν μὴ διὰ πίστεως Ἰησοῦ Χριστοῦ, *Gal.* 2: 16. Ubi illud ἐὰν μὴ non esse *exceptivum*, sensu, hominem non justificari operibus, nisi operibus accedat fides; sed *exclusivum* esse, patet, quia II. cùm simus sub fœdere gratiæ, non operum, fides & opera perpetuò opponuntur à Paulo ut ἀσύζυγα, *Rom.* 3: 27, 28, & 4: 4, 5. & 11: 6. *Eph.* 2: 8, 9. ubi *fides* & *opera*, sicut & *gratia* ac *opera*, ita ἀμέτως opponuntur, ut unô istorum affirmatô alterum necessariò sit negandum. Et cùm phrases istæ *per mortem Christi justificari*, & *per opera*, vel *legem justificari* in Scripturæ doctrina habeantur pro irreconciliabilibus, *Gal.* 2: 21. temeritatis est inexcusabilis, rationem velle confingere, quâ componas quæ Scriptura opponit. Excip. *Apostolum à fide justif. excludere vel opera ceremonialia; vel opera quæ fidem præcedunt, non quæ sequuntur; vel denique opera, quæ perfectam legis impletionem inferant ?* R. Atqui omnia, cujuscunque nominis atque generis sint, opera excludi & fidei opponi, docent. 1. Exemplum Abrahami, quem regenitum, Spiritu Dei donatum fuisse constat, cùm adhuc esset in præputio, nihilominùs ex operibus justificatum negat Apostolus, *Rom.* 4: 2, &c. 2. Scopus Apostoli & status controversiæ, quæ tùm agitabatur; scil. An Judæi ea legis observatione, quam præstare queant, justificari possint ? Ea opinione olim & etiamnum tenentur Judæi, justificati se posse, si modò legem moralem pro virili observarent, ita quidem, ut opera bona malis numerô atque pondere prævalerent, pro delictis verò suis eas præstarent satisfactiones, quas Lex Cerem. præscripsit. Id verò fortiter negat Apostolus, eô fundamentô, quòd justitiam, quæ coram Deo Judice valeat,

Sola fide nos justificari argumentis demonstratur.

Exceptio Justitiariorum. Resp.

omnibus suis numeris perfectam, & legi, quæ rescindi nequit, exæquatam esse oporteat. Unde proclive est concludere III. Nec opera sola, nec cum fide conjuncta, constituere justitiam, quam Deus Judex citra dissimulationem & abnegationem nominis sui & rescissionem legis approbare queat. Neque enim opera etiam regenitorum & fidelium perfectionem Lege mandatam habent: ut hôc ipsô argumentô rectè neget Catech. bona opera vel justitiam, vel partem saltem justitiæ coram Deo esse posse, Quæst. LXII. IV. Homo justificatur *gratis per gratiam Dei, Rom.* 3: 24. Atqui cum gratia sola fides ita componi potest, ut sua gratiæ laus solida constet. Si à paupere aliud quid exigas, quàm ut porrecta manu quod offers accipiat, laudem liberalitatis delibas. Unde Apost. *si ex gratia*, inquit, *tùm non ex operibus; aliàs gratia non esset gratia, Rom.* 11: 6. Adde V. eò minus insolentem videri debere Pontificiis locutionem, *sola nos fide justificari*, cùm, fatente Cassandro, *habeat exempla vetustatis. Consult. art.* 4. 4. Ubi Origenem & Hilarium testes producit.

XXIV. Objicit Bellarm. l. s. cit. *Adversarii in hac causa destituuntur istô præsidiô* (expressô Dei verbô.) *Nusquam enim hactenus ostendere potuerunt in S. Literis illam particulam* Sola, *cùm de fide justificante agitur. Nos autem expressum verbum proferimus, ubi habetur negatio ejus vocis, aut synonymæ; videtis*, inquit Jacobus, *quia ex operibus justificatur homo, & non ex fide tantùm, Jac.* 2: 24. Resp. Diligenter notandum, quæstionem hujus loci non esse, *quomodo homo justificetur?* quam quæstionem tractat Paulus ad Rom. & Galatas; sed extra controversiam positô, *hominem justificari sola fide*, quæri, quæ, qualisve sit illa fides quâ homo justificetur, quia disertè v. 20. dicit, *vis scire, homo vane, fidem absque operibus mortuam esse?* Multi volunt Jacobo v. 21, & 24. sermonem esse non de justificatione coram Deo, sed ejus demonstratione &c. Verùm sic à statu quæstionis incautè recedunt. Putamus cum Piscatore, Jacob. loqui de justificatione coram Deo, ut ne malè conveniat quæstionis tractationi cum quæstione

Quomodo Jacobo Epist. c. 2. conveniat cum Paulo in Epist. ad Rom. & Gal.

Jacobo non minùs de justifica-

stione ipsa, quæ est de qualitate fidei justificantis. Q. *Quibus rationibus hanc sententiam confirmas?* R. 1. Si *justificare* v. 24. significaret *justum demonstrare*, sensus hic foret; hominem ex operibus demonstrari justum, & non ex fide tantùm. Atqui ex fide, quæ secretum quid est & in corde latens, justificatio non demonstratur aliis. 2. Postquam Apostolus dixerat, *Abrahamum ex operibus fuisse justificatum*, v. 21. concludit v. 23. *Itaque impleta est Scriptura, quæ dicit, credidit autem Abrah. Deo, & imputatum est ei ad justitiam.* Atqui concludendum videri possit contrarium, non impleram esse Scripturam, quæ dicit &c. cùm v. 21. ex operibus dicatur justificatus. Verùm quia Apostolo propositum erat docere, hominem justificari fide non mortua, sed operante per charitatem, laudat Abrahami obedientiam, ut inde conficiat, Abrahamum fide per obedientiam operante, non igitur mortuâ, fuisse justificatum. Q. *Quomodo igitur opinionibus distinguis homines quibuscum Apostolis illis duobus res erat?* R. Jacobo res erat cum iis, qui bona opera ad salutem negabant esse necessaria, eò quòd homo sola fide justificaretur, *sic transferentes gratiam Dei ad lasciviam*, *Jud.* v. 4. Paulo contrà negotium erat cum illis, qui bona opera usque eo extollebant, ut ea statuerent justificationis causam coram Deo.

tione hominis coram Deo, quàm Paulo sermonem esse, neque tamen ei adversari.

XXV. Q. *Fides tandem quomodo quave vi justificat?* R. Sic quærenti Catech. responderi jubet: Non quòd dignitate meæ fidei Deo placeam, sed quòd sola satisfactio &c. vide Quæst. LXI. Ubi orthodoxum hujus articuli sensum exprimit καθ' ἄρσιν & καθὰ θέσιν falsas sententias rejiciendo & veram adstruendo. Q. *Quas falsas sententias rejicit?* R. I. Pontificiorum, qui fidem justificare existimant *dispositivè*, referentes eam ad sex illas dispositiones, quibus homo ad primam justificationem, quam vocant, præparetur. De quibus Becan. *Tract. IV. de Justif. c. 3. q. 3. ex Concil. Trid. Sess. VI. c. 6.* Cujus doctrinæ vitium multiplex atque falsitatem ex hactenus dictis detegere & refellere facilis negotii est. II. Remonstrantium, &c. Illi fidem justificare putant ut *conditionem* è multis conditionibus

Quomodo quave vi fides justificet, ostenditur 1. καθ' ἄρσιν.

bus possibilibus à Deo electam ex placito: quô pactô fides consideraretur ut opus, quod Deus magni faceret, eaquepropter nos justificaret. Atqui certè *per fidem*, *ex fide*, & *fide*, nunquam verò *propter fidem justificari* dicimur.

2. καλὰ δόγμα.

XXVI. Q. *Quænam deinde vera sententia, quam Catech. adstruit?* R. Fidem justificare *instrumentaliter* & *relativè*, ut vulgò verissime docent nostri Theologi. Q. *Quomodo instrumentaliter?* R. Quatenus fides est organum & veluti manus quâ Christum ejusque justitiam amplectimur, nobisque applicamus, ut Catech. inquit Quæst. LXI. Q. *Fides verò quale est instrumentum?* R. Instrumentum aliud est *operationis*, velut malleus in fabrilibus; aliud *apprehensionis*, velut forceps. Fides hôc locô instrumentum est non operationis, quô justitiam operemur; sed apprehensionis, quô justitiam Christi apprehendimus. Obj. *Apprehendere est operari?* R. Apprehensio hîc non spectatur ut opus nostrum, quod justitiam operetur, vel pro justitia, aut parte saltem ejus reputetur: sed spectatur ut apprehendens justitiam Christi. Hinc dictum nobis suprà, fidem justificare *relativè*, quatenùs est apprehendens justitiam Christi, eamque credenti applicans. Quemadmodum porrectio manûs, quâ mendicus ad mandatum divitis oblatum misericordiæ donum acceptat, est actus mendici à divite imperatus, neque tamen quà actus mendicum ditat, sed quatenus hîc modô donum acceptat & suum facit. Obj. *Fides dicitur reputari ad justitiam, Rom.* 4: 5. *Ergò fides est, vel habetur pro justitia nostra.* R. Atqui 1. fides distinguitur à justitia, *Phil.* 3: 9. 2. Justificari nos propter fidem nusquam legimus. 3. Apostolus 2 *Cor.* 5: 21. docet, nos fieri *justitiam in Christo*, quemadmodum *ipse factus fuerat peccatum pro nobis.* Atqui Christus factus est peccatum sola imputatione: ergò & nos fimus justitia Dei in ipso per imputationem. Unde consequitur fidem non esse ipsam justitiam, alioqui nulla foret imputatio. Q. *Quid igitur est, fidem imputari ad justitiam?* R. Fidem, ut apprehendit Christum, judicari id, cum quo jus petendi præmium justitiæ

Ubi docemur, fidem justificare cùm instrumentaliter, cùm relativè.

Fidem esse instrumentum non operationis, sed apprehensionis.

Quo sensu fides reputari dicatur ad justitiam.

ſtitiæ conjunctum eſt: phraſi à mercatorum rationibus deſumpta, ut ſuprà nobis annotatum: atque adeò credentem in Chriſtum apud Deum Judicem eôdem locò eſſe, quô is eſſet, qui legem perfectè obſervâſſet.

XXVII. Q. *Juſtificationis quis tandem eſt finis & fructus?* R. Finis ejus, ut omnium Dei beneficiorum, eſt cùm *ultimus*, tùm *ſubordinatus*. Q. *Quis ultimus?* R. Gloria Dei, ſive manifeſtatio virtutum Dei, quæ quàm maximè ex hoc gratiæ beneficio effulgent. Unde *Jer.* 33: 8, 9. *Condonabo omnes pravitates ipſorum ----- & erit mihi in nomen hilaritatis, in celebrationem & ornatum omnibus gentibus terræ*, &c. Adde *Eph.* 1: 6, 7. Q. *Quis finis ſubordinatus?* R. Cùm hujus, tùm æternæ vitæ felicitas. Q. *Hujus vitæ felicitas in qua re ſita?* R. In pace & tranquillitate conſcientiæ, è ſenſu favoris Dei peccata propter Chriſtum gratuitò condonantis orta, & libertate Chriſtiana, ſive immunitate à ſervitute peccati, elementorum mundi, &c. de quibus videndi Theologi. De alterius vitæ felicitate, quæ juſtificatos manet, dictum nobis ad Quæſt. LVIII.

VII. Juſtificationis finis & fructus.

Quæſtio LXIII.

Quomodo bona opera noſtra nihil promerentur, cùm Deus & in præſenti & in futura vita mercedem pro his ſe daturum promittat.

M*Erces ea non datur ex merito, ſed ex gratia.*

ANALYSIS.

I. Contra concluſionem præced. Quæſtionis ſic argumentantur Pontificii: *Quod eſt meritorium*

torium, illud est justitia, vel pars saltem justitiæ nostræ: atqui bona opera sunt meritoria, &c. Assumtionis ratio est, *quia Deus & in præsenti & in futura vita mercedem pro bonis operibus se daturum promittit.*

II. Negatur assumtio, allata ratione ex distinctione mercedis, & sic directè respondetur ad assumtionis probationem, ex mercede bonis operibus promissa non rectè concludi operum merita; *quia merces ea non datur ex merito, &c.*

Quæstio LXIV.

An autem hæc doctrina non reddit homines securos & profanos?

NOn: *neque enim fieri potest, quin ii, qui Christo per fidem insiti sunt, fructus proferant gratitudinis.*

ANALYSIS.

Quæstio habet occupationem calumniæ adversariorum contra doctrinam nostram de justificatione fidei; *Ista doctrina reddit homines securos & profanos. Falsa est igitur & profana.*

Respondetur per negationem antecedentis, ratione petita à causa efficiente contrarii, quæ est communio justificatorum cum Christo. Ubi observanda

1. Communio per metaphoram expressa; *qui Christo per fidem insiti sunt.* 2. Com-

2. Communionis effectus; *neque enim fieri potest, quin fructus proferant gratitudinis.*

EXEGESIS.

Bona operâ non esse meritoria.

CConclusio præcedentis Resp. erat: *bona opera non posse esse justitiam, nec partem justitiæ, quæ in judicio Dei valeat: quomodo verò occurres Papistis, bonorum operum merita objectantibus?* R. Bona regenitorum opera vitam, ceu justitiæ præmium, mereri nego. Obj. *Atqui Deus mercedem pro bonis operibus se daturum promittit.* R. Merces illa dicitur non sensu propriô, sed metaphoricô. Unde nulla pro operum merito atque justitia conclusio.

Merces propriè dicta quæ.

II. Q. *Quam vocas mercedem propriè sic dictam?* R. Pretium operæ, debitum ex justitia commutativa, rerum æqualitatem exigente: qualis est merces, quæ ex contractu *locationis operæ, facio ut des* &c. debetur. Hujusmodi merito inter Deum & meram creaturam locus esse non potest: *Numquid Deo utilis est homo?* &c. *Job.* 22: 2, 3. Et numquid sibi utilis est servus, qui se & sua omnia Domino debet? vide *Luc.* 17: 10. Deinde quod operanti promittitur, cùm omitti potuisset, merces dicitur, quia intuitu operis datur, ubi tamen aliquis gratiæ locus est: velut si servo promittitur remuneratio operæ, quam sine promissione deberet. Talis merces ex pacto locum habebat in fœdere operum, juxta *Rom.* 4: 4. non item in fœdere gratiæ, ubi Deus vitam promittit non demum nobis promerendam, sed Christi meritô jamjam nobis paratam.

Meritum ex pacto.

Merces metaphoricè dicta quæ.

III. Q. *Quam vocas mercedem sensu metaphorico dictam?* R. Præmium, quod mercedis simile quid habet, & ex mera gratia datur. Atque hoc sensu improprio merces dicitur vitæ æternæ præmium. 1. Quia ut merces post exantlatos labores, sic vita æterna post cursum fidei peractum, & certamina vitæ præsentis, datur. 2. Sicut promissa mercede incitatur operarius ad alacritatem in opere faciundo: sic ad studium bonorum operum provocat propositum vitæ præmium. 3. Ut in mercede compensatio est sumptûs

tûs & operæ impensæ: sic vitæ æternæ felicitas inæstimabili fœnore pensat labores, pericula, damna, ob pietatis studium in hoc seculo perferenda. Unde quæ aliquando *mercedis*, interim *hæreditatis retributio* dicitur in Scriptura, *Col.* 3: 24.

Diluitur calumnia Adversariorum contra doctrinam nostram de justificatione &c.

IV. Q. *Quid deinde respondebis clamantibus; doctrinâ de gratuita justificatione peccatoris hactenus traditâ hominem reddi securum atque profanum?* R. Hæc quidem atrox calumnia est, quam facile diluam ex illo Servatoris; *Ego sum vitis, vos palmites.* Tales qui sunt, fieri nequit, quin fructum proferant gratitudinis: *qui manet in me & Ego in ipso, hic fert fructum multum, Joh.* 15: 5. Id ostendunt argumenta, à Christo cui insiti, à fide per quam insiti sunt, & ab ipsa complantatione, deducta. 1. Christum quod attinet, in eo spectanda est justitia, meritum atque dominium in populum redemptum. Atqui justitia illa, meritum, &c. inferunt vivificationem, regenerationem & sanctificationem populi redempti, in quo glorioſus regnet Redemptor, ne operæ suæ pretiô frustretur. 2. Fidem si consideres, ea, ubi vera est, non potest esse infrugifera, *Gal.* 5: 6. *Per Spiritum* fidei *charitas Dei effusa est in cordibus nostris*, quæ suî sensu evidentissimo non potest non ad redamandum Deum nos excitare, *Rom.* 5: 5. Denique 3. Complantatio ipsa idem manifestè docet. Cùm enim in Christo simus, & Christus in nobis per Spiritum suum in nobis habitantem, per quem unum sumus facti cum ipso, fieri nequit, ut Christus in nobis sit tanquam mortuus, otioſus & impotens. Neque enim verè caput esset, nobis, membris ejus, mortuis: neque Spiritus S. redemptos sinit esse ἀργὸς καὶ ἀκάρπους; vide *Gal.* 5: 22.

DE SA-

DE SACRAMENTIS.

Quæstio LXV.

Quoniam igitur sola fides nos Christi atque omnium ejus beneficiorum participes facit: unde hæc fides proficiscitur?

A *Spiritu Sancto, qui eam per prædicationem Evangelii in cordibus nostris accendit, & per usum Sacramentorum confirmat.*

ANALYSIS.

I. Præmissâ Quæstionis occasione; *Quoniam igitur sola fides* &c. quærit de causis fidei, *Unde hæc fides*, &c.

II. Sic quærenti respondet, exponendo causas fidei Efficientes cùm *Principalem*, procreantem & conservantem, quæ est Spiritus S. tùm *Instrumentalem* duplicem, unam, quæ fidei procreationi; alteram quæ ejusd. confirmationi subservit. Illa est *Evangelii prædicatio:* hæc *sacramentorum usus.*

EXEGESIS.

Nexus.

DOctrinam *de sacramentis quomodo connectis cum præcedentibus?* R. Cùm juxta partitionem Quæst. XXII. factam dixisset Catech. de objecto & effectu fidei, nunc exponendæ veniunt ejusd. causæ procreantes & conservantes, in quarum censu etiam annumerantur Sacramenta.

Fidem Dei esse donum, & quomodo docetur.

II. Q. *Undenam homo fidem habet?* R. Non ex se, sed Dei beneficio. *Gratiâ enim illâ salvati estis per fidem, & hoc non ex vobis, Dei donum est, Eph.* 2: 8. Fides porrò Dei donum est non eô tantùm sensu, *quòd non procedit ab argumentis humanitùs repertis, sed ab iis quæ Deus non rogatus nobis in Christi miraculis, morte & resurrectione exhibuit:* uti vellent, quos tenet insanum Scripturas extenuandi studium: Verùm quia Deus ipsam fidem & actum fidei potenter operatur, uti liquet attentè conferenti versum 8. cum 5, 7, 10. loci cit. & *Phil.* 1: 29. Q. *Velim autem, paulò distinctius Authorem sive Causam fidei principalem indices?* R. Ea est Spiritus S. indidem *Spiritus fidei* appellatus 2 *Cor.* 4: 13. plura in hanc rem videsis ad Quæst. XXI.

Fidei procreandæ & conservandæ instrumenta.

III Q. *Mediaténe an immediatè fidem operatur Spiritus Sanctus?* R. Ordinariè quidem fidei procreandæ & corroborandæ adhibet instrumenta quædam sive adminicula externa: nempe prædicationem Evangelii & usum sacramentorum, quæ inde *ministerium Spiritûs* dicuntur, 2 *Cor.* 3: 8. & Evangelium *verbum fidei*, *Rom.* 10: 8. & *potentia Dei ad salutem*, &c. *Rom.* 1: 16. quia Deus in præconio Evangelii potens est ad convertendum electos, qui id audiunt ad salutem. Q. *An igitur Legis nullæ partes sunt in hoc ministerio?* R. Concio legis disponit tantùm & præparat ad fidem, adducendo peccatorem ad miseriæ suæ & ἀδυναμίας agnitionem, *Rom.* 3: 20. Q. *Quare dicis* ordinariè &c. R. Ut significem ordinarium instrumentum fidei adultis instillandæ esse prædicationem Evangelii, interim tamen non negem Deum aliter agere posse, ut factum in Paulo *Act.* 9. cui hactenus ad conversionem non profuerat audivisse Stephani concionem. Q. *Nonne fidei ingenerandæ etiam inserviunt miracula?* R. Olim ubi fundanda erat Ecclesia inter Judæos & Gentes, quæ fiebant miracula per Apostolos & alios, fidei erant non principium, sed motiva ad fidem excitantia. Unde Apostolus *linguas* dicit *in signum esse infidelibus*, ut adducantur ad audiendum prophetiam, & sic fiant fideles, non per signa, sed per prophetiam

Quomodo fidei procreandæ inserviant miracula.

sive

sive verbum Dei, 1 *Cor.* 14: 22. De miraculis Christi haud paulò sublimiùs sentiendum: cùm enim ad opera sua, ceu testes maximè idoneos, provocârit, *Joh.* 10: 37, 38. in iis genera & nomina spectari, *Matth.* 11: 5. & cum vaticiniis Prophetarum conferri petens, ut facta collatione & deprehensa conformitate ipsum reverâ Messiam, Prophetarum oraculis descriptum, crederent, eadem etiam pro fidei principio haberi voluit: unde, *Si facio*, inquit, *opera Patris mei, etsi mihi non credatis, operibus credite, &c. Joh.* 10: 38.

IV. Q. *Verbum Evangelii an per se valet ad fidem ingenerandam?* R. Sejunctum ab operatione Spiritus S. prodest ad suadendum, non proficit ad persuadendum: conjunctum verò cum operatione Spiritûs suasionem convertit in persuasionem. Inde adeò verbum Dei, ut est in manu Dei, dicitur *malleus*, *Jer.* 23: 29. comparatur pluviæ fœcundanti, dicitur semen regenerationis, &c. & notanter Catech. *qui eam*, inquit, *in cordibus nostris accendit*: significans, verbum, ministerio procreandæ fidei à Spiritu S. adhibitum, non ad illuminationem mentis solùm, sed etiam ad incitationem voluntatis & inflammationem affectûs prodesse. Unde liquet, errare illos, qui, ut sacramentorum efficacitatem tantò faciliùs defendere possint, etiam verbum Dei non attentâ Spiritus S. operatione tanquam instrumentum aliquod physicum, quod vocant, ad fidem procreandam prodesse volunt.

Verbum Evangelii cum operatione Spiritûs S. conjunctum potens est 1. Ad ingenerandam fidem.

V. Q. *An usus Evangelii tantum est in procreatione fidei?* R. Etiam in conservatione & corroboratione ejusdem: unde enim nascitur etiam alitur fides. Eò tamen speciatim Ecclesiæ data sunt sacramenta. Atque hinc Catech. Sacramentorum usui fidei confirmationem attribuit: significans, ea non prodesse nisi credenti, iisque in fide utenti, imò absque fide sit, ne quidem sacramenta fore. Q. *Usum illum confirmandæ fidei quomodo præstant sacramenta?* R. Non insita quadam virtute physica, sed ut sunt symbola & sigilla, gratiæ salutaris beneficia fidelium cuique obsignantia. Uti sequentia docebunt.

2. Ad conservandam, &c.

Cui usui speciatim inservinnt sacramenta.

VI. Q. *Quid tandem judicas de ordine, quò Catech.*

Ratio connexionis

doctrinæ fidei & sacramentorum.

fidei articulos, & sacramenta distinctis quidem locis pertractat, sed tamen connectit? Bz. Eô significare vult, sacramentis nihil aliud doceri, quàm quod articulis fidei continetur, neque adeò sacramenta nobis, ut testamentum aliquod singulare & à verbo Dei separatum, sed ut sigilla testamento Dei appensa, & ut fidei adminicula esse spectanda.

Quæstio LXVI.

Quid sunt Sacramenta?

SUnt sacra & in oculos incurrentia signa ac sigilla, ob eam causam à Deo instituta, ut per ea nobis promissionem Evangelii magis declaret & obsignet: quòd scilicet non universis tantùm, sed etiam singulis credentibus propter unicum illud Christi sacrificium in cruce peractum gratis donet remissionem peccatorum & vitam æternam.

ANALYSIS.

Occasione eorum, quæ de causis fidei proxima Quæst. dixit, nunc ad tractationem sacramentorum N. T. transit, quæ partim Generalis est I. de sacramentorum natura. II. scopo & usu. III. Numero. Partim Specialis de Baptismo & S. Cœna.

Quæst. præsens est de natura sacramentorum, quam Resp. definitione explicat. Ubi

1. Genus, ex adjunctis descriptum: *Sunt sacra & in oculos incurrentia signa & sigilla.*
2. Differentiam faciunt 1. Causa efficiens, quæ

quæ *Deus*. 2. finis & usus: qui quidem in genere est, tùm *declarare*, *tum obsignare promissionem Evangelii*: In specie verò, obsignare, *quòd non universis tantùm, sed etiam singulis credentibus*, tibi, mihi, &c. *propter unicum illud Christi sacrificium, &c.*

EXEGESIS.

SAcramenti vox origine Latina est, à sacrando dicta, ut ornamentum ab ornando: neque adeò ἔγγραφον est, sed à Tertull. & aliis Patribus in Ecclesiam adscita. Fœcunda errorum & litium secula deinceps docuere, satius fuisse futurum, si voce Latina omissa, Ecclesiæ Doctores cum Scriptura loqui, & ritus illos sacros *signa*, *sigilla*, ὑποδείγματα *figuras*, &c. dicere maluissent. Attamen postquam tot seculorum usu invaluit, dummodò ejus sensus rectè exponatur, haud temerè retinetur. *Sacramentum* porrò dixere Veteres quamlibet ceremoniam sacri & occulti quid habentem. Unde pòst nata superstitioni occasio sacramentorum in Ecclesia numerum adaugendi. Non ergò videntur respexisse ad usitatam apud Romanos istius vocis acceptionem, vel pro pecunia à litigantibus depositа apud Pontificem, ut victor suam, lite finita, reciperet, suâ verò mulctaretur qui causâ cadebat: vel pro jurejurando militari, unde phrases, *sacramento dicere*, *sacramento obligari*, &c. Etsi negari non possit, inter sacramenta Christianorum & ea, quæ Latinis olim sub eo nomine veniebant, nonnihil analogiæ ostendi posse. *Vox Sacramentum quæ sit & quid significet.*

II. Q. *Quænam generatim in Sacramento requiruntur?* R. Juxta Catech. hæc sequentia. 1. Ut sit signum & sigillum sacrum & visibile. 2. Ut sit institutum à Deo. 3. Ut declaret & obsignet promissionem Evangelicam gratiæ salutaris omnibus fidelibus communem in J. C. eaque propter etiam credentium singulis applicet, &c. *In Sacramento quæ requirantur.*

III. Q. *Hæc ut distinctiùs percipiantur, primùm illud Sacramen-*

na dicantur, non actiones.

quæro, quare sacramenta malis dicere signa, quam actiones? Rz. 1. Quia actio sacramentalis non aliter spectanda, quàm prout usum signi habet. Sic fractio panis in S. C. significat fractionem corporis Christi. Errant proinde, qui sacramenta putant esse vehicula & organa communicandæ & operandæ gratiæ, atque ideo per actiones definiunt. 2. Quia Scriptura vocat *signa fœderis, sigilla justitiæ, Gen.* 17: 11. *Rom.* 4: 11. Obj. *Id dicitur de circumcisione sola.* Rz. Rectè tamen concludimus ad omnia sacramenta; cùm circumcisio signum sit & sigillum fœderis non alia de causa, quàm quia est sacramentum fœderis.

Cur sigilla.

IV. Q. *Cur non satis habens dixisse signa, addis esse sigilla?* Rz. Ut doceam, sacramenta non esse nuda signa, quorum usus tantùm sit significare, qualia vulgò signa *speculativa* dicuntur, sed esse signa quæ simul sint sigilla rem signatam obsignantia & suò modò exhibentia: qualia Scholis vocantur signa *practica.* Ita Apostolus circumcisionem disertè dicit *sigillum justitiæ, Rom.* 4: 11. & poculum benedictionis in S. C. *communionem sanguinis Christi,* &c. 1 *Cor.* 10. 16. Q. *Atqui ista, nempe significare, obsignare, applicare, exhibere, cùm sint diversissima, quomodo uni eidemque rei convenire possunt?* Rz. Usus isti signorum practicorum etsi pro rerum significantium diversitate separari possint, universi tamen in sacramentis concurrunt; quo casu idem signum à multiplici quem præstat usu denominatur commemorans, obsignans, applicans, exhibens. Aliàs signum potest esse exhibens, quod non sit applicans: velut quod Angelus dedit pastoribus Bethlehemiticis, *Luc.* 2: 12. *Hoc esto vobis signum, invenietis infantem fasciis involutum, positum in præsepi.* Ubi involutum fasciis jacere in præsepi signum erat exhibens Messiam quibusvis spectantibus: si qui tamen sine fide spectatum veniissent, iis haud dubiè non fuisset signum applicans. Vicissim usuvenit, ut quis habeat signum applicans, quod non illicò sit obsignans: Ex. gr. quando instrumentum emptionis traditur emptori, necdum appensò sigillò, habet ille quidem signum applicans & exhibens, quod doceat, rem titulò emptio-

Sigillorum usus.

emptionis ad eum pertinere; neque tamen est signum obsignans, quod omnem dubitationem de dominio rei translato eximat. Q. *Quî verò ostendis, hos usus in sacramentis concurrere universos?* R. Sacramenta sunt signa 1. *Commemorantia*, quippe quæ analogiam habent cum re significata, ut videbitur suô locô. 2. *Applicantia*, quia rem significatam, in Evangelio fidelibus communiter promissam, ad singulos seorsim pertinere, fidem faciunt. 3. *Obsignantia*, qualia sunt pignora, sigilla, arrhæ, &c. quia de gratiæ promissæ communione eandem securitatem faciunt utenti sacramentis in fide, quam facere solent pignora, arrhæ, &c. 4. *Exhibentia*, ut sceptrum, claves, &c. quia in usu sacramentorum non quidem in signo, sed unà cum signo exhibetur quoque res signata, dum signum præbente ministro, Christus Dominus dat rem signatam. Omnes tamen isti usus hoc commune habent, ut significatione expediantur: nempe *signum* dicitur *applicans*, quia *significat* rem ad te pertinere. Dicitur *obsignans*, quia cum locô rei spiritualis in sacramentis substituatur, *significat*, rem illam spiritualem tàm certò tuam esse, quàm quidem certò tuum sit, quod tibi communicanti minister accipiendum dat. Dicitur *exhibens*, quia *significat*, rem signatam unà cum signo exhiberi in legitimo sacramenti usu.

Sacramenta sunt signa
1. *Commemorantia.*
2. *Applicantia.*
3. *Obsignantia.*
4. *Exhibentia.*

V. Q. *Quid opus moneri, esse signa sacra?* R. Ea ratione Catech. videtur explicare velle. 1. Unde dicta sint sacramenta. 2. Cum ad finem & usum sacrum à Deo destinata sint, quanta cum reverentia & sanctæ vitæ proposito sint administranda & percipienda. Q. *Cur sacramenta vocas signa visibilia?* R. 1. Ut ea distinguam à verbo, tanquam sigilla verbo addita. 2. Internæ & invisibilis gratiæ signum convenit esse externum & visibile. *Si*, quod B. Calvinus annotat ex Chrysost. *incorporei essemus nuda & incorporea nobis hæc ipsa daret. Nunc quia corporibus insertas habemus animas, sub visibilibus spiritualia tradit, &c.* Quapropter pro sacramentis habenda non sunt, in quibus elementa corporea & visibilia nulla comparent: cujusmodi sunt pœnitentia, matrimonium, &c. apud Papistas.

Cur dicantur signa sacra.

Cur visibilia.

Sacramentorum Author Deus.

VI. Q. *Cùm Sacramenta signa sint, uti constat, non naturalia, sed arbitraria, quemnam habent authorem?* R. Solum Deum, 1. Quia præter Deum nemo jus habet instituendi ritus sacros, & omnibus fidelibus communiter servandos, qui gratiam significent: quemadmodum nemo præter Deum gratiam significatam largiri atque conferre potest, *Esa.* 43: 12. *Rom.* 6: 23. 2. Solius summi Imperantis est in Rep. constituere sigilla publica: item fœdera pangere & sigillis appensis rata facere, &c. 3. Omnia sacramenta sub promissione & posteà sub œconomia Vet. Test. instituti fuere divini. Idem ergò cur negaretur de Sacramentis Ecclesiæ Novi Testamenti? *Sacramentalia* igitur, quæ Pontificii ab Ecclesia institui & sacrari posse autumant, veluti sunt, *aqua & grana benedicta, agnus Dei, &c.* meræ sunt umbræ ad vacuas mentes pascendas, & puerili superstitione implendas, aptæ.

Elementum fieri Sacramentum accedente verbo.

VII. Q. *Unde verò Elementum fit Sacramentum?* R. Ad id quidem necesse est Elemento analogiam aliquam intercedere cum re cœlesti, ut eam figurare possit. Unde August. *Si Sacramenta* inquit, *similitudinem quandam earum rerum non haberent, quarum sacramenta sunt, omnino sacramenta non essent, Epist.* 23. *ad Bonif.* Neque tamen id sufficit; quia elementum ex analogia sua, tanquam significandi aptitudine naturali, id solùm habet, ut sacramentum fieri possit. Opus igitur est accedat verbum. *Detrahe verbum, & quid est aqua, nisi aqua? accedit verbum ad elementum, & fit Sacramentum etiam ipsum tanquam visibile verbum, &c. Aug. Tract.* 80. *in Joh.*

Verbum illud quodnam sit, & quas habeat partes, docetur.

VIII. Q. *Quodnam est illud verbum, quò accedente Elementum fit Sacramentum?* R. Verbum institutionis, quo Author fœderis gratiæ locò rei spiritualis, cœlestis & visibilis, substituit rem terrenam, corpoream, visibilem, eamque pro signo & sigillo fœderis tradit, dignéque, h. e. in fide, & bona conscientia, recipi jubet. Q. *Verbum istud quot partes habet?* R. Duas: mandatum officii, & promissionem beneficii. Illud est de legitima sacramenti administratione & perceptione: Hæc de Sacramenti fructu. Exempli causâ, in

S. Cœnæ

S. Cœnæ institutione *mandatum* officii, *hoc facite ad mei recordationem*, q. d. facite tùm quod ego nunc feci administrando, tùm quod vos ipsi modò feciſtis percipiendo: quapropter & in posterum cœnam celebrandam mandavit. Cùm autem Christus cœnam celebrârit, priusquàm nobis eam instituerit, Cœnæ nostræ celebratio in accurata Cœnæ Christi imitatione juxta mandatum ejus consistit. *Promissio* beneficii est in verbis, *hoc est corpus meum*, &c. q. d. quem usum atque fructum affert panis fractus & assumptus alendæ vitæ animali, eundem haud minùs certò fructum affert corpus meum crucifixum in vera fide perceptum ad vitam spiritualem & æternam. Q. *Ut fiat Sacramentum, necesse ne est utrumque verbum concurrere?* R. Imò: Verbum enim mandati suppeditat materiam sacramento: verbum promissionis ei quasi formam inducit; faciens, ut elementum habeat usum sacri signi & sigilli, quem usum ante promissionem non habuit.

Sacramenti consecratio.

IX. Q. *Quomodo igitur fit Sacramenti consecratio?* R. Quando Minister legitimè vocatus per omnia faciens, quod Christus facere jussit, verba promissionis clarè & distinctè ad cœtum fidelium recitat, velut in baptismo; *Baptizo te in nomine Patris, Filii & Spiritûs S. . . . . in remissionem peccatorum*, &c. In S. Cœna; *Hoc est corpus meum*, &c. *hoc poculum est sanguis meus*, &c.

Consecrationis effectus.

X. Q. *Illius consecrationis quis est effectus?* R. Certè quidem mutatio aliqua fit, quando accedente verbo elementum fit sacramentum: sed I. Non *in substantia* neque enim res terrena desinit esse hoc, quod est, secùs periret analogia, & sacramentum sive sacrum signum ampliùs non esset. II. Non mutantur elementa *secundùm qualitatem*. Jam quidem ab usque seculo X. is error invaluerat in Ecclesia maximè Latina. Elementis, facta consecratione, inseri qualitatem aliquam spiritualem, quâ gratiam operentur in communicantibus. Sic Pontificii existimant in Baptismo Spiritum S. ante omnia agere in aquam, qualitate supernaturali eam imbuendo, posteà per aquam velut gratiæ justificantis vehiculum vel organum effecti-

vum operari in baptizandum. Unde decantatum *opus operatum*, de quo Concil. Trid. *Si quis dixerit per ipsa novæ Legis Sacramenta ex opere operato non conferri gratiam, Anathema sit. Sess.* VII. *Can.* 8. Verùm hæc doctrina facili negotio refellitur. 1. Sacramenta sunt signa & sigilla, ergò in fide usurpata non aliter operantur, quàm ut signa &c. 2. Gratiam justificationis & regenerationis non operantur, sed supponunt, cùm non sint sacramenta nisi credentibus, qui jamjam gratiæ per fidem participes facti. 3. Gratiam sacramentis non esse alligatam docent exempla latronis sine baptismo servati, & Simonis Magi, nullo fructu salutari aquâ tincti, *Act.* 8: 13, 20. Q. *Quomodò igitur tandem Elementa mutari dices?* R. Quantum ad usum, quem separata ab usu communi, nunc sacrum habent, facta quippe signa τῦ πνεύματος δηλητήρια τι Spiritûs aliquid significantis, *Heb.* 9: 8. ut cum lapis authoritate Magistratus fit limes.

De necessitate intentionis in ministro quid tenendum.

XI. Q. *An ad eam rem necessaria est intentio ministri?* R. Ut in nomine Domini & in fide Sacramenta celebrentur, haud dubiè necesse est, ut minister & communicantes sibi proponant facere, non quod facit Ecclesia (quasi illius summa sit Authoritas) sed quod Dominus facere jussit. Neque tamen ii sumus, qui sacramenti efficaciam atque fructum omnem ab intentione ministri suspendamus. Etsi enim minister debita intentione carens, oscitanter & alienata mente in re tam sancta versaretur, nihilominùs sacramenti fructû non fraudarentur fideles, cùm ipsa Ecclesia, juxta institutum Christi hîc & nunc ad celebrandum Sacramentum collecta, defectum intentionis in ministro supplere possit: quod vel inde certò constat, quia defectum ipsius ministri supplere potest. Ea porrò intentione Ecclesiam hîc & nunc collectam esse, ut Christi mandatum exequatur, minister in publico profiteri debet, ut quæ universorum est intentio, etiam in singulis excitetur & foveatur.

Res Sacramentis significata.

XII. Q. *Dixisti de elementis externis sive signis, quænam est res significata?* R. Christus cum omnibus meritis ac beneficiis suis, speciatim autem cum passione &

ne & morte sua, ut in promissione Evangelica offertur credentibus. *Poculum benedictionis cui benedicimus nonne communio sanguinis Christi est? Panis quem frangimus, nonne communio corporis Christi est?* 1 *Cor.* 10: 16. Eadem porrò res omnibus fœderis gratiæ sacramentis, quanquàm pro diversa signorum ratione, diversô modô, significatur. *Omnes eandem escam spiritualem ediſſe; & omnes eundem potum spiritualem bibiſſe*, &c. 1 *Cor.* 10: 3, 4.

XIII. Q. *Qua in re igitur consistit vis & intima natura sacramentorum?* R. In relatione & unione signi & rei signatæ, quæ in legitimo usu sacramenti occurrit. Q. *Unio illa qualis est?* R. Non physica & localis, sed I. *Symbolica*, qualis est, quando res menti repræsentatur symbolô vel signô; velut ubi regis imago est, ibi rex præsens est, non quidem imagini in tabula pictæ, sed menti hominis imaginem intuentis. Sic corpus Christi præsens est in S. Cœna, sed credenti. Q. *Hocce modô nonne etiam præsens est sine fide communicanti?* R. Quia etiam hæc præsentia ab iisdem verbis institutionis pendet, à quibus pendet usus obsignandi, certè cui sacramenta non obsignant eidem nec declarant & repræsentant rem cœlestem. Panis igitur in S Cœna non credenti nihil nisi panis est, adeò ut ne quidem signum sive imago corporis Christi sit. Quapropter fidei exploratio mandatur communicare volenti, *Act.* 8: 36, 37. 1 *Cor.* 11: 28, 29. Neque tamen non indignè edunt, qui sine fide accedunt, ut communem tractantes panem, quem ut sacrum tractare videri volunt. II. *Spiritualis*, non eo sensu, quasi vis regenerandi inhæreat signis, sed quatenus in legitimo usu, qui non est sine fide, exhibitio & perceptio signorum & rerum ita conjungitur, ut ministro præbente signum, Christus cum fructibus mortis suæ credenti exhibeat seipsum.

Sacramenti forma in unione signi & rei signatæ, non physica & localis, sed symbolica & spiritualis.

XIV. Q. *Quem in finem sacramenta divinitùs sunt instituta?* R. Primarius finis est, de quo Catech. declaratio promissionis gratiæ & ejusdem obsignatio. Declarant promissionem, quatenùs sunt signa & illustres quædam imagines sacrificium Christi ejusque fructum

Sacramentorum finis.

ctum repræsentantes, & similitudine sua credentibus quasi ob oculos depingentes, *Gal.* 3: 1. Obsignant quoquè eandem, quatenus sigilla sunt, certam fidem facientia, *quòd scil. non universis tantùm, sed etiam singulis credentibus* &c. vide Catech. Q. *Unde verò probas, ea mente instituta esse sacramenta, ut fidelium quisque beneficium mortis Christi æque certò suum facere & statuere ausit, quàm certò signa externa percipit?* R. Id probant quæ suprà de signorum sacramentalium natura nobis dicta. Circumcisio *signum* dicitur *fœderis*, *Gen.* 17: 11. & cùm fœderum non alia signa esse soleant, quàm quæ sint sigilla, ideò & *sigillum justitiæ* vocatur *Rom.* 4: 11. Talis erat circumcisio Abrahamo, & posterorum fidelium cuique: unde Jonathan 1 *Sam.* 14: 7. David 1 *Sam.* 17: 26. in hostem ituri, circumcisionis sacramentò se solabantur in adversis. Quid aliud sibi vult, quòd baptismus Petro dicitur *conscientiæ bonæ ἐπερώτημα εἰς Θεὸν*, 1 *Pet.* 3: 21. h. e. firmamentum animi, de fide, amore & timore Dei sibi benè conscii, ad fiduciam interrogandi & conveniendi Deum tanquam Deum suum de bonis fœdere promissis. Sicut fimbriæ contactus fidei quoddam fulcrum erat mulieri sanitatem à Christo exspectanti: ita sacramentum fidei nostræ sæpè titubanti & languenti fulcrum est, quô nixi Deum Patrem in Christo adimus, & in sacramenti communione velut ad manum tangendam & osculandam invitati, paterno ejus amore gloriamur. Obj. *Atqui cùm sacramenta fidem supponant, ut suprà dictum, utique ante sacramenti usum quemque persuasum oportet de promissione gratiæ etiam sibi speciatim facta?* R. Quemadmodum vestium usus est in calefaciendo & fovendo corpore, tametsi eum usum præstare non valeant, nisi jam antè calor insit corpori: & conspicilla visum supponunt, sed heberem acuunt. Ita Sacramenta fidem requirunt, & juxtim fovent, adaugent, confirmant.

Quæst.

Quæstio LXVII.

Num utraque igitur, & Verbum & Sacramenta eò spectant, ut fidem nostram ad sacrificium Christi in cruce peractum, tanquam ad unicum nostræ salutis fundamentum deducant.

Ita est: Nam Spiritus Sanctus docet in Evangelio, & confirmat Sacramentis, omnem nostram salutem positam esse in unico sacrificio Christi, pro nobis in cruce oblati.

ANALYSIS.

Ex præced. Quæstione deducitur porisma; Cùm sacramenta eò sint instituta, ut nobis declarent & obsignent promissionem &c. consequens est; Verbi & Sacramentorum eundem esse finem; nimirum, *ut fidem nostram ad sacrificium Christi* &c.

Quærenti ergò, nùm is communis utrorumque finis sit? Respondet Catech. I. Affirmando, *Ita est*. II. Confirmando ratione deducta ab operatione Efficientis principalis, scil. Spiritûs S. idem objectum proponentis in verbo & sacramentis, modô licèt diversô; *Nam Spiritus S. docet* &c.

EXEGESIS.

QUa de re est *Quæstio & Resp. præsens?* R. De convenientia & differentia verbi & sacramentorum. Q. *Qua in re conveniunt?* R. Communi *Quæst. & Resp. argumentum.*

Verbi & sacrament. convenientia.

muni fine. Utraque enim eò tendunt, ut fidem noſtram ad ſacrificium Chriſti in cruce peractum ------ deducant. In eo ſummoperè laudanda Dei bonitas, quòd non auditu ſolùm, ſed etiam viſu ſalutis myſteria nos edocere voluerit, ſic infirmitati noſtræ pluribus ſenſibus percepta altiùs in animum admittenti conſulens, & ſurditatem atque cæcitatem noſtram ſpiritualem ſanans: cæci enim, qui oculos in auribus habere dicuntur, auditu; ſurdi, qui aures in oculis habent, viſu doceri ſolent. Q. *Idem & verbò & ſacramentis doceri, quomodo oſtendis?* R. Verbò nos doceri, Chriſtum cum ſuo ſacrificio unicum eſſe ſalutis noſtræ fundamentum, dubiò caret. Vide 1 *Cor.* 3: 11. *Heb.* 5: 9. Idem ſacramentis confirmari teſtantur loca Scripturæ, *Rom.* 4: 11. 1 *Cor.* 5: 7. *Rom.* 6: 3. *Matth.* 26: 28.

Eorundem differentia.

II. Q. *Verbum & ſacramenta quomodo rurſus differunt?* R. I. Verbi prædicatione & auditu fides implantatur, *Rom.* 10: 17. Sacramentorum uſu fides confirmatur, *Rom.* 4: 11. 2. Verbum fœderale prædicatione Evangelii forma ſimplicis & generalis promiſſionis proponitur, nemine nominato, cui applicetur in particulari: Sacramentis verò promiſſio credentium cuique, tibi, mihi applicatur & obſignatur, inde adeò verbum etiam infidelibus annuntiatur, ſacramenta non niſi fidem profitentibus adminiſtrantur.

Quæſtio LXVIII.

Quot Sacramenta inſtituit Chriſtus in novo fœdere?

DUo: *Baptiſmum, & ſacram Cœnam.*

ANALYSIS.

Hactenus de natura ſcopo & uſu, dicendus reſtat numerus Sacramentorum.

I. In

I. In Quæstione 1. supponitur, alia fuisse Sacramenta Veteris Test. alia esse Novi. 2. In Novo Test. non alia esse agnoscenda, quàm quæ Christum authorem habeant. 3. Quot igitur Sacramenta instituerit Christus, quæritur.

II. In Resp. 1. Numerus exprimitur; *duo*, quæ 2. Suis nominibus recensentur: *Baptismus & S. Cœna.*

EXEGESIS.

Sacramenta pro ratione œconomiæ temporum varia.

Q. *Uotuplicia sunt sacramenta ratione œconomiæ temporum?* R. Fœderis quidem gratiæ sacramenta alia fuere sub promissione & Lege, cùm extraordinaria, velut *aqua diluvii*, 1 *Pet.* 3: 20, 21. *Transitus per mare rubrum* &c. vide 1 *Cor.* 10: 1, 2, 3. Tùm ordinaria, *Circumcisio* & *Pascha*, *Gen.* 17. *Exod.* 12. Alia nunc sunt sub œconomia Novi Test. de quibus solis quæstio est Catechetæ.

Sacramenta N. T. duo solùm esse probatur.

II. Q. *Quot sunt Sacramenta N. T.?* R. Duo &c. Q. *Potesne hanc binarii assertionem ex Scriptura S. defendere?* R. Numerus quidem numerans non occurrit, Scriptura nusquam Sacramentorum N. T. numerum definiente: Habet tamen illa numerum numeratum, h. e. duo tantùm, non plura, sacramenta tradit. Q. *Id verò quomodo ostendis?* R. 1. Christus hæc duo solùm, Baptismum & S. Cœnam instituisse legitur. 2. Duo tantùm sacramenta fuisse Corinthiis docet argumentatio Apostoli 1 *Cor.* 10: 1, 2, 3, 4. adde 1 *Cor.* 12: 13. Obj. *Duorum quidem illorum fit mentio in locis allegatis, inde tamen nequicquam concludas, non esse plura?* R. Si duobus plura essent, haud dubiè Scriptura non hæc duo solùm conjungeret, de pluribus, quàm uno, loqui volens, sed vel Baptismum vel S. Cœnam cum alio aliquo sacramento combinaret. Atqui hoc nusquam fit. 3. Duobus ordinariis Sacramentis V. T. respondent totidem N. T. Baptismus, sacramentum initiationis, circumcisioni: & S. Cœna, sacram. spiritualis nutritionis, Paschati respondens.

III. Q.

Rejiciuntur 5. supernumeraria Papist. Sacramenta.

III. Q. *Quid igitur judicas de 5. illis Sacramentis, quæ Pontificii duobus hisce adjiciunt, nempe de confirmatione, pœnitentia, matrimonio, ordine & extrema unctione?* R. Esse supposititia. Quemadmodum Christus de Baptismo Johannis *Matth.* 21: 25. sic nos de supernumeratiis illis suô modô quærere possumus. Unde sunt? Ex hominibus? Ergò nulla sunt. Ex Cœlo? Probetur Scripturæ documentis. Ut verbô dicam, ubi nec mandatum nec promissio invenitur, quid aliud possumus, quàm reclamare.

DE BAPTISMO.

Quæstio LXIX.

Qua ratione in Baptismo admoneris & confirmaris, te unici illius sacrificii Christi participem esse?

QUòd Christus externum aquæ lavacrum mandavit, additâ hac promissione, me non minùs certò ipsius sanguine & Spiritu à sordibus animæ, hoc est, ab omnibus meis peccatis lavari, quàm aquâ extrinsecùs ablutus sum, quâ sordes corporis expiari solent.

ANALYSIS.

Hucusque de Sacramentis N. T. in genere; de Baptismo, priore N. T. Sacramento, sequentia docet Catechesis

1. Bap-

1. Baptismô obsignari credentibus communionem sacrificii Christi. Quæstionibus 69. 70. 71.
2. Baptismum non esse ipsam peccatorum ablutionem, nihilominùs sic rectè appellari. Quæst. 72. 73.
3. Baptismum etiam ad infantes fidelium pertinère. Quæst. 74.

I. In Quæstione 1. ponitur, quod Sacramentis commune & proprium est, nempe *Baptismô* tanquam signô *nos admoneri*; & tanquam sigillô *confirmari*, *nos unici illius sacrificii Christi participes esse.*

2. Quæritur *qua ratione* id fiat.

II. Responsio quod in Quæstione est & fieri probat, & qua ratione fiat, docet, ex mandatô Christi & addita promissione, sic concludens; Qui jubentur baptizari addita promissione *se non minus certò ipsius sanguine* &c. illi baptismô confirmantur, *se unici illius sacrificii Christi participes esse.* Atqui credentes jubentur baptizari &c. Cæterùm in textu Catech. occurrunt. 1. Baptismi Author. 2. Elementum sive signum. 3. Res signata. 4. Finis atque usus.

EXEGESIS.

Verbum βαπτίζειν quid significet.

Βαπτίζειν, unde Baptismus dictus, propriè quidem *immergere*, *lavacro tingere & abluere*, per metonymiam verò finis etiam *lavare*, significat, *Marc.* 7: 3. coll. cum *Luc.* 11: 38. Cùm autem lotio non solùm immersione, sed etiam aquæ affusione & aspersione fieri soleat, hactenus certè in Baptis-

mi sacramento improbari non debet aspersio, præsertim cùm eadem in Sacris Leviticis præcepta idem cum Baptismo mysterium, puta, sanguinis Christi applicationem, significaverit, 1 *Pet.* 1: 2. conf. *Psal.* 51: 9.

Quid tenendum de distinctione baptismi fluminis, luminis, &c.

II. Q. Distinctio Baptismi *fluminis*, *luminis*, *flaminis & sanguinis*, est distinctio vocis ex significatu proprio & metaphorico. Ille quidem unus tantùm est, quò nim. *baptismum fluminis* sive aquæ denotat. Baptismum *luminis*, qui idem sit quod Doctrina, Scripturæ ignotum haud temerè dixero: ut nequicquam Sociniani hujus significatûs obtentu loca Scripturæ, Baptismi aquæ necessitatem inculcantia, eludere conentur. Obj. *Matth.* 21: 25. *Baptisma Johannis unde erat, &c.* adde *Act.* 18: 25. R. Ibi *Baptismus fluminis* Synechdochicè ponitur pro ministerio Johannis, quod erat baptizare & baptismi mysterium explicare. In hisce duobus quia totum ejus ministerium versabatur, adeò ut *baptismus pœnitentiæ* materia concionum ejus fuerit, teste *Luc. c.* 3: 3. non est cur appellatio illa mira videatur. Metaphora deinde est, quando *baptismus* denotat effusionem Spiritûs S. *Act.* 1: 5. quæ *baptismus flaminis*, & Martyrium, *Matth.* 20: 22. quod *baptismus sanguinis*, dici solet; ratione non obscura, ex analogia, quæ istis rebus cum baptismo aquæ intercedit, repetenda.

Baptismi Author Christus.

III. Q. *Author Baptismi quis est?* R. Juxta Catech. est Christus, qui eundem jam antè à Deo ĩnstitutum, *Joh* 1: 33. *Luc.* 3: 2, 3. *Matth.* 21: 25, 27. & à Johanne administratum, *Matth.* 3: 6, 13, &c. repetivit & nova sanctione confirmavit, *Matth.* 28: 19, 20. *Marc.* 16: 15, 16. ut deinceps totius Ecclesiæ Catholicæ ex Judæis & Gentibus coadunandæ sacramentum esset initiatorium. Obj. *Si baptismus ille divini fuit instituti, quâ de causa Johannes eum vocat suum? Matth.* 3: 7. R. *Suum* dixit, non quòd ejus author haberi vellet, sed quia ipse solus fuerat missus ad baptizandum in Messiam *venientem*, sicut Apostoli in Messiam *exhibitum:* quò solò Apostolorum baptismus ab illo Johannis differt: authore & substantiâ utrobique iisdem. *Suum* proinde dixit baptismum propter singulare & pro-

proprium ministerium, in quo non erat habiturus successores ullos, quanquam habere potuerit adjutores discipulos suos, quoad ipse viveret: adeò ut ministerium Joh. cum ipso nasci & mori, eoque exspirante Christi ministerio locum fieri oportuerit.

Ex Baptismo proselytorum, an aliunde nata occasio baptismo, in usum Ecclesiæ N. T. introducendo.

IV. Q. Quærentibus unde, vel quâ occasione Baptismus natus & in usum Ecclesiæ N. T. divino mandatu introductus sit, plerique respondent, huic instituto occasionem dedisse *Baptismum proselytorum*, qui à multis jam antè seculis & notus & usu receptus fuerat apud Judæos: eôque Johannem indicare voluisse, Judæos, quantumvis Dei veteres fœderatos, in tantum jam à vera pietate desciviſse, ut fœdifragi & Gentilibus idolorum cultoribus similes facti, tanquam alienigenæ, si salvi esse vellent, in fœderis societatem recipi opus haberent. Id equidem fateor, Johannem, acceptô baptizandi mandatô, non novum introduxisse ritum, alioqui non tanto cum applausu admittendum, *Matth.* 3: 5, 6. quemadmodum nec doctrinam ejus, si inaudita fuisset Ecclesiæ Judaicæ, quisquam recepturus erat, nulla nisi Mosis authoritate in hoc rerum genere agnita. Verisimile tamen non fit, Johannem videri voluisse uti baptismô proselytorum. Cùm enim Judæi pro alienigenis & fœderis divini exsortibus haberi se haud dubiè ægrè tulissent, non adeò facilè tantâque frequentiâ promiscua plebs undiquaque nedum Pharisæi, & sibi & aliis plebe sanctiores visi, ad baptismum ejus concurrissent, *Matth.* 3: 7. Malumus ergò occasionem illam arcessere ex baptismo Veterum, quô se lustrare & sanctificare solebant, quoties Deo visum singulari ratione populo apparere & innotescere: quô casu populo in occursum Dei præparando indicta lotio vestium & corporis, *Gen.* 35: 2. *Exod.* 19: 10. Sic Johannes eô unô argumentô usus est apud Judæos, ut baptizari vellent, quia appropinquâsset regnum cœlorum: cui quâ par erat ratione excipiendo præparari debebant præconiô & baptismate Johannis.

Signum in baptismo.

V Q. *Elementum, sive signum in Baptismo quodnameſt?* R. Aqua pura, & ritus mersationis vel aspersio-

persionis. Q. *Quare* aquam, *non alios liquores in eam rem adhiberi voluit Deus?* R. 1. Quia facilis & ubique parabilis est ejus usus. 2. Analogiam habet evidentissimam cum re baptismo significata, quæ est regeneratio, vis renovans, fœcundans, abluens, mundans, in Spiritu & sanguine Christi. Q. *Quare puram & simplicem?* R. Tùm quia Scriptura non nisi aquæ mentionem facit, *Matth.* 3: 6. *Act.* 8: 38. *Eph.* 5: 26. *Heb.* 10: 22. tùm ut elemento sua constet analogia cum re significanda. Ut malè Pontificii adjiciant oleum, sal, salivam, &c. quibus inquinamentis cum baptismi nomine & usu malè convenit, oleo, sale, sputo, nec immersioni, nec ablutioni servientibus. Bellarminus Calvino petenti, *cur sputô tangant nares & aures Catechumenis*, respondet, vicissim *nobis dicat* Calv. *cur Dominus sputô tetigerit linguam & aures muti & surdi, Marc.* 7. *& oculos cæci nati, Joh.* 9. Tom. III. *de Sacram. Bapt.* lib. I. c. 25. Nos, si verum sibi dici velit Bellarm. respondebimus; Christus sputô usus est, non alia de causa, quàm quia ita placuerat: Siccine Pontificiis licet Baptismo adjicere sputum, &c. quia ita placet? Ergò additamenta ista non sunt instituti divini.

Ritus immersionis vel aspersionis.

VI. Q. *Ad materiam Baptismi externam sive signum, nihilne amplius pertinet quàm aqua?* R. Usum significandi & obsignandi etiam habet ritus immersionis vel aspersionis. Immersione usos fuisse Joh. B. & Apostolos, certum est. Eò variæ spectant allusiones, quæ ad aspersionis ritum commodè referri nequeunt, veluti *Rom.* 6: 3, 4. *Col.* 2: 12. Ubi sepulturæ in immersione; & resurrectionis in emersione evidens imago est. Sic *Gal.* 3: 27. allusio ad vestes, quas baptizandi exuere, & baptizati induere solebant. Neque tamen hæc eò dicta volumus, quasi immersionis ritum denuò in usum Ecclesiæ revocatum velimus. 1. Quia haud dubiè plurimi parentes ea novitate offenderentur, & scrupulosiores quidam eò adducerentur, ut ipsi recténe an secùs baptizati essent dubitarent. 2. Inde discordiæ semina, quæ cumprimis cavenda fuere Reformatoribus, ne operi Reformationis impedimentum afferret non necessaria ritûs recepti innovatio.

Retineri

Retineri ergò debet & optima ratione defendi potest aspersionis ritus, tùm quia mysterium baptismò significatum etiam nomine aspersionis indigitatur in Scriptura, *Psal.* 51: 9. 1 *Pet.* 1: 2. *Heb.* 12: 24. conf. 9: 13, 14. Tùm quia olim Clinici, Christo nomen dare volentes, non aliter quàm aspersione baptizabantur. Unde non desunt, qui eâ occasione ritum aspersionis aliquantò seriùs invaluisse, existiment.

Una, an trina aspersione utendum baptizantibus.

VII. Q. *Unâne an trinâ aspersione peragi debet baptizandi ritus?* Respondeo in genere quidem, nihil referre, utra adhibeatur, modò absit superstitio, qua contendas pro alterutrius indispensabili necessitate, cum contrarii ritûs condemnatione, cùm ea res nullò præceptò definita sit. Convenientior tamen videtur una aspersio, quia in locum immersionis substituta, imago est sepulturæ & resurrectionis, *Rom.* 6: 3, 4. atqui immersio haud dubiè non nisi semel facta, sicut sepultura & resurrectio Christi, cujus communionem Baptismus obsignat, una solùm fuit. Neque trinæ aspersionis ritu opus est significandæ SS. Trinitati, tribus personis divinis in formula Baptismi disertè nominatis.

Res significata.

VIII. Q. *Res baptismò significata quænam est?* R. Interna ablutio à peccatis per sanguinem & Spiritum Christi: de qua Quæst. LXX. &c.

Finis baptismi.

IX. Q. *Finis Baptismi quis?* R. Duplex distingui potest; nempe finis ὦ *cui*, & finis ὃ *cujus gratia*, institutus est. *Ille* dicitur aliàs *subjectum recipiens*, cui baptisma administratur: idque sunt omnes fœderati, sine sexûs, conditionis & gentis discrimine. 1. Adulti, qui fidem in Christum profitentur. 2. Infantes fidelium, vel ex altero saltem parente fideli prognati: quo de infrà Quæst. LXXIV. *Hic* vero, scil. finis ὃ, est *declarare* & *obsignare* promissionem gratiæ de communione sacrificii Christi, per internam nostri ablutionem à peccatis, sanguine & Spiritu Christi faciendam. Baptismus *declarat* promissionem gratiæ analogiâ illâ, quâ *aqua* sanguinem & Spiritum Christi; *aquæ aspersio*, Sanguinis Christi applicationem & Spiritûs Sanctificantis donationem, atque inde internam nostri à peccatis ablutionem, adumbrat *Act.* 22: 16. *Rom.* 6: 3,

4, 5. Eandem promissionem Baptismus *obsignat* cuique fidelium speciatim adhibitus. Hâc enim ceremoniâ divinitùs illi testatum fit, ipsum non minùs certò ab omnibus suis peccatis lavari sanguine & Spiritu Christi, quàm aquâ foris aspersa ablutus est, &c. *Act.* 2: 38, 39. Istum porrò usum declarandi & obsignandi non præstat Baptismus nisi solis credentibus, *Marc.* 16: 16. *Act.* 8: 36, 37. Et licèt semel tantùm conferatur Baptismus, tanquam Regenerationis symbolum, tamen ad tempus susceptionis nequaquam est contrahendus, sed ad totam vitam extendendus, quippe ἀγαθῆς συνειδήσεως ἐπερώτημα εἰς Θεὸν, quoties fideli memoria recolitur 1 *Pet.* 3: 21.

Quæstio LXX.

Quid est sanguine & Spiritu Christi ablui?

Est accipere à Deo remissionem peccatorum gratis propter sanguinem Christi, quem is pro nobis in suo sacrificio in cruce profudit: Deinde etiam per Spiritum S. renovari, & ipso sanctificante membrum Christi fieri, quò magis ac magis peccatis moriamur, & sanctè inculpatèque vivamus.

ANALYSIS.

Occasione præcedentis Resp. quæritur hîc de sensu phraseologiæ, qua dicimur sanguine & Spiritu Christi ablui.

Responsio explicat

I. Quid sit, *sanguine Christi ablui*: nimirum, *acci-*

accipere à Deo remissionem peccatorum &c. Ubi beneficium, quod est communio remissionis pecatorum, à causis efficientibus, principali & impulsiva cùm interna tùm externa, declaratur.

II. Quid sit, *Spiritu Christi ablui:* videl. *per Spiritum S. renovari* &c. Ubi beneficium renovationis similiter à causa efficiente, effectu primo & proximo, ac duplici fine, declaratur.

EXEGESIS.

Summa præsentis Resp.

SUmma Responsionis huc redit; *Ablutione per sanguinem Christi* beneficium justificationis, sive remissionis peccatorum; *ablutione per Spiritum Christi* beneficium renovationis & sanctificationis denotari, Apostolo interprete, 1 *Cor.* 6: 11. Ubi quod generatim dixit, facta ad baptismum allusione, *abluti estis*, mox explicat, *sanctificati*, *justificati estis.* conf. *Ezech.* 36: 25, 26, 27. *Joh.* 3: 5. ubi etiam aqua & Spiritus distinguuntur.

Sanguine Christi ablui esse remissionem peccatorum consequi probatur.

II. Q. *Sanguine Christi ablui esse remissionem peccatorum accipere, unde probas?* R. Id docet inter alia typi collatio cum antitypo. Quid enim purificatio legalis, quæ non solùm per aquam, sed & sanguinem fiebat, aliud quàm reatûs ablationem significabat, *Heb.* 9: 22. Sanguis enim, qui aspersus corpora polluit, aliter mundare nequit. Unde David typô ad veritatem reductô, *Expiabis me*, inquit, *hyssopô, & præ nive albescam*, *Psal.* 51: 9. Et sanguis Agni vim habet *dealbandi*, *Apoc.* 7: 14. *purificandi*, 1 *Joh.* 1: 7. Quas verò hujus beneficii, remissionis, puta, peccatorum, causas & circumstantias memorat Catech. alibi vidimus.

III. Q. *Spiritu S. ablui idem esse ac renovari, regenerari, sanctificari, unde confirmas?* R. Id docent testimonia superiùs citata, & aqua baptismi, virtutis illius manifestam habens analogiam. Spiritui autem reno-

vanti duo tribuit, quæ peccatorum ablutionem spectant. I. Facere, ut simus membra Christi: *etenim in uno Spiritu nos omnes in unum corpus baptizati sumus, &c.* 1 *Cor.* 12: 13. Primum Spiritûs renovantis & sanctificantis opus est fides, per quam inserimur Christo: unde in ipso existentes, & unum cum ipso facti corpus, remissionem habemus peccatorum, quam certè extra Christum consequi non possumus, licèt ea nobis parata sit adhuc à vita Dei & Christi abalienatis, *Col.* 1: 21, 22. Hæc autem unio & communio per baptismum non nunc demùm efficitur, sed facta obsignatur, quod vel inde liquet, quia Apostolus locô mox citatô ad S. Cœnam alludens addit; *& omnes in unum Spiritum potati sumus.* II. Spiritui S. tribuit sanctificationem nostrî quotidianis actibus proficientem, *quò magis ac magis peccatis moriamur, &c. Rom.* 6: 1, 2. *&c.* Quod gratiæ beneficium baptismô nobis obsignari docent loca, *Rom.* 6: 4. *Tit.* 3: 5.

Quæstio LXXI.

Ubi promisit Christus, se nos tàm certò sanguine & Spiritu suo abluturum, quàm aquâ Baptismi abluti sumus?

IN institutione Baptismi, cujus hæc sunt verba: Ite & docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris & Filii & Spiritus Sancti: Qui crediderit & baptizatus fuerit servabitur: qui non crediderit condemnabitur: *Hæc promissio repetitur, cùm Scriptura Baptismum nominat lavacrum regenerationis, & ablutionem peccatorum.*

ANA-

ANALYSIS.

Quæstioni occasio nata ex Resp. ad Quæst. LXIX. Ubi inter alia dictum, *Christus externum aquæ lavacrum mandavit, addita hac promissione, me* &c. Nunc quærenti, *ubi promisit Christus* &c. Respondet, promissionem illam exhibendo

I. In institutione baptismi citata ex *Matth.* 28:19. & *Marc.* 16:16. & duabus partibus comprehensa. 1. Mandato docendi & baptizandi. 2. Promissione &c.

II. Duobus aliis Scripturæ testimoniis; *Hæc promissio repetitur* &c.

EXEGESIS.

Doctrina de Baptismo confirmatur.

DOctrinam de Baptismo hactenus expositam confirmat Catech. partim verbô institutionis, partim testimoniô Apostoli, ut constet, Christum mandato baptizandi addidisse promissionem ablutionis à peccatis nostris, eoque voluisse Baptismum esse sigillum justitiæ fidei. Verbum institutionis cùm duas habeat partes, *mandatum & promissionem*, utraque seorsim nobis expendenda venit.

I. Mandato de administratione Baptismi, Apostolis dato.

II. Q. *Mandatum de administratione baptismi ad quos pertinet?* R. Ad Apostolos eorumque successores, omnes Evangelii præcones ritè vocatos, servato tamen discrimine ministrorum *Extraordin.* quales erant Apostoli, & *Ordinariorum*, quales sunt illorum successores. Hinc illi, quippe Doctores universales constituti, ministeriô nulli loco terrarum alligatô, jubentur 1. *Ire*, ut docendi & baptizandi occasiones captent, quaquaversus Spiritu S. Canonem sive cursûs lineam definiente. 2. Docere, μαθητεύειν, discipulos facere, omnes gentes. 3. Baptizare discipulos jam factos in testimonium & confirmationem fidei. Apostolos porrò haud secùs, ac fuerant jussi, fecisse, ipsorum

rum testantur Acta, *Capite* 2: 41. & 8: 12, 36, 37. & alibi.

Eô mandatô etiam Apostolorum successores teneri, probatur.

III. Q. *Eôdem mandatô etiam Apostolorum teneri successores, adeóque Baptismum perpetui esse usus in Ecclesia unde probas?* R. I. Quia Christus Apostolis, docendi & baptizandi mandatô instructis, promisit, *se adfore omnibus diebus usque ad consummationem seculi*, *Matth.* 28: 20. Atqui, cùm Apostoli eò usque non essent provicturi, munus obirent extraordinarium cum ipsis exspiraturum, Christus iis aliter non adest, quàm benedictione *doctrinæ*, quam viva voce traditam etiam scriptis mandârunt, & *ministerii ordinarii*, quod jussi quoque instituerunt. Unde consequitur, nos etiamnum fidem habere Apostolicam, & ministerium ab Apostolis constitutum, virtute promissionis quondam illis factæ, cujus effectus nulla fraude Satanæ penitùs interverti potuit. Adde ibid. Apostolis dictum; *Docentes eos servare, quæcunque præcepi vobis:* inter quæ etiam est Baptismus. II. Apostoli Baptismum administrârunt tanquam *lavacrum regenerationis & ablutionem peccatorum*, *Tit.* 3: 5. *Act.* 22: 16. h. e. tanquam Divinum testimonium & sigillum regenerationis atque remissionis peccatorum, haud dubiè id non ausuri, nisi ea de re disertum accepissent mandatum à Christo, *Rom.* 15: 18. Adde, ritum, qui usum habeat testimonii divini & sigilli gratiæ omnium fidelium N. T. communis, nunc temporis non minùs ac olim necessarium esse.

Refelluntur qui Baptismi aquæ necessitatem elevant.

IV. Q. Malè igitur nonnulli Baptismi aquæ necessitatem elevant, quasi qui sine authoritate & præcepto Christi liberè ab Apostolis assumptus, & circa initia Ecclesiæ tanquam tessera & professionis nota tantisper usurpatus fuerit. Baptismô in Scriptura S. aliquando doctrinam significari nullô argumentô constat, uti supra nobis observatum. *Matth.* 28: 19. non intelligi *doctrinam*, sive *baptismum luminis*, patet, quia diversa sunt mandata docendi & baptizandi. Illud Apostoli; *Non enim misit me Christus baptizare, sed evangelizare*, 1 *Cor.* 1: 17. comparatè dictum, ut multa. Quid, quòd prudentiæ Apostolicæ fuit in Ecclesia Corinthia-

rinthiaca à baptizando abstinere, αὐλεργίᾳ Evangelistis vel Diaconis demandatâ: uti liquet ex v. 12, 13. Objicientibus, *Apostolos in nomine solius Christi baptizasse, Act.* 2: 38. & 10: 48 & 19: 5. *Christum verò jussisse baptizari in nomine Patris, Filii & Spiritûs S.* Resp. Ex illa diversitate apparente præpropera est conclusio, *Matth.* 28. intelligendum esse baptismum luminis. Cautè distinguenda sunt verba Historici rem gestam narrantis, à verbis Apostoli baptizantis. Loca citata non habent verba Apostolorum baptizantium, qualia forent, si Scriptor Actorum Apostolicorum diceret, verbi gratiâ, *tunc Petrus baptizavit eos, dicens, baptizo te in nomine Jesu.* Sed verba illis locis extantia sunt verba Scriptoris, qui compendioso sermone refert, hos, illos, baptizatos esse in nomine Jesu: atqui in nomen Jesu baptizari non poterat adultus, nisi qui fidem profiteretur in Jesum à Patre missum, & Spiritûs S. datorem. Quô observatô, qui dicit Apostolos baptizâsse in nomine Jesu, non videbitur negâsse, Apostolos inter baptizandum usos formulâ Matth. 28. præscriptâ.

Baptismi minister idem est, qui verbi.

V. Q. Cùm Christus hæc duo conjunxerit, *docete omnes Gentes, baptizantes*, &c. *Matth.* 28: 19. baptizare non licet, nisi quibus docendi munus est demandatum. Exc. *Id verum de ministro baptismi ordinario: alia est ratio ministri extraordinarii, quem casus necessitatis postulat, ubi ministri ordinarii non est copia.* Resp. Christus non alium instituit baptismum præter eum, quem cum verbi ministerio conjunxit. 2. Probari non potest, baptismum à die Pentecostes necessarium esse cœpisse, non tantùm necessitate *præcepti*, sed etiam *medii.* 3. Casus necessitatis fingitur, non datur. 4. Neque hîc juvat quosdam distinctio necessitatis medii ordinarii, & extraordinarii: cùm Sacramenti non privatio, sed contemptus damnet. Objicienti, *atqui Laicus in casu necessitatis potest docere, ergò & baptizare.* Resp. Casus necessitatis *Laicum* constituit doctorem; velut in persecutione ministrorum, ubi tamen fideles doceri, consolatione erigi, &c. ad præcavendum apostasiæ periculum summoperè necessarium est. Hoc adeò

adeò casum necessitatis dari nulli negamus, quô laicus doctor constitutus extraordinariè, pòst etiam baptizare potest: verùm non constituitur minister baptismi, nisi priùs constitutus fuerit minister verbi, quæ duo Christi mandatu, uti diximus, conjuncta oportet.

II. Promissione. VI. Q. *Hactenus de mandato: alterum, quod verbô institutionis baptismi continetur, quodnam est?* R. *Promissio*, quæ partim implicita verbis formulæ, *baptizantes eos in nomine Patris, Filii, & Spiritûs S.* partim diserta occurrit apud Marcum, *cap.* 16: 16. Ut autem constet, in formula baptismo adhibenda inesse vim promissionis, tenendum est, *baptizari in nomine Patris & Filii & Spiritûs S.* esse, suscepto baptismi ritu palàm profiteri, se fiduciam suam omnem de justitia & salute repositam habere in Deo Patre, Filio & Spiritu S. ut authore & fundamento salutis unico: eique adeò uni ad cultum & obsequium religiosum sese consecrare. Illud præterea non indiligenter notandum, formulæ istius verba intelligi posse: I. Ut *verba mandati*, quibus Servator mandat Apostolis quidem, ut baptizent; Credentibus verò, ut baptizari velint. Quo sensu baptizati profitentur, se Deo Patre, Filio & Spiritu S. tanquam unico teste & authore salutis suæ gloriari, neque aliud nomen hominibus datum ad salutem agnoscere & appellare. II. Ut *verba promissionis*, eo sensu, quòd Deus Pater, ut mittens Filium; Filius, ut missus Redemptor, & Spiritus S. ut Sanctificator & Consolator, sic declarante & obsignante baptismo, infallibilis testis & sponsor salutis fiat, nosque credentes filiorum & filiarum locô in familia sua habere velit. Obj. *Sic quidem promissio, quæ nulla apparet in verbo institutionis baptismi, pro arbitrio tuo fingitur.* R. I. Necesse non erat, disertam extare promissionem in verbo institutionis, cùm ex doctrina & usu baptismi vulgò satis constaret, illum tanquam sacramentum eo datum, ut gratiæ promissionem credentibus obsignaret: neque nunc demùm à Christo institutum, sed jam antè à Johanne B. ceu symbolum atque pignus remissionis peccatorum fuisse admi-

administratum, *Marc.* 1: 4. conf. *Act.* 2: 38. II. Diserta promissio extat apud Marcum; *Qui crediderit & baptizatus fuerit, servabitur, Marc.* 16: 16. Et quid aliud Apostolus quàm verbum institutionis baptismi interpretatur, quando baptismum dicit *lavacrum regenerationis, Tit.* 3: 5. & *ablutionem peccatorum, Act.* 22: 16. de quo Quæst. seq.

Quæstio LXXII.

Estne ergo externus baptismus aquæ ipsa peccatorum ablutio?

Non est: Nam solus sanguis Jesu Christi purgat nos ab omni peccato.

ANALYSIS.

Quæstio habet prolepsin; *Apostolus baptismum vocat ablutionem peccatorum*, &c. *Ergò externus aquæ baptismus est ipsa peccatorum ablutio.*

Respondetur per negationem consequentiæ, ratione negationis petita.

1. A vera eaque solitaria causa justitiæ & purgationis nostræ à peccatis, quæ est *sanguis J. Christi.*
2. A causa efficiente solitaria communionis nostræ cum causa justitiæ, quæ est *Spiritus Sanctus.*

EXEGESIS.

Summa hujus & sequentis Quæstionis.

Secundum, quod juxta Catech. de baptismo tractandum proposuimus, hac & seq. Quæstione expeditur; Videl. *Baptismum non esse ipsam ablutionem peccatorum, nihilo tamen minùs sic rectè appellari.*

lari. Ad hujus membri tractationem Catech. accedit per prolepsin, natam occasione testimonii Paulini, *Act.* 22: 16. & *Tit.* 3: 5. quô allegatô promissionem, baptismi mandato annexam, declarare & probare voluit. Qui existimant, Baptismum conferre gratiam ex *opere*, quod vocant, *operato*, vel esse vehiculum sive instrumentum operandæ gratiæ, objiciunt quod diximus in analysi.

Resp. ad objectionem quam præsens habet Quæstio.

II. Q. *Tu igitur quid respondes objicienti &c.* R. Vera & solitaria causa justitiæ & purgationis ab omni peccato est sanguis Christi ex obedientia fusus, 1 *Joh.* 1: 7. unde sequitur, aquam baptismi pro causa ablutionis peccatorum habendam non esse, cùm quod uni disparatorum tribuitur alteri necessariò adimatur. *Servat nos baptismus, non ut est sordium corporis depositio, sed conscientiæ bonæ stipulatio in Deum*, 1 *Pet.* 3: 21. Efficiens porrò communionis nostræ cum causa justitiæ, quæ Christus est cum sanguine suo, alia non est nisi Spiritus S. regenerans nos ad fidem, & per fidem nos inserens Christo, ut in ejus communione habeamus justitiam & ablutionem peccatorum. Unde rursus consequitur, aquam baptismi non esse causam istius communionis, neque aliô modô justitiam recipi quàm fide.

Quæstio LXXIII.

Cur ergo Spiritus Sanctus Baptismum appellat lavacrum regenerationis & ablutionem peccatorum?

DEus non sine gravi causa sic loquitur: videlicet non solùm, ut nos doceat, quemadmodum sordes corporis aquâ purgantur, sic peccata nostra Sanguine & Spiritu Christi expiari: verùm multò

multò magis, ut nobis hoc divino symbolo & pignore certum faciat, nos non minùs vere à peccatis nostris internâ totione ablui, quàm externâ & visibili aquâ abluti sumus.

ANALYSIS.

Occasione negatæ consequentiæ ad objectionem præced. quærit de ratione phrasium Apostolicarum, quibus Baptismus appellatur *lavacrum regenerationis & ablutio peccatorum.*

In Resp. I. Indicatò generatim causæ momentò, ostenditur, phrases istas non esse proprias sed metonymicas, permutatis inter se rerum signatarum & signorum nominibus. II. Illius permutationis ratio redditur duplex. 1. Petita ab analogia signi & signati; *Ut nos doceat, quemadmodum sordes corporis aquâ purgantur, sic* &c. 2. Petita ab usu obsignandi, quem præbet aqua baptismi, ut sacramentum. *Ut nobis hoc divino symbolo ac pignore certum faciat* &c. Utramque rationem amplificat Catech. collatione majoris, cujus notæ, *non solùm, verùm multò magis* &c.

EXEGESIS.

Quo sensu Baptismus dicatur lavacrum regenerationis &c.

QUando *Baptismus dicitur lavacrum regenerationis & ablutio peccatorum, qualis est locutio?* R. Impropria, metonymia nim. sacramentalis, quam vocant, quia quod proprium est rerum signatarum, sanguinis, & Spiritûs Christi, signo, videlicet aquæ baptismi; tribuitur. Ratio locutionis duplex, cùm analo-

analogia signo cum re signata intercedens; tùm usus obsignandi, quem habet ex divino instituto; de quibus plura dici necesse non est.

II. Q. *Allata phrasium istarum explicatio quibus argumentis confirmatur?* R. I. Pari ratione omnium sacramentorum. Circumcisio dicitur *fœdus*, *Gen.* 17: 10. quia *signum* est *fœderis*, ibid. v. 11. Agnus vocatur *pascha*, *Exod.* 12: 11. *Petra erat Christus*, 1 *Cor.* 10:4. Imò ista loquendi ratio usque adeo Scripturæ usitata est, ut quanquam impropria sit, cùm disparata de se affirmativè prædicari nequeant, tamen tropus esse tantùm non desierit, saltem ampliùs attendi non soleat. Exempli gratiâ; *Septem vaccæ*, *septem anni*, &c. *Gen.* 41: 26. Ubi verisimile non est, Scripturam affectâsse tropum, & non potiùs ex usu locutam, qui usus adeò frequens erat, ut nequidem ulla opus haberet explicatione. Esto igitur tropus, si phrasim consideres grammaticè, verbô *est* positô pro *significat*: tropum tamen non attendit usus Hebraicè &c. loquentium. II. Rei ipsius naturâ: *servat Baptismus* atque adeò est lavacrum regenerationis &c. non ut est *depositio sordium corporis*, sed ut est ἀντίτυπον *symbolum* salutis in conformitate alterius symboli significans, & ἐπερώτημα sigillum à Deo traditum, fiduciam faciens Deum conveniendi & interrogandi, idque propter valorem resurrectionis Christi, scil. annon Deus credere nos jusserit, Christum *resuscitatum esse ad justificationem nostri?* Servat baptismus, quatenus imago & symbolum est nostræ communionis cum Christo mortuo, sepulto & resuscitato, *Rom.* 6: 3, 4, 5. quô nobis baptizatis & credentibus certum fit, Christô mortuô, & resuscitatô nos censeri mortuos & resuscitatos, atquè adeò à reatu absolutos: cujus communionis deinde effectus est etiam resuscitatio nostri à morte peccati ad vitam justitiæ, quæ resuscitatio à Spiritu Christi perficitur, & in baptismo credentibus obsignatur. Adde III. baptizari non infidelem, sed fidelem, *Marc.* 16: 16. *Act.* 8: 36, 37. At fidelis jam habet remissionem peccatorum & Spiritum regenerationis, *Act.* 26: 18. *Gal.* 3: 13, 14. Baptizatur ergò in remissionem pecca-

peccatorum, *Act.* 2: 38. non nunc demum accipiendam, sed obsignandam.

Quæstio LXXIV.

Suntne etiam infantes baptizandi?

OMninò: Nam cùm æquè ac adulti ad fœdus & Ecclesiam Dei pertineant, cumque iis per sanguinem Christi remissio peccatorum, & Spiritus Sanctus fidei effector, non minùs quàm adultis promittatur; per baptismum Ecclesiæ Dei inserendi sunt, & ab infidelium liberis discernendi: itidem ut in veteri fœdere per circumcisionem fiebat, cui in novo fœdere substitutus est baptismus.

ANALYSIS.

Pœdobaptismum Christianum, super quo quæritur, Catech. probat tribus argumentis, quorum

1. Primum petitum est à communione fœderis, &c.
2. Secundum à promissione gratiæ infantibus facta, &c.
3. Tertium à convenientia baptismi cum circumcisione, illiusque in locum hujus successione.

EXEGESIS.

PRiusquàm Pœdobaptismum argumentis confirmatum Omnium-eas, illud ex te audire cupiam, omniumne pro-n promiscuè parentum liberos infantes aptizandos esse scuè parenputes

tum liberi infantes sint baptizandi?

putes? R. Non omnium, sed fidelium & fœderatorum. Quæ enim parentum, eadem & liberorum, qui parentum pars censentur, ratio est, quippe quibus non aliæ, quàm parentibus, factæ sunt promissiones. Atqui certè non ξένοι τῶν διαθηκῶν τῆς ἐπαγγελίας, *Eph.* 2: 12. sed fœderati sunt baptizandi, cum baptismus sit fœderis signum, utique non fallax & inane, quale foret, si ejus usus ad fœderis exsortes porrigeretur. Q. *De infantibus altero tantùm parente fideli natis quid censes?* R. Nihilominùs baptizandos esse credo, argumentô loci 1 *Cor.* 7: 14. ubi *sanctificatus* dicitur *maritus infidelis in uxore*, eò quòd uxor fidelis tanti fiat apud Deum, ut mariti infidelitatem liberis è matre fideli natis ulla ratione fraudi esse nolit, hac in parte nobiscum agens juxta ἐπιείκειαν illam, quæ odia restringere & favores ampliare docet. Quapropter etiam infantes utroque parente infideli natos, sed à fidelibus adoptatos ad baptismum admittendos existimo, adoptione etiam hîc naturam imitante. Sic infans expositus, ut incertum sit, quo parente sit editus, fideli an infideli (id quod in urbibus populosis facilè usuvenit, Christianis, Turcis, Judæis, &c. cohabitantibus,) in hac causa favorabili præsumi debet stirpis esse Christianæ, eoque Ecclesiæ erit vicem supplere parentis, qui non esse fingitur, quando ignoratur, & expositum adoptare atque baptizare. Q. *Quid de infantibus ex illegitimo concubitu natis, spuriis? &c.* R. A baptismo arcendos esse nego, adductus exemplô Perez & Sarach ex incestu progenitorum in domo Judæ, *Gen.* 38: 29, 30. Obj. *Atqui circumcisos non legimus.* R. 1. Nomina illis fuere imposita, quod in circumcisione fieri consueverat. 2. Annumerantur isti filii in Genealogia Christi inter patres, &c. Nemo autem dixerit, Christum ex incircumcisis natum, postquam de circumcisione præceperat Deus. Ex *Deut.* 23: 2. non conficitur, spurios à circumcisionis sacramento fuisse exclusos, quia *venire in cœtum* significat honores sive munera publica, qualia fuere sacerdotum & judicum, gerere. Quemadmodum igitur *exsecti virilitate* v. 1. quippe ignavi & fracti animo; sic spurii, quippe infames

fames & ad contemptum patentes, à munerum publ. administratione arcebantur.

II. Q. *Quibus tandem argumentis infantes ostendis esse baptizandos?* R. Tria affert Catech. Primum à communione fœderis petitum. Fœdus gratiæ non minus semen Abrahæ, atque ipsum, neque minùs Christianos eorumque posteros, quàm populum Israëliticum complectitur, promissione ut Abrahæ tanquam credentium patri, sic omnibus credentibus tanquam Abrahæ filiis facta, *Gen.* 17: 7. *Act.* 2: 38, 39. Neque enim Christus gratiam olim parenti & toti semini addictam suo adventu contraxit; neque Christianorum liberi minùs, quàm Israëlitarum, semen sanctum dicuntur, 1 *Cor.* 7: 14. Quemadmodum igitur Deus in V. T. parentes hujusce fœderis sigillum accipere voluit in corpore liberorum suorum, quô testarentur, se promissioni fidem habere, & de parvulorum salute non dubitare, ut adeò circumcisionis neglectus pro fœderis abnegatione fuerit imputatus: sic etiamnum parentes fœderis divini sigillum accipiunt in liberis suis per baptismum; cur enim promissionem de infantum salute sub N. T. œconomia minùs testatam factam diceremus? *I. Argumentum pro pædobaptismo.*

Obj. *Qui ergò factum, ut infantum nunc unus quidem baptizatus legatur in historia sacra?* R. Satis est, integras familias, ad quas pertinent infantes, baptizatas memorari, *Act.* 16: 14, 15, 33. 1 *Cor.* 1: 16. Infantes enim, nisi simul baptizati fuissent, pro more Scripturæ usitato nominatim fuissent excluſi, vide *Matth.* 14: 21. & 15: 38. Adde, mulieres seculô Apostolorum ad S. Cœnam fuisse admissas, nusquam legi, inde verò easdem à communione S. arcendas quis dixerit? *Objectio Anabaptist. Resp.*

III. Q. *Secundum pro infantum Baptismo argumentum quodnam adfers?* R. Baptizandi sunt & ab infidelium liberis discernendi infantes fœderatorum, quia ad ipsos pertinet res baptismô significata, nempe *promissa remissio peccatorum & Spiritus S. fidei effector.* *II. Argumentum pro pædobaptismo.*

Obj. *Credenti remittuntur peccata: & baptismus est sacramentum fidei confirmandæ datum. Atqui infantes per ætatem fidei sunt incapaces.* R. Missis quæ benè multa di- *Obj. Anabapt. Resp.*

ta diversarum partium Theologis super *fide habituali*, *actuali*, *semine*, & *motibus fidei analogis* &c. disputantur, parvulos, licet fidei, quam objectio Anabapt. requirit, incapaces, baptizandos esse contendimus idque non citra respectum ad fidem, puta, parentum: quod non ita intelligendum, quasi parentum fides liberis imputetur, aut dispositio quædam sit ad sacramentum, eò quòd fide parentum parvuli ad baptismum adducantur, uti Bellarm. tradit *lib. I. de Sacr. Bapt. cap.* 11. *Justus enim sua fide vivet*, *Hab.* 2: 4. Neque fides ut disponens, sed ut confirmanda in baptismi ritu spectatur: sed quòd eam parentum fidem confirmet, quâ sibi & liberis suis factam credunt promissionem de communione fœderis, remissione peccatorum & regeneratione per sanguinem & Spiritum Christi, quæ piis parentibus materia solaminis uberrima est. Q. *Nullane ergò sua utilitate baptizantur parvuli?* R. Imò verò: 1. Quòd in corpus Ecclesiæ insiti aliis membris sunt aliquantò commendatiores. 2. Ubi adoleverint, Baptismô olim acceptô fidem præsentem confirmant & ad serium Deum colendi studium non mediocriter stimulantur, à quô in filios solenni adoptionis symbolo accepti fuere, priusquam per ætatem eum agnoscere Patrem possent. Quemadmodum regni hæres coronari potest in cunis: quæ coronatio, rege etiamnum infante, prodest imperii Ordinibus, quorum interest caveri turbas, quas dubia regni successio dare posset, olim etiam ipsi regi, quum adoleverit, profutura. Obj. *Baptismum dixisti regenerationis esse sacramentum: at quomodo regenerantur infantes, nec boni, nec mali cognitione præditi?* R. 1. Opus Dei, etiamsi captui nostro non subjaceat, non tamen est nullum. 2. Deinde infantes qui servandi sint (aliquos enim ex ea ætate servari quis neget?) haud dubiè regenerantur, secùs ob ingenitam sibi corruptionem in regnum Dei non admittendi, *Joh.* 3: 3. *Apoc.* 21: 27. 3. Quid? quòd Deus documentum præbuit in Johanne Baptista, quem in matris utero sanctificavit, quid in reliquis posset, *Luc.* 1: 15. Obj. *Scriptura nullam nisi ex incorruptibili semine, Dei verbo, regenerationem agnoscit,*

Obj.
Resp.

Obj. Anabapt.
Resp.

Obj.

1 *Pet.*

1 *Pet.* 1: 23. *Atqui infantes verbi audiendi incapaces sunt.* R. Petrus adultos Evangelii prædicatione vel edoctos vel edocendos alloquitur: talibus fateor verbum Domini regenerationis esse semen. Inde verò temerè colligas, non posse Dei virtute regenerari infantes, quæ illi tàm facilis & prompta est, quàm nobis incomprehensa & admiranda. Obj. R. Neque tamen quotquot baptizantur infantes etiam eôpte tempore regenerantur. Illos probabile est regenitos esse in infantia, qui ex vita decedunt infantes, quos Deus infantes sanctificat, quia infantes mori vult; unde piis solatia super præmaturo liberorum obitu. *Resp.*

IV. *Tertium pro pædobaptismo argumentum quodnam est?* R. Quæ ratio circumcisionis erat in V. T. eadem est baptismi in N. T. cùm hic illi sit substitutus, uti liquet ex *Col.* 2: 11, 12. Quæ enim alioqui foret causa, cur Apostolo docente circumcisio ἀχειροποίητος nobis per baptismum obsignaretur? Idem innuit Christus, quando jussit sic gentes baptizari, ut gens Judaica circumcisa fuit, *Matth.* 28: 19. Et Apostoli testantur, se familias baptizâsse, eô utentes sermone, quô uterentur locuturi de circumcisione, infantibus non excipiendis. Sic Abrahamus fuit circumcisus cum tota sua familia. *III. Argumentum pro pædobaptismo.*

DE COENA DOMINI.

Quæstio LXXV.

Qua ratione in cœna Domini admoneris & confirmaris, te unici illius sacrificii Christi in cruce oblati atque omnium ejus bonorum participem esse?

QUòd Christus me atque omnes fideles de hoc fracto pane edere, & de poculo

culo distributo bibere jussit, in sui memoriam; additâ hac promissione: Primùm, corpus suum non minùs certò pro me in cruce oblatum & fractum, sanguinem suum pro me effusum esse, quàm oculis cerno, panem Domini mihi frangi, & poculum mihi communicari. Deinde, animam meam non minùs certò ipsius corpore, quod pro nobis crucifixum, & sanguine, qui pro nobis fusus est, ad vitam æternam ab ipso pasci quàm panem & vinum, symbola corporis & sanguinis Domini, è manu ministri accepta, ore corporis percipio.

ANALYSIS.

I. Titulus materiam tractationis exhibet, quam Catech. exsequitur sequentibus XI. Quæstionibus. Ubi
   1. Ostenditur, Cœnam esse sacramentum, sive sigillum communionis sacrificii Christi & omnium bonorum ejus. Q. 75. 76. 77.
   2. Refutatur error de conversione panis & vini. Q. 78. 79.
   3. Docetur discrimen inter Cœnam Dom. & Missam Papisticam. Q. 80.
   4. Agitur de subjecto recipiente S. C. Q. 81. &c.

II. Quæstione hac aggreditur explicationem primi membri. Pro ejus analysi notanda veniunt quæ suprà Quæst. LXIX.

III. Re-

III. Responsio eam declarationem & confirmationem, super qua quæritur, fieri probat mandatô Christi & addita promissione, sic concludens; *Qui jubentur ad S. Cœnam accedere, de fracto pane edere* &c. *addita promissione, corpus Christi non minùs certò pro ipsis in cruce oblatum*, &c. *illi in S. C. admonentur & confirmantur, se unici illius sacrificii Christi participes esse. Atqui credentes* &c. Assumptio est in toto textu Resp. Catech. Ubi occurrunt 1. Author S. Cœnæ, *Christus*. 2. Modus institutionis, in ritu & verbo bimembri consistens, de quibus distinctiùs infrà Quæst. 77. 3. Subjectum recipiens, quod sunt *universi & singuli fideles*. 4. Partes integrantes nempe. ℵ Signum, quod sunt cùm elementa duo, *panis & vinum*: tùm ritus, sive actiones administrantis & communicantis. *Illæ* sunt *panis fractio*, *vini effusio*, & *distributio* utriusque. *Hæc est utriusque perceptio.* ב Signatum, promissio scil. de communione corporis Christi pro nobis fracti &c. ס. Finis, qui est *admonere & confirmare*, vel declarare & obsignare promissionem gratiæ &c.

EXEGESIS.

Literum N. T. Sacramentum quodnam est? ℟. Cœna Domini: sic dicta Apostolo, 1 *Cor.* 11: 20. tùm quia pro more cœnæ vesperi, tùm quia Dominicô & exemplô dedicata, & præceptô Ecclesiæ commendata fuit. Omittimus alias hujus Sacramenti appellationes ex Scriptura S. & Patrum Scriptis repeti- *Cœnæ nomen.*

tas Theologis. Illud tantisper digredientibus notandum, esse inter Pontificios, qui negent Sacramentum Eucharistiæ usquam in Scriptura appellari *cœnam*, haud dubiè, quia cœnæ cum sacrificio, quale in missa peragi putant, minimè convenit. Maldonatus, Jesuita, Comment. *in Matth. cap. 26. v. 26.* post commata; quæ splendida bilis inepto homini suggesserat, *Cœnam Dominicam* dici vult Apostolo *non Eucharistiam, sed aut cœnam, aut fortasse prandium, quod aut ante, ut quidam putant, aut ut ipse arbitratur, post Eucharistiæ perceptionem divites Christiani imitatione Christi solebant pauperibus exhibere, qui antequam discipulis suis corpus & sanguinem suum daret, ultimam cum illis, ut solent amici cum amicis longè ab illis discessuri, cœnam egit, quâ singularem in illos charitatem demonstravit.* Similia habet Bellarm. *lib. II. de Missa cap.* 10. Esto sanè, Apostolum ibi agere de Agapis Cœnæ Dominicæ, vel ante, vel post ejus celebrationem, conjungi solitis, ut interpretibus communiter visum: ipsas illas Christianorum Agapas, ab Eucharistia diversas, vocari cœnam Dominicam, unde conficiet Jesuita? Quin imò verborum contextus ostendit, Apostolo quidem sermonem esse de uno epulo; id verò esse sacratissimam Domini cœnam, evidentissimè patet ex connexione versûs 23. cum 20, 21, 22. ubi Apost. non solùm κυριακὸν δεῖπνον vocat, sed etiam Corinthios ad institutionem illius Cœnæ revocat, in qua *Dominus Jesus ea nocte, qua proditus est, accepit panem, &c.* & repetitâ institutionis historiâ Corinthiis etiam de Cœna dignè percipienda præcipit. Si de solis Agapis reformandis ibi sermo esset Apostolo; cur totam institutionis Cœnæ Dom. historiam repeteret, & explicaret? Cur exemplum Christi memorâsse non contentus, mandatum ejusdem de frangendo pane, &c. in memoriam mortis ejus tam anxiè inculcaret? Unde salvô aliorum judiciô verisimile mihi fit, Apostolorum ævô ipsum Sacramentum Cœnæ Agapas dictum fuisse, & Ignatio Epist. ad Smyrnæos, ἀγάπην ποιεῖν esse Cœnam Domini celebrare. Obj. *Apostolum loqui de cœna, quâ aliqui inebriabantur, alii esuriebant. Quis autem credat, quemquam Sacra-*

Apostolo 1 Cor. 11: 20, &c. de Cœna Sacramentali sermonem esse.

S. Cœnam & Agapas unum fuisse ejusdem tempore Apostolorum verisimile est.

Sacramentorum perceptione inebriari solitum? R. Inde non consequitur, Apostolo non esse sermonem de Cœna Sacramentali, sed summam apud Corinthios invaluisse ἀταξίαν & S. Cœnæ profanationem, usque adeò, ut eam haud secùs ac commune aliquod symposium tractarent, idque cum pauperum contumelioso contemptu. Cæterùm, ut hoc obiter addam, Pontificiis Cœna Domini dicitur quinta feria ultimæ hebdomadæ quadragesimæ, sive Dominicæ in ramis palmarum. Unde etiam *Bulla in Cœna Domini*, appellata, quæ illo die legi consuevit, cujus contenta vide in Bullario Rom. tom. I. Item apud Aleidan. Comment. lib. 3, non procul à libri initio.

II. Q. *Sacram Cœnam quis instituit?* R. Christus, testantibus cùm Evangelistis, *Matth.* 26. *Marc.* 14. *Luc.* 22. tùm Paulô Apostolô, 1 *Cor.* 11. 23, 24. Q. *Quî verò Christum Cœnæ S. Authorem dicis?* R. I. Exemplô; priùs enim eam celebravit ipse, quàm mandatô sancivit, ut exemplum ejus esset imago, quam Apostoli, aliique ministri posthac futuri in ejus dispensatione imitarentur: ut hîc Christi actio debeat esse nostra institutio, secundùm illud, *Joh.* 13: 15. II. Verbô & mandatô, dum ait, *hoc facite*, *Luc.* 22: 19. scil. quod me videtis facientem, &c. Christus Cœnam suam administrans discipulos suos compellat, ut convivas, jubens accipere, edere, &c. Cœnam mandato sanciens, discipulos ejusdem constituit ministros, jubens eos facere, quod ipse fecit panem benedicendo, frangendo, &c. Ut ferenda non sit 1. Illorum ἀταξία, qui in S. Cœna præter mortis ac martyrii Christi memoriam nullum agnoscentes mysterium, eam etiam à privatis administrari permittunt. 2. Opinio Papistarum, quasi Christus Apostolos constituerit Sacerdotes, ad offerendum sacrificium incruentum corporis ipsius, de quo alibi.

Author S. C. Christus.

Elenchus quorundam Ἀτάκτων & Papistar.

III. Q. *Qua occasione & quò respiciens Cœnæ sacramentum instituit Christus?* R. Collatis locis *Matth.* 26: 26. *Marc.* 14: 22. cum *Luc.* 22: 20. 1 *Cor.* 11: 25. statuendum videtur, Christum Cœnam Sacramentalem instituisse Cœnâ paschali necdum omnibus suis partibus absolutâ, idque

Qua occasione & quo respectu Cœna instituta.

idque eò feciſſe conſiliò, ut veteris & novi ſacramenti ſignificaret & unitatem & diverſitatem. Unitatem ſcil. communionis in re ſignificata, quæ eſt *Chriſtus* cum ſuis beneficiis *heri & hodiè idem*. Diverſitatem in modo ſignificandi. Paſcha enim Chriſtum futurum adumbravit; cœna exhibitum annunciat. Q. *Cui uſui hoc annotâſſe?* R. Inde diſco 1. S. Cœnam Paſchati ſubſtitutam eſſe. 2. Chriſtum Cœnæ S. inſtituto ad epulum paſchale eique ſimilia convivia, quæ ex ſacrificiis Euchariſticis pro ipſis offerentibus inſtruebantur, reſpexiſſe: iſtorum enim ſacrorum pars Deo dicata adolebatur in altari, pars reſervabatur ſacerdoti, pars cedebat offerenti. Id confirmatur ex 1 *Cor.* 10: 16, 17. *poculum benedictionis* &c. *Omnes enim ex uno pane participamus*: q. d. quemadmodum de uno pane fracto, corporis Chriſti fracti ſymbolo, omnes participamus, ſic cuncti quoque participes reddimur corporis Chriſti, imò cum corpore ejus unum ſimus corpus, unione myſtica, unde conſequenter unum facti cum corpore Chriſti, etiam unum ſimus inter nos. His illicò ſubjicit Apoſtolus v. 18. *Videte Iſraëlem ſecundùm carnem, annon qui edunt victimas, conſortes ſunt*, vel, *in communionem veniant, altaris*, i. e. ſacrificii in ara oblati. *In communionem venire altaris* eſt tanquam unum reputari cum eo quod in altari offerebatur: q. d. Sicut qui olim edebant de ſacrificiò, cenſebantur unum facti cum ſacrificio, adeoque ſacrificiò oblatò & ipſi reputabantur oblati: ita in S. C. edentes corpus & ſang. Chriſti unum ſimus cum Chriſto, itaque Chriſto oblato & nos cenſemur oblati. Quid enim eſt edere panem fractum, niſi edere corpus fractum, quid corpus fractum, niſi victima? Id myſterium utcunque adumbratum fuit epulis Euchariſticorum, in quibus etiam offerentes Iſraëlitæ in communionem altaris veniebant: unde Euchariſtica, notante R. D. Kimhio in Mich. שלמים *pacifica* dicta, quia *in hiſce omnia inter ſe pacata, altare, Sacerdos & victimæ dominus*. Luculentiùs verò idem ſignificatum eò, quòd Sacerdotes etiam de victimis expiatoriis edere jubebantur, Lev. 6. 26, 29. idque facientes *ferre* dicebantur *peccata cœtus*, *Lev.* 10: 17. ipſo enim eſu unum quaſi facti cum victima, ferentes peccata

populi

Digreſſio, ubi de epulis ſacris in V. T.

Explicatur quid 1 *Cor.* 10: 18. *ſit* in communionem venire altaris.

Quare Sacerdotibus olim mandatum edere de victimis expiatoriis.

populi victima pro populo facti censebantur, cùm non nisi victima ferret peccata; qua in re Sacerdos typum gessit Christi, in quo Sacerdos & victima re non distinguuntur. Id interim mysteriô non caret, quòd nullum sacrificium potuerit esse piamentum & nutrimentum ejusdem: Sacerdoti enim fas non erat edere de victima piaculari pro se, vel toto cœtu, cujus ipse pars erat, oblata, *Lev.* 4: 21. Deo isthac re significante, eam esse sacrificiorum Levitic. infirmitatem, ut peccata reapse expiare non possent. Ne ergò Israëlitæ crederent, has veras esse victimas, cum quibus unum fieri deberent, noluit eas pro cibo servire offerentibus. Idem tenendum de severissimo sanguinis interdicto: cùm ex adverso in S. Cœna sanguinem Christi bibere jubeamur. Ex dictis liquet, in S. C. substitutis pane & vino pro corpore & sanguine Christi, intimam nobis significari & obsignari unionem & communionem cum Christo, ita quidem ut Christô oblatô, & nos oblati, illo mortuo & nos mortui censeamur, 2 *Cor.* 5: 15. Obj. *Ergone Christi caro ore manducanda est, quemadmodum Israëlitæ de victimali carne epulati sunt?* R. Nulla inde ad oralem manducationem est consequentia; cùm unio illa, quæ inter victimam erat & edentes, non nisi carnalis, sensibilis & porrò figurativa fuerit, quemadmodum & ipsæ victimæ: nostra verò cum Christo mutua unio spiritualis est, neque tamen eô minùs arcta, quàm fuerat illa Israëlitarum secundùm carnem: quapropter ad eam manducatione orali opus non est: quod ipsum non obscurè etiam eô significatum fuit, quia nemini edere fas erat de victima piaculari pro se oblata: & verò Christus pro corpore & sanguine suo, quippe quæ ore percipi non possunt, substituit panem & vinum. Sed de his plura ad Quæst. seq.

S. Cœnæ subjectum recipiens.

IV. Q. *Quibus, vel quorum bono atque solatio instituit Christus Cœnæ Sacramentum?* R. Id docet Catech. dicens, *me atque omnes fideles, de hoc fracto pane &c.* S. Cœna igitur Christi institutô apparatur Cœtui baptizatorum, adultorum, fidem & resipiscentiam ore & opere profitentium. Sic paucis complector, quæ de commu-

communicantibus tenenda. Q. *Cur cœtum requiris?* R. Exemplô cœnæ primæ, *Matth.* 26: 26. Itemque testimoniô & præceptô Apostoli, 1 *Cor.* 11: 17, 20, 33. unde Veteribus σύναξις & μυστηρίων κοινωνία dicta. Rejicienda igitur Missa privata, in qua solus Sacerdos communicat. Q. *Cur cœtum baptizatorum?* R. 1. Sicut ad Paschatis communionem non admissi nisi circumcisi, *Exod.* 12: 48. Ita ad S. C. non admittendi nisi baptizati. 2. S. C. confirmationis & nutritionis sacramentum est, eam igitur oportet præcessisse perceptionem sacramenti regenerationis. Q. *Cur cœtum adultorum?* R. Quia hi soli ad necessaria convivarum officia idonei, quæ sunt 1 se ipsos probare. 2. corpus Domini discernere. 3. mortem Domini annunciare. 1 *Cor.* 11: 26 29 Q. *Cur tandem cœtum fidem & resipiscentiam profitentium?* R. Rationem disces cùm ex usu & fine Sacramenti Cœnæ, de quo infrà: tùm ex dicendis ad Quæstionem LXXXI.

Symbola in S. C. quæ.

V. Q. *Cùm Sacramentum signum sit visibile invisibilis gratiæ, quodnam est signum in S. Cœna?* R. Signum sunt duo Elementa, panis & vinum, non nude spectata, sed ut juxta præceptum Christi tractata. Enimverò non panis solùm, sed & ejusdem fractio, distributio, perceptio, &c. significandi usum habent. Q. *Quare hîc duo elementa pro symbolis assumta?* R. 1. Quia S. Cœna sacramentum est spiritualis nutritionis: nutritioni porrò serviunt cibus & potus. 2. In S. C. corpus Christi tanquam pro nobis fractum, & sanguis tanquam fusus & à corpore separatus repræsentatur: ad quem usum solus panis non sufficiebat. Obj. *Cùm S. C. nobis adumbret & obsignet unionem cum Christo, ergóne obsignabitur nobis unio solùm cum Christo mortuo, non item redivivo & in cœlis glorioso?* R. Si symbola S. C. panis & vinum non jam seorsim, ut modò factum, sed conjunctim spectentur, unum quippe convivium sacramentale constituentia, utique significant, certamque nobis fidem faciunt, nos spirituali ratione non minùs unum esse corpus cum Christo, qui jam summâ potitur gloriâ in cœlo, ac panis & vinum in carnis nostræ substantiam conversa unum fiunt cum corpore nostro.

Quare gemina.

VI. Q.

VI. Q. *Quare panem adhibuit Christus?* R. 1. Quia symbolum nutritionis. 2. Facilis ejus est usus & obvius. Caro adhiberi non poterat sacramento N. T. quod Chirographi pecudum sanguine scripti abolitionem, Christi sacrificiô semel oblatô factam, commemorare debebat. Q. *Qualis panis adhibendus?* R. Verus, ordinarius & usualis: tum quia ubi Apostoli vel S. Cœnam celebrâsse, vel de eadem præcepisse leguntur, simplicis, adeoque ordinarii & cibarii panis mentionem faciunt, *Act.* 2: 42. & 20: 7. 1 *Cor.* 10: 16, 17. & 11: 20, &c. tùm quia panis cibarius & usualis mysterio spiritualis nutritionis significando aptior est. Christus quidem pane azymo usus est, quippe qui tunc ex lege totô festivitatis Paschalis septiduô usualis erat, neque tamen facti sui exemplum in legem abire voluit. Peccat igitur Ecclesia Romana super azymorum usu Græcis litem movens, & azymis utendi necessitatem cæteris Ecclesiis imponens. Errat etiam, quanquàm excusatiùs, Ecclesia Græca, prò fermentati panis usu contendens, eô, quòd Christus legitimum Paschatis tempus unô die anteverterit: Enimverò licet diem Paschatis comedendi juxta Canones Judæorum in aliam feriam translatum præverterit, de quo fortè intelligi potest *Joh.* 13: 1. & 18: 28. nulla tamen necessitas inde concludendi, Christum antevertisse diem Paschatis lege Dei definitum, atque ideò fermentato pane fuisse usum, quandoquidem constat, Christum venisse, ut omnem justitiam impleret. *Matth.* 3: 15.

Quare panem adhibuerit Christus & qualem.

Ad azymi panis usum nulla lege adstringi Ecclesiam.

VII. Obj. *Alterum in C. S. symbolum dixisti esse vinum; atqui Matth.* 26: 27. *Marc.* 14: 23. *Luc.* 22: 20. 1 *Cor.* 11: 25, 26, 27. Ποτήριον *poculi, non item liquoris mentio fit.* R. Poculum fuisse vini constat ex Matthæo & Luca, quibus *genimen vitis* dicitur, quod discipulis bibendum offerebatur: quanquam ubi vini penuria est, quod vini vicem præstat ejus loco licitè usurpari posse, forte simplex poculi mentio doceat.

Alterum in S. C. symbolum est vinum.

Q. *Quare vinum, non aquam adhibuit Christus?* R. 1. Non conveniebat, idem diversorum sacramentorum esse symbolum. 2. Aqua quàm vinum minus nutritiva,

Quare & quale Christus adhibuerit.

tiva, eòque etiam spirituali nutritioni significandæ minùs idonea est. Q. *Quale vinum, merum an aquâ dilutum?* R. Etsi Servatorem juxta convivii Paschalis ritum & regionis morem mixtô poculô usum, præfractè negare nolim, suô tamen exemplô nobis legem figere, vel mysterii quid adumbrare voluisse non apparet, imò contrarium verius concludi posse videtur inde, quòd Christus potum quô usus est *genimen vitis*, ergò non nisi vinum, appellat, aquæ, quippe non ex usu sacro, sed communi adhibitæ, nullam rationem habens. Pontificii quidem ea mistione populi cum Christo unionem significari existimant? atqui ad συσσωμάτωσιν illam adumbrandam necesse non est plebem esse in calice, sed bibere de calice, juxta 1 *Cor.* 10: 16, 17.

Communionem sub utraque specie necessariam esse.

VIII. Q. *Estne verò necessaria plebi communio sub utraque specie, quam vocant?* R. Omninò; idque multis probatum dari posset rationibus: Sufficiet eas solummodò audivisse, quas dissimulare non poterant qui temerariô decretô calicis usum plebi Christianæ eripuerunt. Concil. Constantiense Sess. XIII. inter alia sic sciscit; *Cùm in nonnullis mundi partibus quidam temerariè asserere præsumant, populum Christianum debere sacrum Eucharistiæ Sacramentum sub utraque panis & vini specie suscipere, &c. contra laudabilem Ecclesiæ consuetudinem rationabiliter approbatam, quam tanquam sacrilegam damnabiliter reprobare conantur: hinc est, quòd hoc præsens Concilium Sacrum, generale ---- declarat, decernit & definit, quòd licèt Christus suis discipulis administraverit sub utraque specie panis & vini hoc venerabile Sacramentum; & licèt in primitiva Ecclesia hujusmodi Sacramentum reciperetur à fidelibus sub utraque specie, &c. attamen diversa consuetudo*, quâ nimirum à conficientibus sub utraque, à laicis verò tantummodò sub specie panis recipiatur, posthac *habenda sit pro lege, quam non licet reprobare, aut sine Ecclesiæ authoritate pro libito mutare.* Unde concludimus inexcusabilis audaciæ esse calicis usum negare laicis, quia fatente Concilio I. Christus hoc venerabile Sacramentum sub utraque specie instituit & discipulis administravit. Imò

quasi

quasi adversus prævisam fraudem nos præmoniturus diserte dixit, *bibite ex eo omnes*, *Matth.* 26. *Luc.* 22. II. In primitiva Ecclesia hujusmodi Sacramentum recipiebatur à fidelibus sub utraque specie. Imò, annotante Cassandro, *Consultat. art.* 22. *satis compertum est, universalem Christi Ecclesiam, in hunc usque diem; occidentalem verò, seu Romanam, mille amplius à Christo annis, in solenni præsertim & ordinaria hujus Sacramenti dispensatione, utramque panis & vini speciem omnibus Ecclesiæ Christi membris exhibuisse; id quod ex innumeris Veterum Scriptorum, tàm Græcorum, quàm Latinorum testimoniis manifestum est.* Idem deinceps docet, quando, qua occasione & quibus gradibus communio sub utraque specie in desuetudinem abiverit. Q. *Quæ tandem rationes esse poterant contraria lege abrogandi, quod institutò Christi sancitum & diuturna Ecclesiæ praxi receptum fuerat.* R. Omitto frivolas illas & frigidas, quippe à gelationis periculo desumptas rationes; veriores, quas tamen patres illi Concilii Constant. proferre non audebant, fuere 1. Studium amplificandæ dignitatis & authoritatis sacerdotalis. 2. Metus ne permisso calicis usu promiscuo apud plebem transsubstantiationis dogma in suspicionem falsitatis adduceretur. Frustrà Concilii Patribus obtentui fuit illud; *Integrum Christi corpus & sang. tàm sub specie panis, quàm sub specie vini veraciter contineri.* Id enim si verum foret, Christus nullâ causâ corpus suum à sanguine & verbis & signis distinxisset, neque sacerdoti magis quàm laico calicis usus esset necessarius. Plura hujus argumenti videantur apud alios.

Qui factum ut communio sub utraque specie abrogaretur in Ecclesia Rom.

IX. Q. *Circa panem & vinum in S. C. quænam porrò spectanda?* R. Ritus sive actiones. Circa panem quidem 1. benedictio. 2. fractio. 3. traditio & 4. mandatum accipiendi & comedendi, *Matth.* 26: 26. *Marc.* 14: 22. *Luc.* 22: 19. Q. *Qualis fuit ista benedictio?* R. Haud dubiè Christus non vulgari & Judæis recepta, sed sua singulari & ad rem præsentem accommodata usus est, etsi formula ejus nobis sit ignota. Eâ autem benedictione elementa sanctificavit, & ab usu communi separata usui sacro dedicavit precibus & gra-

Ritus circa elementa.

Benedictio panis quid sit.

& gratiarum actione. Εὐλογία igitur illa non est talis consecratio, quâ quidem demurmuratis super pane verbis, *hoc enim est corpus meum*, panis reapse in corpus, & vinum in sanguinem Christi transmutetur: quia I. εὐλογεῖν & εὐχαριστεῖν Evangelistis & Apostolo ut synonyma sumuntur. conf. *Matth.* 26: 26. *Marc.* 14: 22. cum *Luc.* 22: 19. & 1 *Cor.* 11: 24. II. Christus panem benedixit atque fregit, antequam pronunciâsset verba, *hoc est corpus meum.*

Fractionem panis non esse ritum indifferentem, ostenditur.

X. Q. *Quid sibi voluit Christus panis fractione?* R. 1. Fregit panem, ut fractus distribui posset. 2. Ut corporis sui factam pro nobis fractionem significaret. Obj. *Atqui Scriptura negat, Christo os fuisse confractum.* R. Sic objiciunt, qui ritus fractionis nullam necessitatem & mysterium agnoscunt, panibus utentes minutis & orbicularibus. vide Brochm. de Cœna Dom. C. 8. §. 4. Verùm Christi corpus fractum fuit lateris, manuum, pedumque confossione, totius corporis vulneratione, nervorum distractione & capitis laceratione. Q. *Unde verò probas ritum non esse indifferentem, neque adeò omittendum?* R. I. Christus haud dubiè non frustrà, quid fractio panis sibi vellet, explicuit, 1 *Cor.* 11: 24. II. In Ecclesia Apost. ritus iste religiosè fuit observatus, 1 *Cor.* 10: 16. Unde ipsa S. C. *fractio panis* dicta, *Act.* 2: 42. III. Adde, fractionem panis servire mysterio unionis Christi & fidelium adumbrando, 1 *Cor.* 10: 17.

Traditio panis.

XI. Q. *Quid porrò de pane fracto?* R. Eum distribuit, & tradidit omnibus communicantibus, ut quilibet partem suam manibus prehensam ori admoveret & comederet, ea re per fidem certus futurus, corpus Christi pro se fractum esse, &c. Ut male Pontificii & alii perceptionem manu fieri oportere negent, placentulam ori communicantium ingerentes, quasi manus quàm os indignior esset ad res sacras tractandas. Christus verò ita Cœnam dispensavit, ut ipse prior de eâ gustârit, quod constat *Matth.* 26: 29. ut exemplum præberet discipulis & administraturis & communicaturis. Q. *Quomodo panem distribuit?* R. Cum mandato accipiendi & comedendi, *Matth.* 26: 26.

Mandatum accipiendi

Neque

Neque tamen ab omnibus promiscuè acceptio ista ad comedendum exigitur, veluti officium debitum, quo per se honoretur: etenim illi demùm accipere jubentur, quibus dicitur, *corpus meum* pro vobis datum est: atqui non nisi credentes hanc consolationem sibi vendicare possunt: unde & Apostolus non admittit, nisi qui se exploraverint. *& comedendi.*

XII. Q. *Quid de poculo?* R. Circa poculum iidem ferè ritus repetebantur. Etenim Christus 1. Accepit poculum. 2. gratias egit. 3. dedit discipulis, jussitque *ut omnes de eo biberent*, *Matth.* 26: 27. Et annotante Marco 14: 23. *Biberunt ex eo omnes.* Quæ ex dictis satis intelliguntur. Obj. *De effusione vini nihil apud Evangelistas.* R. Nihilominus tanquam ritus necessarius & fractioni panis respondens observari debet, quoniam Christus mysterium explicans ad eam manifestò alludit, *Matth.* 26: 28. Quapropter eam convenit intelligi effusionem, quâ vinum fusum excipitur poculô non ore communicantis: 1. Quia illa fractioni, hæc verò perceptioni panis respondet. 2. Illa demùm quibuslibet communiter, hæc soli percipienti conspicua & significativa est. 3. Idem etiam liquet ex ordine verborum, quibus Christus poculum ministrans usus est; *hic est sanguis meus*, &c. Quibus verbis, antequàm biberent discipuli, prolatis mysterium effusionis vini jam factæ explicuit. Infusio igitur vini in poculum Eucharisticum, quippe symbolica, palàm & in conspectu Ecclesiæ, facienda non minus devotionis requirit quàm panis fractio. *Ritus in poculi sacramentalis administratione servandi.* *Quænam vini effusio sacramentalis hic intelligenda?*

XIII. Q. *Atque hæc de signo: Res signata quænam est?* R. Participatio unici illius sacrificii Christi, omniumque ejus bonorum, verbô promissionis Evangelicæ contenta, cui confirmandæ & obsignandæ Sacramentum Cœnæ institutum est. Panis enim fractus & vinum effusum, duo Elementa, unum faciunt Sacramentum corporis Christi exanimis & exsanguis, ac verè in hostiam pro peccatis nostris oblati. Panis deinde fracti & vini effusi perceptio sacrificii Christi omniumque ejus fructuum communionem credentium cuique obsignat; quia Christus de pane, *hoc est*, *Res sacramentô Cœnæ significata quænam?*

inquit, *corpus meum*; de poculo, *hic est sanguis meus N. T. qui pro multis effunditur in remissionem peccatorum*, *Matth.* 26: 28. Et jam antequàm Cœnam instituisset, de re significata dixerat; *Ego sum panis vitæ. Caro mea verè est cibus*, *&c. Joh.* 6: 48, 55. Unde nata distinctio apud August. *in Joh. Tract.* 59. *Inter panem Domini*, & *panem Dominum*. Et Apostolus, *poculum*, inquit, *benedictionis nonne est communio sanguinis Christi? &c.* 1 *Cor.* 10: 16.

S. Cœnæ usus atque finis quis?

XIV. Q. *Cœnæ usus atque finis quis est?* R. Declarare & obsignare promissionem gratiæ de communione unici illius sacrificii, &c. Q. *Quomodo declarat?* R. Ut est signum analogiam habens cum re signata. Etenim 1. Quemadmodum panis & vinum, ordinaria vitæ animalis subsidia, corporis nostri vitam sustentant. Ita corpus Christi pro nobis traditum & fractum, & sanguis effusus vitam animæ conservant. 2. Quemadmodum panis & vinum ore percipiuntur; ita corporis & sanguinis Christi participes reddimur per operationem Spiritus S. 3. Sicut panis & vinum assumta nobis adunantur; ita cum Christo unum sumus corpus. Plures analogiæ minutias sectari minùs necessarium duxit Catech. tùm quia de S. C. simplicioribus Christianorum docendis intentus est; tùm ut expeditior sit mysterii meditatio S. mensam adeunti. Q. *Quomodo obsignat?* R. Quatenus panis ille fractus & poculum vini fusi, tibi, mihi & unicuique credenti porrecta & percepta, certam faciunt fidem de communione sacrificii Christi, &c. Hinc Catechumenus cujusque credentis personam gerens se quasi communicantem in re præsente sistit, eamque sacrificii Christi communionem sibi obsignari gloriatur, cum duplici consolationis fructu ex obsignatione ista proveniente. 1. *Corpus suum non minùs certò &c.* q. d. Inde adeò certus atque persuasus sum, me in morte Christi, quippe in locum meum substituti sponsoris, perfectam habere pro peccatis meis satisfactionem, &c. 2. *Animam meam non minùs certò &c.* q. d. In Christo crucifixo & mortuo solidum habeo fundamentum spei vitæ æternæ propter justitiam à Christo partam, & mihi credenti-

credenti donatam, eaque spe vivo, sustentor, magis magisque proficio in staturam ejus quod Christus impleri, *Eph.* 4: 13. Q. *Bene solo fine S. Cœnam institutam dicis, ut promissionem gratiæ nobis declaret & obsignet?* R. Addo & hunc finem; ut beneficiorum morte Christi partorum recordatione atque fide, quæ charitatis mater atque nutricula est, studium gratitudinis in Deum atque Servatorem nostrum, & mutuæ dilectionis erga fratres, accendatur & foveatur. Ut prior ille finis Christi erga nos *beneficium* commendat; sic posterior nostrum nobis *officium* inculcat.

Quæstio LXXVI.

Quid est crucifixum corpus Christi edere, & fusum ejus sanguinem bibere?

Est non tantùm totam passionem & mortem Christi certâ animi fiduciâ amplecti, ac per id remissionem peccatorum & vitam æternam adipisci, sed etiam per Spiritum Sanctum, qui simul in Christo & in nobis habitat, ita sacrosancto ejus corpori magis ac magis uniri, ut quamvis ipse in cœlo, nos verò in terra simus, nihilominus tamen caro simus de carne ejus, & os de ossibus ejus: utque omnia corporis membra ab una anima, sic nos uno eodemque spiritu vivificemur & gubernemur.

ANALYSIS.

I. In Quæstione obs. 1. Materiam quæstioni sub-

subjectam, quæ est phraseologia promissionis Evangelicæ per S. Cœnam declaratæ & obsignatæ: *crucifixum corpus Christi edere*, &c. 2. Quæri de sensu ejus, occasione præcedentis Resp. quâ inter alia *animam suam corpore & sanguine Christi ad vitam æternam pasci* affirmaverat. Phrasis autem, super qua quæritur, extat *Joh.* 6: 54, &c.

II. In Resp. manducatio corporis, & bibitio sanguinis Christi explicatur è modo, quô fit, duplici.

1. Prior modus est; Crucifixum Christi corpus edere &c. est *totam passionem & mortem Christi certâ animi fiduciâ amplecti, ac per id* &c. Ubi phrasi metaphoricâ ad propriam reductâ nobis exhibetur fidei justificantis exercitium & effectum.

2. Alter modus, vel, si malis, manducationis illius effectus, est; *per Spiritum S. qui simul in Christo & in nobis habitat, ita SS. ejus corpori magis ac magis uniri*, &c. Hujus unionis notare licet. 1. Causam efficientem. 2. Modum. 3. Extrema. 4. Adjunctum. 5. Effecta.

EXEGESIS.

Præsentis Q. & R. contenta.

AD præsentis Q. & R. intelligentiam seqq. annotâsse juvabit: 1. Unionem, eamque arctissimam esse redemptis cum Christo. 2. Quô modô

modô vel mediô efficiatur; & 3. Nobis adumbretur & obsignetur. Q. *Unionem igitur Christo cum redemptis arctissimam intercedere, unde doces?* R. Hoc, ne actum agamus, argumentis benè multis ostensum memini ad Quæstionem XXXII. Q. *Istam verò unionem putasne sitam esse in illâ naturæ cognatione, quâ Christus assumtâ naturâ nostrâ homo factus est, nobis per omnia similis, exceptô peccatô?* R. Minimè verò: hæc alioquin unio omnes complecteretur homines, siquidem Christus naturam assumsit, quæ omnium hominum communis est, quanquàm eam non assumserit nisi propter *pueros sibi datos*, *Heb.* 2: 13, 14. Q. *Idemne sensit Catech.?* R. Ea de causa cum Apostolo *Eph.* 5: 30. *nos esse*, inquit, *carnem de carne* Christi: non dicit, Christum esse carnem de carne nostra. Christus hoc, & non aliud de nobis habet: verùm nos carnem non de Christo, sed de Adamo habemus. Qua loquendi ratione Catech non obscurè docet, se per unionem hanc Christi & fidelium non naturæ cognationem, sed unionem mysticam & spiritualem, illâ longe arctiorem, solisque electis atque credentibus cum Christo peculiarem, intellectam velle. Interim ut electi esse possent *caro de carne*, & *os de ossibus ejus*, necesse fuit, filium Dei assumendo carnem fieri filium hominis. Undè rectè Cyprianus; *Quod homo est*, inquit, *Christus esse voluit; ut homo, quod Christus est, esse posset.*

I. Unionem esse redemptis cum Christo.

Eam non esse sitam in sola cognatione naturæ.

II. Q. *Ista unio mystica quô modô & mediô efficitur?* R. Manducatione corporis & bibitione sanguinis Christi. Q. *Ergóne corpus Christi manducari &c. potest?* R. Imò: sic docente Christo, sermone illo egregio, quem habuit ad Capernaitas. *Joh.* 6. Q. *Ista manducatio qualis est?* R. Non *oralis*, qualem sibi pro crasso suo sensu fingebant Capernaitæ. Neque enim ad unionem illam mysticam fidelium cum Christo perficiendam necesse est corpus Christi intra corpus nostrum recipi & cum eo concorporari, uti contendunt Pontificii & alii. Q. *Talem non esse hanc manducationem quî verò ostendis?* R. Hanc ipse Servator refellit l. c. Cùm enim multos videret offendi sermone,

II. Unionem illam fieri manducatione corporis &c. Christi.

Qualis ista manducatio sit exponitur.

ne, quem de carne sua manducanda &c. fecerat; eumque de manducatione, quæ ore corporeo fiat, intelligi, ut hanc ipsis opinionem falsissimam adimeret, tandem addidit; *Hoccine vos offendit? Quid si igitur spectaveritis Filium hominis ascendentem eò, ubi erat prius? Joh.* 6: 61, 62. q. d. Quomodo videri potest corpus suum oribus hominum ingesturus, qui in cœlum ascendet, eò corpus suum illaturus & ibi mansurus, donec redeat ad judicium, & eô quidem modô redeat, quemadmodum ascenderit, nimirum, conspicuô. Q. *Manducationem illam negas esse carnalem: qualis autem sit necdum dixisti.* R. Spiritualis est Quemadmodum enim caro Christi nobis cibus est non suâ substantiâ, sed mortis & satisfactionis meritô: ita & manducatio requiritur isti cibo analoga, quæ spiritualis est. Quod etiam Christus docet loco cit. v. 63. *Spiritus est, qui vivificat: caro non prodest quicquam.* Ex qua oppositione consequitur, manducatione corporis Christi carnali opus non esse; secùs enim Spiritus non vivificaret. Obj. *Num ergò caro Christi non prodest quicquam?* R. Ore sumptam prodesse negat ad dandam vitam æternam, de qua sermo erat: cùm caro sic sumpta esse nequeat nisi pabulum temporarium.

Spiritualem esse probatur.

Manducatio Spiritualis quid sit.

III. Q. *Manducatio illa spiritualis quid est?* R. Apprehensio Christi per fidem; vel ut Catech. habet; *totam Christi passionem & mortem verâ animi fiduciâ amplecti.* Sic nos sentire docet Christus, *Joh.* 6: 35. *Ego sum panis vitæ. Qui venit ad me, non esuriet; & qui credit in me, non sitiet unquam.* Et v. 40. *Hæc est voluntas ejus, qui misit me, ut omnis, qui videt Filium & credit in eum, habeat vitam æternam, &c.* Id ipsum verò vss. 50, 51, &c. dicit *edere carnem suam, & bibere sanguinem suum.* Adde & illud, nisi fide manducaremus carnem Christi, explicari non posse, qua ratione Patres V. T. eandem nobiscum escam spiritualem comederint, 1 *Cor.* 10: 3. Q. *Hæc metaphorica quædam manducatio est: velim igitur ejus cum propria manducatione analogiam paucis exponas.* R. I. Manducatio famem sequitur, bibitio sitim; sic fides in Christum est

ex

ex fame & siti justitiæ. Hinc quemadmodum *esurire & sitire*, qui affectus suô modô corporei sunt; sic etiam *edere* & *bibere*, qui actus sunt corporis, animæ spiritualia appetenti tribuuntur, *Psal.* 42: 1. *Esa.* 55:1. *Matth.* 5:6. II. Edendo & bibendo cibum potumque percipimus: sic fide Christum accipimus, &c. III. Cibi potusque perceptio suavem affert saturitatem: sic ex fide ineffabilis existit consolatio &c.

IV. Q. *Manducatio illa, eique conjuncta unio Christi & redemptorum solâne fide absolvitur?* R. Id rectè mihi negare videor ex Catech. dicente, *est non tantùm totam passionem & mortem Christi certa animi fiducia amplecti ---- sed etiam per Spiritum S. qui simul in Christo & in nobis habitat, ita SS. ejus corpori magis ac magis uniri* &c. Idem & Servator significâsse videtur sermone suo *Job.* 6. Judæis enim quanquam mirum atque insolens videretur, quod Christus de carnis suæ manducatione differebat, eam tamen inculcare non destitit, veritatem ejus, utilitatem & necessitatem quàm diligentissimè commendans. Cùm admirabundi quærerent; *quî potest hic nobis dare carnem suam comedendam?* Christus respondit: *Amen, Amen, dico vobis, nisi ederitis carnem Filii hominis ---- non habebitis vitam in vobis* &c. Et quanquam essent qui conquererentur; *Durus est hic sermo* &c. Nihilominùs pergit, eundem sermonem persequens, adeò ut multi tandem discipulorum Christum, velut absurda docentem ampliùs audire nollent, v. 66. Atqui si hactenus nihil aliud docere visus fuisset, quàm corporis sui manducationem sola fide perfici, eâ doctrinâ haud dubiè non usque adeò fuissent offensi. Q. *Præter fidem ergò quid requiritur?* R. Manducatio corporis Christi fide fit, neque ad eam alio opus est ore, quàm fide, quod ipsum consequenter etiam de unione nostrî cum Christo dicendum est; neque tamen sola fide perficitur: sed per fidem inchoata, divinâ Spiritûs S. virtute, & fidem & ei conjunctam nostrî cum Christo unionem operantis, modô nobis incomprehensibili absolvitur; id quod similitudo à manducatione corporali deducta docere potest. Edentes motitamus os, maxillas & linguam, dentibus

Manducationem Spiritual. & nostrî cum Christo unionem sola fide non perfici.

Id similitudine à man-

ducatione corporali deducta docetur.

cibum conterimus, contritum deglutimus: hactenus ipsimet agimus, quòd & quid agamus conscii: verùm cibô deglutitô, fieri aliquid in nobis sine nobis experimur, videlicet, cibum digeri, digestum sanguini suffundi, per venas & arterias distibui, & membris ad nutricationem totius corporis agglutinari: quæ certè omnia ignoranti etiam & dormienti feliciùs procedunt quàm attendenti & vigilanti. Similiter & manducatio spiritualis fieri incipit credendo, quo ipso nos non nihil agimus, quanquam quòd credimus id muneris divini habemus, ut alibi ostensum; sed sola Spiritûs S. virtute perficitur, ita quidem, ut caro fiamus de carne Christi, &c. nobismet eò nihil conferentibus, & qua ratione ista fiat adunatio ignorantibus; quanquam fieri, præcipuè factam esse, haud dubiis experimentis comperiamus.

Unionis mysticæ Author, extrema, adjunctum & effecta.

V. Q. *Ut quæ de hac unione Catech. habet paucis perlustremus, quæram primò; quæ sit illius causa efficiens, vel Author?* R. Spiritus S simul in Christo & in nobis habitans, *Tit.* 3:6. Is est *Spiritus fidei*, 2 *Cor.* 4: 13. fidem in nobis operans, eâque nos cum Christo uniens, ut *cum Domino conglutinati unus simus Spiritus*, 1 *Cor.* 6:17. de modo, quo fit, dictum est plus satis. Q. *Extrema unionis quænam sunt?* R. Ex una parte est *SS Christi corpus.* Appellatur *Sacrosanctum*, quia licèt ex uno nobiscum sanguine ortum sit, nulla tamen peccati labe & corruptelâ infectum est, quippe corpus Filii Dei. Unde illud Apostoli; *Et qui sanctificat, & qui sanctificantur, ex uno omnes*, *Heb.* 2:11. Ex altera parte sunt credentes. Catechumenus se fidelium numero aggregans dicit: *Nos.* Q. *Istius unionis quis est terminus, vel ista ex unione quid existit?* R. Unum corpus mysticum, cujus caput Christus, membra fideles, 1 *Cor.* 12:13. Q. *Qui potè, Christum, quâ hominem, nunc in cœlo gloriâ coronatum, fideles verò in terra versantes, atque adeò tantò locorum intervallò distèrminatos, uniri, ut unum fiant corpus?* R. Isti unioni nequaquam obest locorum intercapedo: hinc Catech. *ut quamvis ipse in cœlo, nos verò in terra simus, nihilominùs* &c. cùm unio ista non sit existentia corporis

Christi

Christi intra corpora nostra, neque adeò locali contactu aut inclusione constet Habet enim instar unionis membrorum cum capite, quæ uno Spiritu cohærent & reguntur, sed situ differunt, capite supra membra extante. Q. *Unio illa qualiter comparata est?* R. Arctissima est, & insolubilis: quemadmodum caro cum carne, os cum ossibus, membra cum capite, arctissimè cohærent in eodem corpore &c. qua de re alibi nobis dictum. Q. *Unionis istius quænam tandem sunt effecta, sive consequentia?* R. Vivificatio & gubernatio, de qua Catech. *Utque omnia corporis membra ab una anima, sic nos uno eodemque Spiritu vivificemur & gubernemur.* Quam similitudinem egregiè illustrat Apostolus *Eph.* 4: 15, 16. Q. *Unio, de qua hactenus, cùm fiat manducatione corporis & bibitione sanguinis Christi, an ergò demùm fit in S. Cœna?* R. Non: sed à Spiritu fidei facta in Sacramento Cœnæ significatur & obsignatur, eôque ipsô etiam corroboratur & magis magisque adstringitur. Ejus enim depingendæ imago, obsignandæ sigillum, & corroborandæ adminiculum est manducatio sacramentalis. Unde duplex corporis Christi existit manducatio, una quidem *externa & sacramentalis*, sive *symbolica*; Altera *interna & spiritualis*. Prior pro Oeconomiarum varietate alia fuit sub veteri, alia nunc est sub novo Testamento. Alia enim constat olim fuisse manducationis corporis Christi symbola, vel extraordinaria, veluti *manna*; vel ordinaria, veluti *paschа & epula Eucharistico-sacrificalia*; de quibus suprà. Alia nunc sunt ex Christi instituto, usu Ecclesiæ frequentanda, nempe *panis & vinum* in Cœna Domini, quorum perceptione nobis unio cum Christo, tanquam victimâ, pro peccatis nostris reapse oblato & mortuo, sed rursum è mortuis excitato & ad gloriam exaltato, significatur & obsignatur. Da nobis ô Deus clementissime, Pater miserationum! ut istius unionis virtutem atque incrementa quotidiano sanctificationis & consolationis profectu sentiamus, bonorumque operum studiô, æternæ justitiæ fructu, ad nominis tui glorificationem & Ecclesiæ ædificationem, testatam faciamus.

III. Unionem illam significari & corroborari, usu S. Cœnæ.

Quæstio LXXVII.

Quo loco promisit Christus, se credentibus tàm certò corpus & sanguinem suum sic edendum & bibendum daturum, quàm fractum hunc panem edunt & poculum hoc bibunt?

IN Institutione Cœnæ, cujus hæc sunt verba: *Dominus noster Jesus Christus eâ nocte, quâ proditus est, accepit panem; & gratiis actis, fregit ac dixit: Accipite, hoc est corpus meum, quod pro vobis frangitur: hoc facite in meî recordationem. Itidem & poculum, postquam cœnasset, dicens: Hoc poculum est novum fœdus per meum sanguinem: Hoc facite, quotiescunque biberitis, in mei recordationem. Quotiescunque enim ederitis panem hunc, & poculum hoc biberitis, mortem Domini annunciate, donec venerit.* Hæc promissio repetitur à Paulo, cùm inquit; *Poculum gratiarum actionis, quo gratias agimus, nonne communio est sanguinis Christi? Panis quem frangimus, nonne communio est corporis Christi? quoniam unus panis, unum corpus multi sumus: Nam omnes unius panis participes sumus.*

ANA-

ANALYSIS.

Doctrinam de Cœna Domini hactenus expositam confirmat, ostendens, Christum mandato edendi de fracto pane &c. adjeciſſe promiſſionem, qua certi fiant fideles, ſe non minùs verè corporis & ſanguinis Chriſti participes eſſe, ac panem fractum edunt, &c.

Quærenti, quô locô id Chriſtus promiſerit, ita reſpondet, ut promiſſionem illam exhibeat

I. In Inſtitutione S. Cœnæ, quam indicat & recitat verbis Apoſtoli 1 *Cor.* 11: 23, &c. Ubi notanda occurrunt. 1. Author S. Cœnæ, *Dominus noſter J. C.* 2. Tempus; *Eâ nocte, quâ proditus eſt.* 3. Elementa in uſum Sacramenti aſſumta, *panis* & *vinum:* itemque ritus, ſive ceremoniæ, tùm circa panem ſeorſim uſurpatæ; *accepit, gratiis actis fregit* &c. tùm circa poculum, *Itidem & poculum*, intellige, *accepit, benedixit, diſtribuit.* 4. Verba ℵ Mandati de uſu *cùm* panis, *accipite, edite, hoc facite in mei recordationem: tùm* poculi; *hoc facite, quotiescunque biberitis* &c. *Matth.* 26: 27. additur; *bibite ex eo omnes.* ב Verba promiſſionis de pane; *hoc eſt corpus meum* &c. de poculo; *hoc poculum eſt N. Fœdus* &c. 5. Finis, quem Apoſtolus 1. exprimit verbis Chriſti *Luc.* 22: 19. *Hoc facite in meî memoriam.* 2. Suis verbis declarat, deductô inde hôc

hôc præceptô; *Quotiescunque enim ederitis* &c.

II. In alio Scripturæ testimonio; *Hæc promissio repetitur à Paulo, cum inquit; Poculum gratiarum actionis* &c. 1 *Cor.* 10: 16, 17.

EXEGESIS.

Quare hôc demùm locô recitetur historia institutionis S. Cœnæ.

NOnne alienô locô repetita videri possit *institutionis S. Cœnæ historia, cùm eam præsentis doctrinæ tractationi, tanquam fundum ejus, præmissam oportuerit?* R. Scopus Catech. eam hôc locô recitantis est, confirmare, quod Q. & R. LXXV. de promissione mandato edendi &c. adjecta dixerat. Quapropter, cùm pro methodi ratione pleraque ad Institutionis S. C. enarrationem pertinentia jam suprà exposuerimus, iis nunc omissis, cætera, quæ vel tunc nobis intacta mansere, vel præsens institutum propiùs spectant, breviter explicabimus.

Tempus institutæ Cœnæ consideratu dignissimum.

II. Q. *Estne illud singulari aliqua attentione dignum, quòd Christus Cœnam instituisse dicitur eâ nocte, quâ proditus est?* R. Imò: ea enim circumstantia 1. fidem facit historiæ. 2. Sacramento reverentiam conciliat. Id enim haud dubiè maximi oportet esse momenti, cujus curam Christus morti proximus suscipere dignatus est. 3. Argumento est, Christum futuram sui traditionem præsciviisse, eôque ex amore nostrî flagrantissimo se ipsum veluti victimam piacularem ex potestate sua tradendum obtulisse: ideoque etiam ut Mediatorem N. T. signum Testamenti dedisse.

Notantur superstitiosi ritus Papistarum.

III. Q. *Nulline alii ritus & ceremoniæ in administratione & usu S. Cœnæ sunt observandæ præter illas Apostolo memoratas?* R. Christus accepit panem, gratiis actis fregit, & dixit, *accipite* &c. Alias à Christo adhibitas, & præscriptas nusquam lego. Q. *Quid igitur sentis de panis elevatione ad cultum, de circumgestatione, adoratione, repositione in ciborio* &c.? R. Ritus isti dubiô procul non ex divina institutione, sed humana superstitione nati, & in Papali communione recepti sunt.

IV. Q.

IV. Q. *Quibusnam verbis promissionem, super qua quæstio est Catechetæ, contentam existimas?* R. Verbis, quæ Christus primùm de pane fecit; *Hoc est corpus meum:* deinde de poculo; *Hoc poculum est Novum Testamentum in meo sanguine* &c. Obj. *Atqui verba ista non videntur promittentis esse, sed asserentis.* R. Satis est ad institutum, si constet, illis verbis Christum suam declarare voluntatem, quæ est, ut credentes habeant cum ipso communionem, eaque de re certi sint. Hæc enim verborum Christi sententia est; *Hic panis fractus, & hoc vinum effusum, symbolum est & sigillum communionis corporis mei pro vobis fracti, & sanguinis mei pro vobis effusi in remissionem peccatorum:* quia illis verbis locô corporis sui fracti, & sanguinis fusi, panem atque vinum substituit comedendum & bibendum, significans signô istô ac pignore receptô nos nihilô minùs certos esse de communione corporis & mortis ipsius, ac quidem certi essemus, si corpus Christi revera intra nos reciperetur. Q. *Quî verò?* R. Quia elementa illa, panem & vinum, non edere solùm & bibere jussit tanquam corpus & sanguinem suum, pro quibus substituuntur, sed etiam addidit; illud, videlicet corpus suum, pro edentibus esse fractum; hunc verò, nempè, sanguinem suum, pro bibentibus esse fusum. Ergò qui in fide accipit hæc symbola, eô testatur, se credere Christo, tanquam sibi dicenri, *quod pro te fractum est, qui pro te fusus est.* de quibus amplius in seqq. Quæst.

Verba promissionis exhibentur.

V. Q. *Quid tenes de memoria mortis Christi, ad quam celebrandam instituta est S. Cœna?* R. 1. Eame docet, ad edendum hunc panem non invitari nisi illos, quibus animus est atque propositum serium recolendi memoriam mortis Christi, quippe ad quos solos etiam mortis Christi fructus redeunt. 2. Memoria illa inserviat fidei exercendæ, consolationi fovendæ, & studio gratitudinis acuendo: inde vulgò recordatio fidei, consolationis & gratiarum actionis dicta. *Fidei* est, quâ non jam modò veram esse credo historiam mortis Christi, cujus monumentum est S. Cœna; sed etiam persuasum habeo, Christum pro me

Memoriæ S. Cœnæ usu recolenda qualis sit.

me esse mortuum: quapropter etiam *consolationis* est & *gratiarum actionis*, suggerens argumenta, quibus animum peccatorum sensu turbatum tranquillem, meque ad laudem glorioſæ gratiæ Dei concelebrandam exſtimulem. Da, ô Jesu, Servator benigniſſime! ut quoties hæcce gratiæ tuæ teſtimonia atque pignora S. Cœnæ usu percipimus, deguſtata benignitatis tuæ dulcedine toto corde, ore & opere gratiſſimam mortis tuæ memoriam teſtatam faciamus.

Quæstio LXXVIII.

Num ergo panis & vinum fiunt ipsum corpus & sanguis Christi?

NEquaquam: verùm ut aqua Baptiſmi in ſanguinem Chriſti non convertitur, nec eſt ipſa peccatorum ablutio, ſed ſymbolum tantùm ac pignus earum rerum, quæ nobis in baptiſmo obſignantur: ita nec panis Cœnæ Dominicæ eſt ipſum corpus Chriſti: quanquam pro ratione Sacramentorum, & uſitata Spiritûs S. de his loquendi forma, panis Chriſti corpus appellatur.

ANALYSIS.

I. Hac & seq. Quæst. refellitur error de conversione panis & vini: quod secundum tractationis de Cœna Domini membrum est, ad quod transitur formâ προλήψεως. Habet enim Quæstio hæc Objectionem, natam è phrasibus sacramentalibus, quibus pro-

promissionem contineri dixerat Catech. Objectio sic habet; Panis est corpus Christi; vinum est sanguis Christi: *Panis ergò & vinum fiunt ipsum corpus* &c.

II. Responsio 1. negat consequentiam, argumentô à pari deductô; *Nequaquam, verùm ut aqua* &c. 2. Negationem adversus instantiam vindicat; *Quanquam pro ratione sacramentorum* &c.

Quæstio LXXIX.

Cur ergo Christus panem appellat suum corpus, calicem verò suum sanguinem, seu novum fœdus per suum sanguinem: Paulus item panem & vinum communionem corporis & sanguinis Christi?

CHristus non sine gravi causa sic loquitur: videlicet non solùm, ut nos doceat, quemadmodum panis & vinum corporis vitam sustentant: sic etiam crucifixum suum corpus & effusum suum sanguinem verè esse animæ nostræ cibum ac potum, quo ad vitam æternam nutriatur: verùm multò magis, ut hoc visibili signo ac pignore certum nobis faciat, nos non minùs verè corporis & sanguinis sui per operationem Spiritûs Sancti participes esse, quàm sacra ista symbola, in ejus memo-

memoriam, ore corporis percipimus: Tum etiam quòd ejus passio & obedientia tàm certò nostra sit, quàm si ipsimet pro nostris peccatis pœnas dedissemus & Deo satisfeciissemus.

ANALYSIS.

I. Occasione præcedentis Resp. explicatur fundamentum & ratio phrasium Sacramentalium. Unde Quæstionis hæc mens est; Si panis non convertitur in corpus Christi &c. *cur ergò Christus panem appellat suum corpus* &c.

II. Resp. rationem metonymiæ sacramental. reddit geminam: Unam quidem desumtam ab analogia signorum & rerum significatarum: Alteram à substitutione signorum in locum rerum signatarum, ut tanquam pignora & sigilla usum obsignandi præstent. De quibus in Exegesi.

EXEGESIS.

Resellitur argumentum Pontificiorum pro panis & vini in corpus Christi conversione.

QUid respondebis Pontificiis, *sic inferentibus ex verbô, quô mox promissionem contineri dicebas; Panis dicitur corpus Christi &c. Ergò panis & vinum fiunt ipsum corpus Christi?* R. Nego id sequi. Quemadmodum enim aqua baptismi dicitur ablutio peccatorum, *Act.* 21:16. Neque tamen vel aqua convertitur in sanguinem Christi; vel ablutio per aquam est ipsa peccatorum ablutio, sed *symbolum tantùm ac pignus earum rerum, quæ nobis in baptismo obsignantur*: ita nec panis Cœnæ Dominicæ in ipsum corpus Christi convertitur. Q. *Quæ tibi ratio concludendi ab aqua Baptismi ad panem Eucharisticum* &c. R. Par ratio eademque natura est sacramentorum, in declaratione

tione & obsignatione rerum per signa, non in conversione signorum in res signatas, consistens. Inst. *Atqui panis dicitur Christi corpus appellatur?* R. Sic appellari fateor pro ratione Sacramentorum & usitata Spiritûs S. de his loquendi forma, quæ *impropria* est, cùm disparatum de disparato sensu proprio prædicari non possit; & *metonymica*, quâ rei significatæ nomen tribuitur signo; & *sacramentalis*, quia Scripturæ de Sacramentis loquenti usitata, uti docet Catech. subjectis testimoniis, *Exod.* 12: 26, 27, &c. ubi agnus paschalis dicitur *Pascha*, h. e. transitus, quia ejus erat monimentum & signum, *Exod.* 13: 9, 16. Sic circumcisio appellatur *fœdus* Dei, *Gen.* 17: 10. h. e. interprete Deo, *signum fœderis*, ibid. v. 11. Baptismo tribuitur ablutio peccatorum, *Act.* 22: 16. quia ἀντίτυπον, sive signum est ablutionis in conformitate alterius signi, aquarum nempe diluvii, significans, 1 *Pet.* 3: 21.

II. Q. *Metonymiæ illius Sacramentalis ratio quænam est?* R. Ea gemina, & consideratu dignissima est: unde Catech. sic præfatur: *Christus, non sine gravi causa sic loquitur.* Q. *Prior unde deducitur?* R. Ab analogia signorum cum re significata, quam Catech. his verbis enunciat; *Videlicet non solùm, ut nos doceat, quemadmodum panis & vinum corporis vitam sustentant: sic etiam &c.* Unde consequitur, revera dari communionem cum Christo primùm mortuo, deinde redivivo, eamque communionem esse vivificam, unde nobis vigor, robur & lætitia spiritualis, quemadmodum ex pane & vino sumtis corpus vigescit, roborascit, hilarescit. Q. *Unde posterior?* R. A substitutione signorum in locum rerum signatarum, quando Catech. addit; *verùm multò magis; ut hoc visibili signo ac pignore certum nobis faciat, &c.* Quam rationem priore graviorem, eôque collatione majoris amplificatam, etiam pluribus exequitur. Q. *Quare rationem hanc à substitutione symbolorum externorum in locum corporis & sanguinis Christi deductam dicis?* R. Siquidem corpus & sanguis Christi nobis dari non possunt, neque etiam dari expediret, ritu corporeo percipienda, *Joh.* 6: 62, 63. eorum loco substituuntur panis & vinum,

ut tanquam pignora & sigilla sacra nobis obsignent communionem Christi & fructuum mortis ejus: ut istis freti pignoribus Deum, tanquam Patrem in Christo, compellare, eâque Christi communione gloriari queamus. Etenim, ut Catech. habet, hôc visibili signo ac pignore certum nobis fit. 1. *Nos non minus verè corporis & sanguinis* Christi *per operationem Spiritûs S. participes esse, quàm &c.* 2. *Tum etiam ejus passionem & obedientiam tàm certò nostram esse, quàm si ipsimet &c.* Cæterùm de mente verborum Christi, *Hoc est corpus meum*, in gratiam studiosæ Juventutis paulò ampliùs dicemus in seqq.

Appendix.

Discipuli de sensu verborum Christi, hoc est corpus meum, *non hæsitarunt.*

I. Quando Christus cavendum dixerat fermentum Pharisæorum & Sadduc. *discipuli disceptârunt inter se, dicentes; panes non sumpsimus*, *Matth.* 16: 7, 8. Quando dixerat, *Ego sum panis ille vivus --- si quis ederit ex hoc pane, vivet in æternum: panis autem, quem ego dabo, caro mea est, &c. Pugnarunt Judæi alii adversus alios, dicentes: Quomodo potest hic nobis carnem suam dare, quam edamus? Joh.* 6: 51, 52. Quando porrectô pane discipulis dixerat; *Accipite, edite: hoc est corpus meum*: hæsitâsse & disceptâsse discipulos, nusquam apparet. Ut adeò Christus è re nata, dialectô in vulgus notâ atque formulâ loquendi Scripturis frequentatâ usus, mentem suam quàm clarissimè exposuisse visus fuerit. Attamen, quod nunquam satis dolendum, super sensu verborum Christi nunc totus dividitur orbis, fecitque Scripturarum ignorantia, superstitio & seductionis efficacia, ut unitatis sacramentum pacisque vinculum, temporis lapsu hominumque in deterius profectu, conversum sit in tesseram divisionis & litium, contentionumque seminarium. Infelices nos, qui ætatem fere disputando super sensu verborum Testamenti Paterni conterimus, usque adeò, ut jam proximô seculô ducentæ, plus minùs, variantes verborum Christi expositiones fuerint numeratæ. Nobis ad præsens institutum eas solùm referre visum est, quas ignorare S. Ministerii Candidato non jam modò turpe, sed etiam periculosum fuerit.

II. Ro-

II. Romanæ Communionis Doctores in tribus consentiunt: 1. Enunciationes illas, *Hoc est corpus meum*, &c. propriè & ut sonant, esse accipiendas. 2. Totum corpus & sanguinem Christi sub speciebus panis & vini, & qualibet earundem parte realiter & localiter esse præsentia. 3. Per transubstantiationem. Dissentiunt autem mirum in modum in expositione *subjecti*, *copulæ* & *prædicati* axiomatum, de quorum sensu quæritur. Communior Pontificiorum sententia, referente Bellarmino *lib.* 1: *de Euch. c.* 8. vult, sensum verborum Christi hunc esse; *Hoc*, *id est*, *quod his speciebus continetur*, *est verè & propriè corpus ipsum meum*, *verum & naturale*. Lutherani, hodierni saltem, (aliter enim Lutherum quondam & ejus discipulos rem explicuisse satis constat) τὸ ῥητὸν urgentes docent, Christi corpus *In*, *Cum* & *Sub* pane præsens esse. Unde per *Hoc* neutrum simpliciter, sed totum complexum, ambitu suo panem & corpus Dom. continens, intelligunt. Locutiones porrò sacramentales non *tropicas*, sed *extraordinarias* esse & *inusitatas*, earumque fundamentum non esse meram signi ad rem signatam habitudinem, sed singularem quandam utriusque in sacramentis conjunctionem, quâ fit, ut oblatô exhibitô, & acceptô signô res signata unà verè offeratur, exhibeatur & accipiatur. Brochm. *de Sacrament. in genere cap. II. Q.* 11.

Sententia Pontificiorum & Lutheranorum super verbo; Hoc est corpus meum.

III. Nostra sententia est, illum loquendi modum, quô panis appellatur corpus Christi, 1. Non esse *proprium*: cùm disparatum de disparato, verum Christi corpus de vero pane, prædicetur. 2. Non esse *substantialem*, quô quid panis suâ sit naturâ explicetur: qualis loquendi modus est, si dicam, *mens est substantia cogitans*: cùm hîc non de substantia panis, sed ejus relatione & usu sermo sit. 3. Neque esse *synechdochicum*: cùm non agatur de subjecto corporis & sanguinis Christi continente, neque ubi loci sint quæratur. Verùm 4. modum esse loquendi *improprium*, quippe quô disparatum de disparato affirmatur, & *sacramentalem*, quippe de Sacramentis in Scripturarum sermone usitatissimum. Atque hinc Theologis vulgò

Sententia nostra.

metonymia sacramentalis dicitur, quâ de signo res signata prædicatur affirmatè, non quidem *in sensu formali*, quem vocant, quomodò absurdè diceres, signum, quà tale, esse rem signatam: sed *in sensu materiali*, intelligendo res ipsas, quarum una signum est, altera signatum. Hanc sententiam paucis nunc probatum imus argumentis.

Quæ probatur seqq. argumentis.

Primum argum.

Ubi ostenditur, & Pontificios & Lutheranos à verborum proprietate recedere.

IV. *Primum* esto: Pontificii & Luth. utut verborum proprietati inhærere videri velint, ab ea tamen recedere coguntur. Velut cùm Maldonatus, Jesuita, ad verba Christi hæc annotat; *Cùm Christus dicit accepto pane*, Hoc est corpus meum, *quamvis ejus corpus nondum illic esset, tamen quia statim futurum erat, illud eo pronomine demonstrat. Comment. ad Matth. 26.* Eundem sequuntur alii. Verùm *Si quis digitô aliquid ostendat, dum pronomen effert, valdè absurdum videtur dicere, pronomine illo non demonstrari rem præsentem. Bellarm. Lib. 1. de Euchar. cap. 11.* Huic ergò Jesuitæ locutio Christi hoc modo intellecta non solùm impropria, sed *valdè absurda* videtur. Ipse existimat, *illud*, HOC, *non demonstrare panem præcisè, sed contentum sub illis speciebus.* Hinc sententiam probat Thomæ, quæ est, *quòd pronomen*, Hoc, *non demonstret præcisè panem, nec corpus, sed in communi substantiam, quæ est sub illis speciebus: sic tamen ut demonstratio propriè ad species pertineat; non quidem ut sensus fit;* Hoc, *id est, hæ species sunt corpus meum; sed in obliquo, hôc modô:* hoc est corpus meum, *id est, sub his speciebus est corpus meum.* Hac ratione quis non videt, locutionem fore non solùm impropriam, sed insolentissimam? Idem Bellarm. & hunc sensum adprobat, H. E. C. M. *hoc hactenus panis, nunc est corpus meum.* Atqui 1. Paulus etiam panem appellat post consecrationem. 2. Talis propositio vera esse potest in rebus quæ mutantur, ut, *hoc, quod hactenus fuit aqua, nunc est vinum:* Falsa est, ubi quod prædicatur, fuit, neque fit per mutationem, sed in locum alterius substantiæ substitui intelligitur. Lutherani, quibus placet Consubstantiatio, prædicationem sacramentalem esse inusitatam, extraordinariam, neque adeò ad communes Logicæ regulas examinan-

minandam existimant: eò quòd disparatum de disparato in casu recto, nomine substantivo prædicetur, quale exemplum dari negant, præterquam in Christo Θεανθρώπῳ. Fundamentum porrò prædicationis esse in conjunctione rei terrenæ & cœlestis, qualis conjunctio inter fascias & involutum Messiam, inter Jehovam & propitiatorium arcæ, inter Jehovam & rubum ardentem &c. Sic in verbis Christi, *Hoc est corpus meum*, per *HOC* intelligunt in, cum & sub hoc pane: per *Est* continetur & includitur: per *corpus*, aliquid quod nec quantum, nec visibile, nec locale est. Verùm 1. quomodo hæc omnia sine tropo & figuris conficere sese posse somniant? 2. Exemplum è Scriptura proferri posse nego, ubi disparatum de disparato propter conjunctionem utriusque prædicetur, etsi occasio fuerit præsentissima. Nusquam Jehova dicitur propitiatorium arcæ, rubus ardens &c. Quare prædicationis Sacramentalis aliud oportet esse fundamentum. Quando in Christo Θεανθρώπῳ homo prædicatur de Deo, non est disparati de disparato prædicatio: Deitas quidem & humanitas disparata sunt, non item Deus & C. homo, cùm C. Deus & C. homo non sit alius & alius. 3. Unde didicerunt Sacramenta esse signa tantùm per consequentiam conjunctionis rei terrenæ & cœlestis, ita quidem, ut quia panis continet corpus Christi, consequenter sit signum corporis contenti? Sic interpretantes phrasin sacramentalem nonne petunt principium? cùm interpretationis suæ nec regulam, nec exemplum exhibere possint præter sacramenta, de quibus quæstio est.

V. Secundum argumentum esto. Si, quem Pontificii & Luth. defendunt, sensum haberent verba, *Hoc est corpus meum*, Christus in administratione Cœnæ suæ sacramentalis miraculum produxisset, quô certè majus cogitari non posset: idque ne in errorem induceremur, nobis tanto clarius revelatum oportuisset quòd non tantùm in occulto & contra sensuum fidem, sed etiam contra naturam & rationem factum, & porrò quotidianum in Ecclesia futurum esset. Atqui miraculi patrati nullum hîc vestigium, *Secundum Argum.*

nulla commemoratio. Verbis, *Hoc est corpus meum* &c. panis & vini substantia non conversa fuit in substantiam corporis & sanguinis Christi; neque enim jubet Christus quid fieri velit, dicendo *fiat:* sed quod jam erat simpliciter enuntiat. Argumentantur quidem Bellarm. & Brochm. ex eo, quod Christus dicitur panem & vinum εὐλογῆσαι; addentes, Christum non esse solitum εὐλογεῖν, nisi cùm aliquid miraculosum aut extraordinarium patrare decreverat, ut in multiplicatione panum, *Matth.* 14. *Marc.* 6. *Luc.* 9. *Joh.* 6. R. 1. Ergòne Christus cibum sumpturus cum discipulis non *benedixit*, pro more Judæis recepto, nisi quando miraculum meditabatur? 2. Miraculum hac ratione factum fuisset, antequam pronunciasset verba, *Hoc est corpus meum*, quæ tamen sola tantam rem præstare possunt, si fides est Pontificiis. 3. Ut non negem, miraculosam illam panis multiplicationem vi benedictionis fuisse factam, neque tamen verbis εὐλογίας prolatis illicò miraculum extitit, sed demùm quando convivæ sumserant, comedere incipientes, ita ut tenentibus & comedentibus panis in manu & ore multiplicaretur. Idque ideò factum, ut universi convivæ patrati miraculi testes essent irrefragabiles. Pari ratione si miraculum vi benedictionis fieret in pane Eucharistico, non inter benedicendum, sed edendum existeret, conscriis atque testibus ipsis convivis.

Tertium Argum.

VI. Tertium argumentum arcessi potest ex ipsis verbis, *Hoc est corpus meum.* Sive subjectum, sive prædicatum sive copulam spectes, erit, quod sententiam nostram confirmet. Pronomen *HOC* vel denotat accidentia, quæ in sensus incurrebant; vel substantiam aliquam; vel denique vagum quidpiam & incertum. Primum, quippe absurdum & insolens profiteri non audent ipsimet Pontificii. Quòd si substantiam designet, ea vel panis vel corporis Christi substantia fuit. Atqui corporis Christi substantia esse non potuit, quippe quæ nondum sub accidentibus existebat, necdum pronunciatis verbis illis portentificis, H. E. E. C. M. Ergò, si quidem vera est Christi enunciatio, quomo-

quomodo eam Pontificii veram esse fatentur, necesse est, ut eôdem temporis momentô panis substantia fuerit corpus Christi, nec corpus Christi fuerit tamen: quæ manifesta repugnantia est. Vagum quid & incertum eo pronomine significatum dicere est lucem odisse: neque enim discipuli dubitabant, quin istô pronomine sibi demonstraretur panis, quem Christus ipsis spectantibus acceperat, gratiis actis fregerat &c. Prædicatum deinde est *Corpus Christi*, non vivum, sed fractum; & sanguis, non venis incluſus, sed effusus. Atqui Christus eâ horâ etiamnum vivus, ut nunc post resurrectionem redivivus, quomodo corpus fractum & sang. fusum, aliter quàm in figura edendum & bibendum præbere potuit? Copula denique *Est*, disparatum cum disparato conjungere non potest enunciatione affirmata, nisi figuram admittas. Quando Bellarm. concedit, *Est* accipi ordinariè pro *significat*, nec tamen esse ullum tropum, *lib I. de Euch. cap.* 10. sententiam nostram confirmat. Et sanè, quod pro

Quartum Argum.

VII. Quarto argumento retinendum, ista loquendi ratio usque adeò Scripturæ S. usitata est non solùm ubi de Sacramentis, sed & de aliis rebus, sermo est, ut usu invalescente tropica esse desierit, vel tropi saltem nulla ratio habeatur. Exempla ubique sunt obvia, *Gen.* 41: 26. *Ezech.* 37: 11. *Dan.* 7: 17, 23, 24. & 8: 20, 21. *Matth.* 13: 38, 39. *Apoc.* 1: 20, &c. Quis crediderit, Josephum affectasse tropum, quando somnium non jam recitans sed interpretans dicit, *septem vaccæ, septem anni* &c. Quærenti, *ubi tropus resideat, in subjecto, prædicato, an in copula?* R. Multis modis, ut fit, eodem sensu explicari potest. Simplicissimè tamen quæri videtur in copula, vocabulô *Est* ex usu Scripturæ positô pro *significat:* cùm enim panis pro corpore Christi substituatur, panis esse dicitur quod significat. Fateor equidem, copulam Logicè consideratam, attento sensu, simul & copulæ usum præbere & partem esse prædicati, hoc sensu; *panis est significans corpus meum:* nihilominùs rectè in copula statuitur tropus, si grammaticè & in se spectetur, quia nativa vocabuli *Est* significatio mutatur. Hæc sententia eô confirmatur: si tropus es-

ſet in prædicato phraſeos Sacramentalis, haud dubiè, ne tropus adeò frequens fieret, Spiritus S. ſæpiùs uteretur nomine ſigni, neque enim deſunt nomina in Scriptura, quæ ſignum, figuram &c. denotent: atqui contra tropica locutio in hoc rerum genere longè frequentior eſt, ut *Eſt* uſurpetur pro *ſignificat*, cui verbum reſpondens lingua Hebr. & Syr. non habet.

Accedit conſenſus piæ antiquitatis.

VIII. Impropriam locutionem agnoverunt etiam Patres Eccleſiæ. Tertull. *Acceptum*, inquit, *panem & diſtributum diſcipulis, corpus ſuum illum fecit, hoc eſt corpus meum, dicendo, id eſt, figura corporis mei. Figura autem non fuiſſet niſi veritatis eſſet corpus. Cæterùm vacua res, quod eſt phantaſma, figuram capere non poſſet* &c. *Adverſus Marcion. lib. IV. c. 62.* Auguſt. *Non enim Dominus dubitavit dicere, H. E. C. M. cùm ſignum daret corporis ſui. lib. contra Adamantum Manich. c. 12.* Argumenta VII. adverſus Transſubſtantiationem è Patrum Scriptis repetita videſis apud Forbeſ. *Inſtruct. Hiſtorico Theol. lib. XI. cap. 9. & ſeqq.* quæ tandem his tribus verſiculis juvandæ memoriæ exhibuit.

1. *Eſt typus*: 2. *Eſt panis*: 3. *Nutrit quoque corpora*: 4. *non eſt*
Præſens carne: 5. *mali ſumunt*: 6. *non panis & unda it*
In populum: 7. *Vini & panis ſubſtantia priſca eſt.*

Inter veritatis teſtes celebre etiam nomen Bertrami, presbyteri & monachi Corbiacenſis, circa A. C. 880. qui conſultus à Carolo Calvo, Rege Gall. ſuper quæſtione tunc agitata, num panis & vinum in Euchariſtia ſint ſubſtantialiter corpus & ſanguis Chriſti, an ejus figura ſolùm: reſpondit, eruditò ſcriptò de corpore & ſang. Chriſti, planè ex mente noſtra, ſæpiusque inculcat verba, *Hoc eſt corpus meum* &c. figuratè & ſacramentaliter eſſe intelligenda. Idem ſeculò undecimò defendit Berengarius, Eccleſiæ Andegavenſis diaconus, de quo vide Forbeſ. *Inſtruct. Hiſt. Theol. lib. XI. cap. 12, & 18.*

Quæſt.

Quæstio LXXX.

Quid intereſt inter Cœnam Domini & Miſſam Papiſticam?

Cœna Domini nobis teſtatur, nos perfectam remiſſionem omnium noſtrorum peccatorum habere, propter unicum illud Chriſti ſacrificium, quod ipſemet ſemel in cruce peregit: Tum etiam nos per Spiritum S. inſeri Chriſto, qui jam ſecundùm naturam ſuam humanam tantùm in cœlis eſt ad dextram Patris, ibique à nobis vult adorari. In Miſſa autem negatur, vivos aut mortuos habere remiſſionem peccatorum propter unicam Chriſti paſſionem, niſi etiamnum quotidie Chriſtus pro ipſis à ſacrificulis offeratur: Tum etiam docetur, Chriſtum corporaliter ſub ſpeciebus panis & vini eſſe, ideoque in illis adorandum eſſe. Atque ita ipſum Miſſæ fundamentum nihil aliud eſt, quàm abnegatio unici illius ſacrificii & paſſionis Jeſu Chriſti, & exſecranda idololatria.

ANALYSIS.

Sequitur tertium tractationis de Cœna Domini membrum, docens, quid inter Cœnam Domini & Miſſam Papiſticam interſit.

Resp. Catech. 2. habet.

1. Antithesin sive oppositionem trimembrem.
2. Porisma, sive conclusionem.

EXEGESIS.

Missa quid sit.

Missa Papistica quid est? R. Secundùm definitionem rei ex mente Papistarum, non autem ex notatione nominis, de quo aliàs, Missa est opus, quò Sacerdos per demurmurationem quinque verborum, *Hoc enim est corpus meum;* ex pane creat Christum, illumque Deo Patri offert, tanquàm victimam pro expiandis viventium & mortuorum peccatis.

Quare de ea hîc agatur.

Q. *Hic de Missa Papist. agendi quæ necessitas?* R. 1. Quia in sacrificii, quod Missam vocant, frequentatione summa religionis Papist. versatur, & præterea idem sacrificium reliquorum errorum finis & scopus atque Antichristianæ Civitatis unicum Palladium est, sic ut ferè habeatur Ecclesiæ & professionis χριτήριον *missam adire*, vel *non adire*; quare de mysterio iniquitatis, quod inibi latet, cautè devitando monendus fuit Catechumenus. 2. Quia Pontificii omnibus modis contendunt, Missam suam esse ipsissimam Cœnam à Christo institutam, haud abs re Catech. facta utriusque comparatione & oppositione ostendit, Missam Cœnæ Dom. eversionem verius, quàm sacramentum dicendam esse.

Oppositionis inter S. Cœnam & missam papist. primum membrum.

II. Q. *Cœna igitur Domini & Missa Papist. qua re differunt vel opponuntur?* R. Oppositio illa tria habet membra. Q. *Primum quodnam?* R. Cœna Domini nobis testatur, nos perfectam remissionem &c. In Missa autem negatur, vivos & mortuos habere remissionem peccatorum &c. Q. *Quia hîc veritatis & falsitatis audio antithesin, ex te scire velim veritatem de qua, & quomodo testetur Cœna Domini?* R. Veritas Evangelica est. 1. Nos perfectam remissionem omnium nostrorum peccatorum habere propter illud Christi sacrificium, quod ipsemet in cruce peregit, 1 *Joh.* 1: 7. *Rom.* 8: 1. 2. Sacrificium illud Christi unicum esse, & semel

semel peractum, *Rom.* 6: 9, 10. *Hebr.* 9: 12, 25, 26, 27, 28. & 10: 14. Q. *Cœna Domini quomodo de hac veritate gemina testatur?* Rz. Eô quòd est sacramentum corporis Christi pro nobis dati & fracti, & sanguinis pro nobis effusi in remissionem peccatorum, *Matth.* 26: 26, 28. Q. *Ex adverso quid de Missa?* Rz. 1. Missa negat, vivos & mortuos habere remissionem peccatorum propter unicam Christi passionem. 2. Falsò persuadet hominibus, vivos & mortuos, consequi remissionem peccatorum per hoc ipsum sacrificium missaticum corporis Christi sub specie panis, quotidie à sacrificulis, etiam pro mortuis in purgatorio laborantibus, offerendum.

III. Q. *Secundum oppositionis membrum quodnam est?* Rz. S. Cœna testatur, nos per Spiritum S. inseri Christo, qui jam &c. In Missa autem docetur, Christum corporaliter sub &c. Q. *Hic iterum veritatis & falsitatis audio conflictum: quapropter quæ sit veritas, & quomodo de ea testetur S. Cœna, paulò distinctiùs indicari cupiam?* Rz. 1. Veritas Evangelica est, nos per Spiritum S. inseri & uniri Christo: eamque unionem effici manducatione carnis & bibitione sanguinis Christi, *Joh.* 6: 56. non orali tamen, sed spirituali, ibid. v. 63. de qua suprà ad Quæst. 76. De hac porrò unione S. Cœna testatur, quippe quæ sacramentum est unionem illam significans & obsignans per symbolicam manducationem panis & bibitionem vini, quæ ore sumpta substantiæ corporis nostri adjunguntur. Inde adeò panis *communio corporis Christi* vocatur, 1 *Cor.* 10: 16. & allusione ad poculum Eucharisticum facta *omnes in unum Spiritum potati* dicimur, 1 *Cor.* 12: 13. Q. *Hanc veritatem quomodo impugnat Missa?* Rz. Missicolæ negant satis esse, redemptos per Spiritum S. Christo inseri & uniri in unum corpus mysticum, ad id necessarium esse fingentes, ut Christi corpus sub specie panis &c. ore percipiatur à communicantibus. *Secundum membrum.*

IV. Q. *Tertium oppositionis membrum quodnam?* Rz. Cœna docet. 1. Christum secundùm naturam humanam tantùm in cœlis esse, *Act.* 1: 11. & 3: 21. 2. Christum in cœ- *Tertium membrum.*

in cœlis ad dextram Patris considere, in cœlo regnare, ibique etiam ut sacerdotem pro nobis interpellare, *Heb.* 8: 1. & 9: 24. proinde in cœlo, veluti tabernaculo suo, fide agnosci, glorificari atque adorari velle. Id autem Cœna docet eô ipsô, quòd celebratur ad annuntiandam mortem Domini, donec è cœlo rediverit ad judicium, 1 *Cor.* 11: 26. Q. *Quid verò Missa?* Rz. Ea docet. 1 Christum corporaliter sub speciebus panis & vini esse, adeoque secundum humanam naturam etiamnum in terra habere tabernaculum. 2. Ibi adorari velle.

Porisma. 1. *Missa unici sacrificii Christi est abnegatio.*

V. Q. *Ex hac tergemina antithesi quid concludis?* Rz. Ipsum Missæ fundamentum nihil aliud esse, quàm abnegationem unici illius sacrificii & passionis J. Christi, & exsecrandam idololatriam. Obj. *Cùm per missæ sacrificium Christi sacrificium repræsentari, nobisque applicari dicant Papistæ, hoc utique abnegare non videntur.* Rz. Si applicatio ibi peragitur, ergò non sacrificium, cùm applicatio fiat hominibus, sacrificium autem offeratur Deo. 2. Ut sacrificium Christi non negent, attamen *unicum* esse & sufficiens eô ipsô negant, quòd idem per novum sacrificium applicari velint. 3. Novum hoc sacrificium remissionis peccatorum impetratorium, eôque ipsô etiam propitiatorium & meritorium, statuunt: ergò *unicum* illud abnegant. 4. Etsi eundem Christum in cruce cruentô, in missâ incruentô modô offerri velint, nemo tamen dixerit, actionem sacrificuli missificantis eandem esse cum actione Christi sese in cruce offerentis: unde rursus consequitur, per sacrificium Missæ abnegari *unicum* Christi sacrificium.

2. *In missa committitur Idololatria exsecranda.*

VI. Q. *In missa exsecrandam committi idololatriam qui verò ostendis?* Rz. Non eò solùm, quòd divina virtus sacrificio missatico per summam superstitionem affingitur, sed maximè quòd panis consecratus cùm à sacerdote, tùm ab universa concione adoratur: quô certè abjectius idololatriæ genus fingi nequit. Costerus Jesuita fatetur, *si in sacramento Eucharistiæ verum Christi corpus non continetur*, id qui credunt, *in tali errore atque idololatria* hærere, *qualis in orbe terrarum*

rum nunquam vel visus vel auditus fuit, &c. Enchirid. Controv. cap. 1. Utique: quid enim vilius, quàm adorare, quod pòst sumptum deglutias, nempe frustum panis. Ægyptii insecta fecere Deos, sed non devorarunt. Vitulum aureum comminutum & aquæ insperſum Israëlitis bibendum dedit Moses, ostensurus, quem fecissent Deum: neque enim ejus facti indignitas carnali populo luculentius ob oculos poni poterat, ut viderent, se reapse feciſſe גלולים *Deos stercoreos* quos Scriptura vocat, 11. Ezech. 8: 10. 14: 4. & 22: 3. Unde etiam post seculum XI. (antè enim Christianis θεοφαγίαν à Gentilibus, Judæis aliisve opprobratam non legimus) nihil unquam fuit, quod infideles à Christianismo magis alienârit, quàm Papistarum ἀρτολατρεία. Quis sine indignatione legat, quod Achmed Ben Edris, Muhamedanus, referente Cl. Hottingero, ante annos 500. inter alia scripsit? Christianos in Christum suum atrociores esse ipsis Judæis: hos enim Christum occisum reliquisse, illos verò occisi carnem edere & sanguinem haurire: quô nihil potest esse truculentius: vix enim quisquam, nisi Cazibes, Antropophagi, vel hostem occisum vorare sustinet. Eâdem idololatriæ exemplô quantoperè offendantur Judæi, videre est ex Quæstionib. Jud. apud Celeb. Coccej. Quæst. 42. *Si arcam Dei, in qua solùm repositæ erant tabulæ legis, attrectans Uza, veritus ne caderet, statim exanimatus concidit, quî fit, ut hostia, quam Christiani pro ipsomet Deo ostentant, semel coram Pontifice, & alio rursus tempore coram rege Hispaniæ attrectata sit & pedibus conculcata ab Anglo, nec divina vindicta eum apprehendit. Tùm si hostia Deus est, cur situ obducta corrumpitur? Cur à gliribus & muribus corroditur?* Obj. *Atqui Missicolæ persuasum habent, Christum sub specie panis corporaliter præsentem, adeoque adorandum esse?* Obj. Papist.

Rz. 1. Quando tamen ex verbo Dei & analogia fidei contrarium constat veritatem amanti, esto sane hactenus hoc ipsorum factum idololatria *materialis*, quam vocant Scholæ. 2. Numquid gentilem idololatram negabimus, quando conscientiæ suæ dictamen malè applicans sic concludit; *Deus est adorandus: Jupiter lapis est Deus: Ergo* &c. Resp. Ut ostenditur, Missicolas esse idololatras.

Peccat

Peccat si adoret, idololatra: peccat, si non adoret, conscientiæ religionem insuper habens: sed in has angustias redigitur, ut pœnas det non amatæ veritatis. *Quia non receperunt amorem veritatis propterea mittet eis Deus* ἐνέργειαν πλάνης, *ut credant mendacio*, 2 *Thess.* 2: 10, 11. 3. Idololatræ sunt eô, quòd ex symbolo, passionem Christi significante, ejusque communionem obsignante, faciunt במה *celsum*, sive locum præsentiæ Dei, ubi adorent. Volebat sanè Deus in Vet. T. adorari ad arcam, tanquam *insidens Cherubinis*, *Psal.* 99: 1. idque uno duntaxat in loco. Id verò qui imitabantur alibi, ut Jeroboam; constitutis in Dan & Bethel vitulis, & qui in celsis sacra faciebant, pro idololololatris habebantur. Multò magis ergò pro talibus habendi, qui sub Novi Test. œconomia hôc peculiari locô, non illô, adorandum pertendunt & adorant, contra *Esai.* 66: 1, 2. *Joh.* 4: 21, 22. &c. 4. Taceo, Papistas certâ fide persuasos esse non posse, Christum esse, quem in Missa adorant, si sua sequi velint principia. Ad conficiendum enim Eucharistiæ sacramentum tot requirunt conditiones, de quibus in alterutram partem nulla datur πληροφορία. Anceps periculum produnt inania & ludificatoria remedia, quæ excogitârunt, veluti; *sufficere*, *quòd adorans in habitu hanc habeat conditionem*, *videl. si consecratio debitô modô facta est*, &c. vel, *adoro te*, *si Deus es*. Inverecunda verò hæc est idololatriæ excusatio, perinde ac si mulier alieni viri amplexibus implicita, de quo dubitet, sitne ille ipse maritus, an extraneus, pulchrè se excusatam putet, si inter ipsa basia atque amplexus cogitet aut dicat, si sis maritus meus, te osculor atque amplector: sin extraneus sis, non te osculor, neque amplector. Ubi protestatio est contraria facto.

Addenda.

Status quæstionis de præsentia corpo-

I. Quia quod in Missa Deo offerri fingitur sacrificium & quæ ibidem committitur idololatria', pro fundamento habent præsentiam Christi corporalem in Cœna, eam paucis refellemus argumentis. Sit igitur quæ-

quæstio, verbis Concilii Trid. Sess. XIII. can. 1. &c. sic concepta; *An in sanctissimo Eucharistiæ Sacramento sub speciebus panis & vini verè, realiter, & substantialiter contineantur corpus & sanguis unà cum anima & divinitate Domini nostri Jesu Christi?* Affirmant id Tridentini, & secùs sentientibus anathema dicunt. Nos negamus seqq. rationibus. *ris & sang. Christi in S. Cœna.*

II. *Prima* esto: Corporalis illa præsentia piæ antiquitati fuit incognita. Primi opinionis istius authores fuere imaginum cultores seculô VIII. circa A. C. 740. Imaginum oppugnatores & iconoclastæ solam Eucharistiam pro legitima Christi imagine agnoscebant. His se fervide opposuit Joh. Damascenus, insanus iconolatra, contendens panem & vinum non esse corporis & sanguinis Christi figuram, sed ipsummet Domini corpus divinitate affectum, quippe cùm Dominus ipse dixerit, *hoc est* non corporis signum, sed *corpus* &c. *lib. 4. de orthod. fide, cap. 14* Eandem sententiam secunda Synodus Nicæna pro religioso imaginum cultu habita comprobavit, A. C. 787. sequente seculo agitari cœpit in Occidente quæstio de Eucharistia: *Paschasio* Ratberto, Abbate Corbejensi, & *Amalario*, Episcopo Metensi, substantialem quandam conversionem & præsentiam introducentibus. Errori sese opposuerunt Rabanus Maurus, Archiep. Mogunt. & Bertramus ejusd. Corbej. Monasterii monachus: quos post secuti sunt alii, &c. 1. *Ratio adversus substantialem præsentiam corporis & sang. Christi in Sacramento Eucharistiæ.*

III. *Secunda* ratio: Errori occasionem præbuere verba Christi malè intellecta, *Hoc est corpus meum* &c. de quorum sensu suprà vidimus. Sit igitur *Tertia* ratio: Christus disertè vetat fidem præsentiæ corporis sui in terra, quæ sit inconspicua; & addit rationem, quia præsentia sua fulguris instar futura sit, quod nullo opus habet indice, *Matth. 24: 23, 26, 27.* 2. *Ratio.* 3. *Ratio.*

IV. *Quarta* ratio: Præsentia corporalis adversa fronte pugnat cum fide ascensionis Christi in cœlum, uti liquet *Joh. 6: 61, 62, 63. Hoccine vos offendit? Quid si igitur conspiciatis Filium hominis ascendentem, ubi erat prius?* In quibus verbis non esse difficultatis amplificationem, sed solutionem, probo; 1. Quia à bonitate 4. *Ratio.*

tate Christi alienum est, post longiorem sermonem auditoribus suis non suppeditare, unde animum suum dubiis expediant. 2. Quia addit rationem, *Spiritus est qui vivificat, caro non prodest quicquam. Verba, quæ vobis dico, spiritus sunt & vita sunt:* quæ ratio solventis est difficultatem, non exaggerantis.

5. *Ratio.* V. *Quinta* ratio: Christus, teste Scriptura S. habuit corpus ἐν ὁμοιώματι ἀνθρώπων, item, ἐν ὁμοιώματι σαρκὸς ἁμαρτίας, *Phil.* 2: 7. *Rom.* 8: 3. nobis *per omnia factus similis, excepto peccato*, *Heb.* 2: 17. & 4: 15. Firmâ igitur fide tenendum est, Christum assumsisse verum corpus humanum, de quo aliud quàm de corpore cæterorum hominum prædicari non possit, finitum ergò, extensum, palpabile, suis dimensionibus circumscriptum. Quod si contrarium nobis esset credendum, id haud dubiè quàm clarissimè fuisset revelatum in verbo Dei, ne quod lumini rationis adversatur, & ideas menti innatas evertit credentibus erroris vel suspicio supereſſet. Id verò cùm factum non sit, non est, cur contra Scripturam & Rationem credamus, corpus Christi esse posse, vel esse in cœlo *circumscriptivè* per modum corporis: in Eucharistia verò *definitivè* per modum Spiritûs.

VI. Sacrificio Missæ speciatim opponi potest. I. Quòd in N. T. nulli nobis nominantur Sacerdotes externi, ne quidem ubi numerus & natura munerum Evangelicorum describitur, *Eph.* 4: 11. Contra universi fideles vel ideò sacerdotes appellantur, ne sacerdotium munus in Ecclesia N. T. publicum certoque hominùm ordini commissum credatur. Missificorum Sacerdotium referre ad ordinem Melchizedeci, eorum est, quos volentes latet natura Sacerdotii Melchizedecici, descripta Apostolo *Heb.* 7. Nec, si Christus ministros habet, qui ipsi summo Prophetæ & Regi in colligenda, ædificanda & propaganda Ecclesia subserviant, 2 *Cor.* 5: 20. sequitur & *vicarios* atque *suffraganeos* habere in sacerdotio, *per quos id faciat, quod ipse per se visibiliter & humano more in terris non facit*: ob summam officii sacerdotalis & prophetici disparitatem respectu redemptionis & collectionis Ecclesiæ.

II. Quòd

II. Quòd sacrificii quotidiani oblatio consistere non potest cum unitate, virtute & merito sacrificii Christi, quod multis ostendit Apost. *Heb.* 7: 27. & 9: 12, 25, 26, 28. & 10: 10, 11, 12, 14, 18. III. Quòd ad verum sacrificium, docente Bellarm. *lib. I. de Missa, cap.* 2. requiritur rei Deo offerendæ destructio. Atqui nullam realem corporis Christi destructionem in Missa fieri vel ipsi adversarii confitentur. Distinguere inter *esse naturale* & *sacramentale*, quasi Christus, non quidem illud, sed hoc amittat, desinens esse sub speciebus, indignum planè & pudendum est: sic enim in ore demum vel ventriculo Sacerdotis sacrificaretur. Neque *esse sacramentale*, quod nihil nisi esse significativum est, nostrum sacrificium esse potest. IV. Quòd in prima Cœna nullum oblati sacrificii & instituti sacerdotii vestigium apparet. Plura videsis apud Coccej. *Sum. Theol. cap. LXVI.* Cl. Heidegg. *Anatome Concil. Trident. Sess. XXII. Quæst. I.* Concludo verbis B. Calv. *Quid superest, nisi ut cæci videant; surdi audiant; pueri intelligant, hanc Missæ abominationem? quæ in calice aureo propinata omnes reges terræ & populos, à summo usque ad novissimum, sic inebriavit, sic percussit sopore ac vertigine, ut brutis ipsis stupidiores, proram & puppim suæ salutis in hac una exitiali voragine statuerint.* Quô ipsô monemur, quantæ fuerit gratiæ, Deum nos divina Evangelii luce collustratos ab errantium communione eripuisse. Faxit Deus, ut tanti beneficii identidem memores, nos totos in templum sanctum Domino consecremus, precesque, laudes, gratiarum actiones, corpora denique nostra, hostiam viventem, sanctam, acceptam Deo, rationalem cultum offeramus: hoc enim est sacrificium illud εὐχαριστικὸν, ad quòd offerendum Christus

nos fecit sacerdotes Deo & Patri suo: cui gloria & imperium in secula seculorum.

Apoc. 1: 6.

Quæstio LXXXI.

Quibus accedendum est ad mensam Domini?

TAntùm iis, qui verè dolent, se suis peccatis Deum offendisse: confidunt autem, sibi ea propter Christum remissa esse, & quas reliquas habent infirmitates, eas passione & morte illius obtectas esse, quique desiderant magis ac magis in fide & integritate vitæ proficere. Hypocritæ autem, & qui non verè resipiscunt, damnationem sibi edunt & bibunt.

ANALYSIS.

Quartum membrum doctrinæ de S. Cœna est de subjecto recipiente.

I. In Quæst. obs. 1. Supponi, non quibusvis promiscuè concessam esse potestatem hisce utendi symbolis. 2. Quæri, quibus ergò jus sit accedendi ad mensam Domini.

II. In Resp. definiuntur digni & indigni convivæ.

1. Digni describuntur à tribus adjunctis, sive characteribus; nempe 1. Sincerâ pœnitentiâ; *qui verè dolent* &c. 2. Fide; *confidunt autem* &c. 3. Desiderio proficiendi in fide &c.

2. Indigni pariter notantur, sunt *Hypocritæ*

pocritæ & qui non verè *resipiscunt*: quos ab usu S. Cœnæ absterret argumentô ab effectu noxiô; *damnationem sibi edunt*, &c.

EXEGESIS.

Quæstionis quæ mens.

QUando hæc quæstio *supponit, non omnibus jus esse accedendi ad mensam Domini, quis suppositionis sensus est?* R. Non sanè, quasi vocatio distinctionem faciat: enim verò ut Christus est ἱλαστήριον omnibus propositum, *Rom.* 3: 25. sic etiam symbola fœderis hactenus sunt exposita omnibus. Nec igitur is sensus est, quasi cuiquam symbola ista sacra asperna ri, & ab illorum communione, temerè abesse liceat. Verùm hæc suppositionis mens est; Cùm hæc sint symbola fœderis, nemini potestatem esse illa usurpandi, Deumque per illa tanquam ἐπιρρήματα conveniendi, ejusque in gratia & Christi justitia gloriandi, nisi qui se fœderatum Dei probaverit. *Improbo dicit Deus: quid ad te, recensere statuta mea, & ut sumas fœdus meum in os tuum? Psal.* 50: 16.

Indignis convivis tria requiruntur.

II. Q. *Quos igitur dignos dicis convivas?* R. Catech. ostendit tria esse, quæ quidem habere & in se sentire oporteat illos, qui in bona conscientia symbolis hisce uti velint. Q. *Primum quodnam est?* R. Pœnitentia sive dolor de admissis peccatis; *Tantùm iis, qui verè* dolent. Pœnitentiam illam necesse est I. Esse sinceram, quâ verè doleas ex animo, non tantùm dolere te simules, verbis & vultu ad lugentis speciem compositis. Unde *contritio cordis* dictus ille dolor in Scriptura, & *Spiritus fractus* multitudinis numerô *sacrificia Dei*; ut sacrificium intelligas omnibus hostiis ritualibus contrà earum, & præferendum, *Psal.* 51: 19. II. Proficisci non jam solùm à pœnæ metu, sed ab amore Dei, & sensu turpitudinis peccati: ita quidem, ut peccâsse doleat, quia in peccato est dissimilitudo Dei, contaminatio nominis & fraudatio honoris divini, adeóque summa Majestatis ejus offensio,

I. Pœnitentia seria & sincera.

quam consequitur alienatio à Deo, qui unum hominis Bonum est. De quo ampliùs ad Quæst. LXXXIX.

Notantur qui pro contritione substituunt attritionem.

III. Q. Hîc cavenda fraus eorum, qui pro *contritione* substituunt *attritionem*; inter quam & illam hoc interesse volunt, quòd *illa* cum charitate Dei conjuncta sit, & ante Sacerdotis absolutionem peccatorum veniam impetret, dummodò votum confitendi non desit: hæc verò charitate Dei destituta ex metu gehennæ &c. proficiscatur: cujus tamen eam esse dicunt virtutem, ut accedente absolutione sacerdotali justificet. Absurdè verò: 1. Quia hôc pactô fœdus Dei, quod gratiæ est, mutant. 2. Ostendunt Deo gratos esse posse, qui Deum aversantur & fugiunt. Quid enim horror conceptus ex ira Dei sine charitate aliud; quàm fuga Dei? 3. Horrore iræ divinæ perculsum abstinere à peccatis illis crassioribus, quæ mortalia vocant, hypocritica pœnitentia est: horror enim ille continet quidem manum, sed non animum; premit cupiditatem, sed non perimit.

II. Fides.

IV. Q. *Secundum, quod habere & in se sentire necesse est dignum convivam, quodnam est?* R. Fides, quam, ut suprà Quæst. XXI. sic & nunc interpretatur fiduciam remissionis peccatorum propter Christum, &c. *Confidunt autem, sibi ea &c.* Ubi peccata distinguit. Confidunt sibi remissa esse non solùm peccata ante fidem & hactenus commissa, sed etiam reliquas infirmitates, h. e. reliquias peccati inhærentis, sive originalis. Quando eas dicit *obtectas*, respicit ad *Psal.* 32: 1. *Beatus, cujus peccatum obtectum est.* Quæ etiam vis est verbi כפר *inducere, obliterare, expungere debitum & reatum*: cujus usus in Scriptura frequens. Obj. *Ergone qui hanc fiduciam non habentes ad Christum tamen confugiunt, cum fame & siti, indignos dices convivas?* R. Minimè verò: quia ad illam fiduciam connituntur sitientes, & fiduciæ radicem habent in suo ad Christum refugio; unde *beati* prædicantur, *qui esuriunt & sitiunt justitiam, Matth.* 5: 6. *qui confugiunt ad ipsum, Psal.* 2: 12. Quid? quòd Cœna S. esurientibus parata; fiduciam non jam modò foveat & corroboret eam habentibus, sed etiam det trepidantibus & tantam gratiam sibi

sibi vendicare non audentibus. Huc facit etiam tertium illud, quod dignos convivas habere jubet Catech.

V. Q. *Tertium igitur requisitum quodnam est?* R. Desiderium proficiendi in fide & integritate vitæ, sive studio obedientiæ: quod veræ & ingenuæ fidei dignoscendæ κριτήριον est. Fides enim cum tali desiderio, proposito atque studio proficiendi non conjuncta nil nisi temeraria opinio est, quâ peccator de sua impunitate præsumit, etsi in peccatis maneat; quæ fides *mortua*, *Jac.* 2: 17. quia hominum in peccatis mortuorum est, & ad cadaveris verminium pertinet: mortua item, quia, instar arboris emortuæ, sterilis est. *III. Desiderium proficiendi in fide & novæ obedientiæ studio.*

VI. Q. *Dixisti de dignis convivis, quosnam vocas indignos?* R. Eos etiam Catech. suis notat characteribus. Sunt I. *Hypocritæ:* quales sunt 1. Qui quod sciunt se non credere, credere se simulant & *dicunt*, *Jac.* 2: 14. 2. Qui sese fidelibus quomodocunque in moribus assimilare student, non ut obedientes Deo, sed quærentes gloriam apud homines. 3. Qui sibi veram fidem habere videntur, cum gaudio aliquo recipientes Evangelium, sed non habent radicem, *Matth.* 13: 20, 21. II. *Impœnitentes*, qui non vere resipiscunt, quos hactenus sic distinguere licet ab hypocritis, quòd hi fidem atque pœnitentiam simulent: illi verò & verbis & factis palàm impœnitentes sese probent. Q. *Quô argumentô hos & illos Catech. à S. Cœnæ communione absterrendos vult?* R. Propositô ipsis periculô graviſſimô *damnationem sibi edunt & bibunt*, 1 *Cor.* 11: 29. Quod rectè utentibus salutare est, in venenum ipsis vertitur: *rei fiunt corporis & sang. Christi*, v. 27. in societatem & consortium veniunt eorum, qui Christum crucifixêre. Q. *Quid ergò manducant & bibunt indigni convivæ?* R. Teste Apostolo, indignè edunt & bibunt panem & vinum, v. 28, 29. non autem ipsum corpus & sanguinem Christi percipiunt. Obj. *Quomodo igitur rei fiunt corporis & sanguinis Christi?* R. Certè non manducatione corporis Christi, &c. quæ nisi fide, & operante Spiritu fidei, fieri nequit, & semper *Indigni convivæ* 1. *Hypocritæ.* 2. *Impœnitentes*

Quomodo rei fiant corporis & sanguinis Christi.

salutaris est, *Joh.* 6: 53, 54, 63. sed ea de causa, quòd non discernunt corpus Domini v. 29. h. e. 1. Quanquam videri velint panem illum &c. veluti sacrum habere, tamen sine fide accedentes ut profanum tractant. 2. Indignè edentes, quod datum est ad recordationem Domini & annunciationem mortis ejus cum glorificatione, non recordantur Domini, &c. atque ita non distinguunt *corpus Domini*, imò ipsum *Dominum*; quasi nihil amplius esset, *Dominum*, *Dominum gloriæ*, *rupem salutis*, *sanctum illud Domini*, probris affici, crucifigi & occidi, quàm maleficum aliquem, aut saltem hominem vulgarem: quod Apostolus dicit *sanguinem Novi Test. profanum ducere*, *Heb.* 10: 29.

Quæstio LXXXII.

Suntne illi ad hanc Cœnam admittendi, qui confessione & vita se infideles & impios esse declarant?

NEquaquam: *Nam eo pacto fœdus Dei profanatur, & ira Dei in universum cœtum concitatur: quocirca Ecclesia ex præscripto Christi & Apostolorum, hos clavibus regni cœlorum utens, à cœna arcere debet, quoad resipuerint & mores mutaverint.*

ANALYSIS.

I. Hîc de officio Ecclesiæ circa alios indignos convivas, videl. professos infideles, & manifestos peccatores, quæritur.

II. Quærenti, an si maximè cupiant, ad hanc Cœnam sint admittendi, Catech. ita respondet, ut

1. Aperte

1. Apertè neget, admittendos esse, duobus argum. ab effectu noxio petitis. 1. *Nam eô pactô fœdus D. profanatur.* 2. *Et ira Dei in &c.*
2. Officium Ecclesiæ circa tales explicet; *Quocirca Ecclesia* &c. Ubi habes. 1. Officium expressum verbis, *tales arcere debet.* 2. Officii descriptionem ex circumstantiis.

EXEGESIS.

Quæstionis sensus.

NOnne jam præcedente *Quæst. de indignis convivis quantum satis est dictum?* Rz. Præcedens Quæstio spectat officium eorum, qui Sacramentô Cœnæ uti volunt: hæc est de officio Ecclesiæ in eos, qui ut admitti maximè velint, tamen arcendi sunt. Q. *Tales autem quinam sunt?* Rz. I. Professi infideles: *qui confessione se infideles declarant*, ut habet Catech. Q. *Ergone qui sunt extra Ecclesiam infideles, quales Judæi, Muhamedani, &c.* Rz. Minimè de his enim non judicat Ecclesia, 1 *Cor.* 5: 12, 13. Antichristianorum mos est exstirpandos judicare, qui vel non Christiani, vel non sui dogmatis sunt, & prohibere usum fori signaturam bestiæ non suscipientibus, *Apoc.* 13: 17. Quæstio enim est de iis, qui, utut indigni, ad sacram communionem admitti, adeoque pro membris Ecclesiæ haberi volunt: quales sunt 1. Qui principium & fundamentum fidei non tenent. 2. Qui aliud fundamentum ponunt, vel credunt atque docent, quod cum fundamento componi non potest, fundamentum vel totum, vel partem ejus convellentes & abnegantes, quod faciunt sectarii, hæretici, &c. II. Qui se vitâ impios declarant, sepositâ hypocriseos larvâ, manifesti peccatores, &c. Hos & illos Catech. meritò negat admittendos.

Quare à Cœna arcendi, qui confessione & vita

II. Q. *Qua de causa?* Rz. I. Quia eô pactô fœdus Dei profanatur. Fœdus intellige, quod facimus 1. cum Deo, *Psal.* 50: 5. per *subjectionem adstipulationis nostræ in Evangelium Christi*, 2 *Cor.* 9: 13. Deoque de

se infideles & impios declarant.

suo amore & gratia testanti in verbo suo dicimus *Næ;* & mandanti obsequium fidei dicimus, *Amen!* 2. Inter nos, quotquot bonæ conscientiæ testimoniô læti symbolis sacramentalibus utimur, dum scil. mutua fide nos obstringimus ad studium verba Dei loquendi, in viis Dei ambulandi, *unô humerô* Deo *serviendi*, *Zeph.* 3: 9. fratres amandi, &c. quandoquidem *unus panis unum corpus multi sumus*, 1 *Cor.* 10: 17. Hoc porrô fœdus Dei profanatur 1. Admissis *qui confessione se infideles declarant.* Sic enim Ecclesia tales admittens credere & concedere videbitur, falsam doctrinam tenentes fœderatos atque amicos esse Dei, adeoque Deum per mendacium posse glorificari, quæ dubiô procul gravissima in Deum contumelia & fœderis divini profanatio est. 2. Admissis *qui vitâ se impios declarant.* Hos enim si admittamus, pessimos ipsorum mores nobis non displicere, Deum peccatori similem, contra *Psal.* 50: 21. & Christum caput esse posse eorum, qui suum & canum nomine infames sunt in Scriptura, reapse testabimur. Quæ rursus contumelia in Deum, & fœderis divini profanatio maxima est. Vide *Psal.* 50: 16, 17, 18, &c. Q. *Quô alio argumentô professos infideles & impios ad mensam Dom. admittendos negat?* R. II. Quia eô pactô ira Dei in universum cœtum concitatur, teste Apostolô 1 *Cor.* 11: 30, 31. *Propterea in vobis multi sunt infirmi & ægroti--- si enim nos ipsos discerneremus, non judicaremur.* Obj. Apostolus probans, judicium sibi edere, quotquot indignè edunt, *loquitur de illis, qui ipsi se non discernunt.* R. Eandem contrahunt culpam, qui sine discretione quosvis ad communionem sacram admittunt, aliena peccata, nempe peccata seipsos non discernentium, sua facientes, ea non redarguendo, & testimonium fœderatorum & fratrum perhibendo iis, quos nôrunt esse hostes: adeóque in locum veniunt seipsos non discernentium, suum facientes illud ipsum neglectæ discretionis peccatum. Vetamur autem communicare cum aliorum peccatis, & contrà jubemur *nos castos & puros servare a mundo*, *Jac.* 1: 27. 1 *Joh.* 3: 3. & 5: 18.

Officium Ecclesiæ

III. Q. *Cujus ergò officium esse dicis infideles & profanos*

fanos à mensa Dom. excludere? R. Ecclesiæ. Unde Catech. *Quocirca Ecclesia &c.* Judicium enim, quô scandalosus peccator excommunicatur, non est decretum unius vel paucorum, jurisdictionem in alios habentium, uti Papistæ fingunt, sed totius Ecclesiæ. *Dic Ecclesiæ: quod si Ecclesiam non audiverit, &c. Matth.* 18: 17. Unde Apostolus, quanquam apud se jamjam decrevisset incestuosum hominem tradere Satanæ, nihilominùs exspectare volebat consensum Ecclesiæ, 1 *Cor.* 5: 3, 4, 5. Q. *Quare hoc dicis esse officium Ecclesiæ?* R. I. Quia Christus id faciendum Ecclesiæ injunxit: unde Catech. *ex præscripto Christi, & Apostolorum*, qui Magistrum secuti sunt. Si frater peccans elencho unius vel plurium cedere nolit, deferendus est ad Ecclesiam, *dic Ecclesiæ*, inquit Christus, *si Ecclesiam audire dedignetur, sit tibi sicut Ethnicus, &c. Matth.* 18: 16, 17, *Scripsi vobis*, inquit Apost. *ne commisceamini, si quis frater nuncupatus, aut scortator, aut avarus --- ne quidem cum tali convivamini*, 1 *Cor.* 5: 11. quod etiam ad mensam Dom. pertinere negari non potest, quandoquidem eos, quibus in ea mensa assidemus, pro fratribus recognoscere videmur. II. Eandem ob causam Christus etiam Ecclesiæ claves regni cœlorum commisit, *Matth.* 18: 18. coll. *Matth.* 16: 19. Hinc Catech. *Quocirca Ecclesia hos, clavibus regni cœlorum utens, à cœna arcere debet:* ut qua potestate ἀλάλους & scandalosos excommunicet, intelligamus.

circa infideles & impios explicatur.

IV. Q. *Modus illius disciplinæ quis tenendus Ecclesiæ?* R. Hic gradatim procedendum monet Servator, loco sæpiùs citato. Præmittenda redargutio cùm privata, tùm publica, & utrobique opera danda, ut monitio acerbitate, & objurgatio contumeliâ careat. His ubi obstinatum habentes nihilô profecerint, tandem communione mensæ Dominicæ tantisper excludendi sunt, cum luctu super iis; & desiderio emendationis ipsorum, 1 *Cor.* 5: 2. Q. *Quô fine?* R. Non ut qui peccavit intereat, sed ut pudefactus resipiscat, Christo lucrifiat & servetur, *Matth.* 18: 15. 1 *Cor.* 5: 5. Q. *Quamdiu?* R. Donec resipuerint & mores mutaverint. Non igitur perpetua exclusio est, omnem veniæ & recon-

Exercendæ illius disciplinæ quis modus tenendus.

Quis finis spectandus.

ciliationis spem exclusis adimens, sed ad tempus usque emendationis continuanda. 2 *Cor.* 2: 6, 7, &c.

Quæstio LXXXIII.

Quid sunt claves regni cœlorum?

PRædicatio Evangelii, & Ecclesiastica disciplina: quibus cœlum credentibus aperitur, infidelibus autem clauditur.

ANALYSIS.

I. Occasione Resp. præcedentis, ubi clavium regni cœlorum facta mentio, quærit, *quid sint claves* &c. sive, quidnam eo nomine intelligendum?

II. Resp. Catech. describit claves regni cœlor. bifariam.

1. Distributione partium, quæ geminæ exprimuntur; *Prædicatio Evang.* & *Disciplina Ecclesiastica.*

2. Notatione, sive explicatione nominis ex fine, vel usu contrario circa objecta contraria; *Quibus cœlum credentibus* &c.

Quæstio LXXXIV.

Quô pactô aperitur & clauditur regnum cœlorum prædicatione Evangelii?

CUm ex mandato Christi credentibus universis & singulis publicè annuntiatur

tiatur, omnia peccata ipsis divinitùs propter meritum Christi condonari, quoties promissionem Evangelii verâ fide amplectuntur: Contrà verò omnibus infidelibus & hypocritis denuntiatur, tantisper ipsis iram Dei & æternam condemnationem incumbere, dum in suis sceleribus perseverant, secundùm quod Evangelii testimonium Deus tàm in præsenti, quàm futura vita judicaturus est.

ANALYSIS.

Prior clavis Oeconomiæ Ecclesiast. describitur ab usu & efficacia.

I. *Usus* ex objectis distinguitur: cùm enim in Ecclesia alii fideles sint, alii infideles & hypocritæ, illis hac clavi regnum cœlor. aperitur, his clauditur.

Quod ad usum hujusce clavis *circa fideles* attinet docet Catech. 1. Qua authoritate. 2. Quô modô. 3. Quibus. 4. Qua conditione, regnum cœlorum aperiatur.

Quantum ad usum ejusdem *circa infideles*, rursum docet Catech. 1. Qua authoritate. 2. Quô modô. 3. Quibus. 4. Quamdiu, regnum cœlorum claudatur.

II. *Efficacia* exprimitur verbis; *Secundùm quòd Evangelii testimonium* &c.

Quæstio LXXXV.

Quô pactô clauditur & aperitur regnum cœlorum per disciplinam Ecclesiasticam?

Cùm

Cùm ex mandato Christi, ii, qui nomine quidem sunt Christiani, verùm doctrinâ aut vitâ se ostendunt à Christo alienos, postquam aliquoties fraternè admoniti, ab erroribus aut flagitiis discedere nolunt, Ecclesiæ indicantur, aut iis qui ab Ecclesia ad eam rem sunt constituti. Ac si ne horum quidem admonitioni pareant, ab iisdem interdictione Sacramentorum ex cœtu Ecclesiæ, & ab ipso Deo, ex regno Christi excluduntur: ac rursum, si emendationem profiteantur & reipsâ declarent, tanquam Christi & Ecclesiæ membra recipiuntur.

ANALYSIS.

Alteram clavem, quæ disciplinâ Eccl. continetur, describit Catech. contrarios actus, occlusionem & apertionem, seorsim explicando.

I. Occlusionem 1. definit verbis; *interdictione sacramentorum ex cœtu Ecclesiæ excluduntur.* 2. Declarat à circumstantiis. א. Causa impulsiva: *mandato Christi.* ב. Subjecto, quod sunt *nomine quidem Christiani, verùm* &c. ג. Forma certis gradibus distincta, *postquam aliquoties fraternè admoniti* &c. ד. Efficacia, *Et ab ipso Deo ex regno Christi excluduntur.*

II. Apertionem regni cœlorum 1. Definit; *Et rursum tanquam Christi & Ecclesiæ membra recipiuntur.* 2. Exponit conditiones; *si emendation em profiteantur* &c.

EXE-

EXEGESIS.

Nexus.

DOctrinæ *de S. Cœnæ quare subjicitur tractatio de clavibus regni cœlorum?* R. Connectuntur duo ista doctrinæ capita, quia in usu S. Cœnæ disciplina Ecclesiastica, quæ clavium potestate significatur, ex parte exercetur, uti seqq. docebunt. Q. *Phrasis ista* claves regni cœlor. *unde huc est translata?* R. Ex sermone Christi ad Petrum, *Matth.* 16: 19. Q. *Propriane est an figurata?* R. Metonymica & Metaphorica est. Sunt enim *claves* signum traditæ potestatis, qualem habent Oeconomi & dispensatores. Non igitur jurisdictionis sed ministerii potestas est. *Sic nos reputet homo, ut ministros Christi, & œconomos mysteriorum Dei,* 1 *Cor.* 4: 1. Q. *Quare numero plur.* claves, *non* clavis, *dicta illa potestas?* R. Quia gemina potestas est. Unde Catech. quærenti, *quid sunt claves regni cœlor.* responderi jubet per descriptionem earum ex distributione partium potestatis, quam significant: quas partes etiam deinceps, ut totidem claves considerat seqq. Quæstionibus.

Explicatio phraseos, claves regni cœlorum.

II. Q. *Partes illæ quænam sunt?* R. Prædicatio Evangelii, & Ecclesiastica disciplina. Q. *Rectene se habet hæc distributio?* R. Imò: annunciatur enim pax Evangelica vel in *genere* credentibus, & resipiscentibus: quod fit prædicatione Evangelii: vel in *specie* his illis personis, pro re nata, applicatur: quod maxime fit disciplinæ exercitiô. Pueros institui & pro necessitate castigari oportet. Quid vultis? *Cum ferula veniam ad vos, an verò cum charitate & Spiritu lenitatis,* 1 *Cor.* 4: 21. Q. *Qua verò de causa prædicatio Evang. & Ecclesiastica disciplina vocantur claves?* R. Causam docet Catech. petitam à fine & usu, quem, clavium usui similem, præstant; *Quibus cœlum credentibus aperitur, infidelibus autem clauditur.* Sicut earundem clavium usus est in aperiendo & claudendo, sic potestas clavium est potestas recipiendi & excludendi ex regno cœlorum, limitata tamen per fidem & infidelitatem, pœnitentiam & impœnitentiam eorum, in quos est exercenda, *Matth.* 18: 17.

Distributio potestatis clavium.

III. Q.

Cui datæ claves.

III. Q. *Cui data illa potestas?* R. Petro, *Matth.* 16: 19. omnibus Apostolis, *Joh* 20: 22, 23. Imò Ecclesiæ, *Matth.* 18: 18. Eas claves Christus *tanquam Filius super domum propriam*, *Heb.* 3: 6. abiturus commisit ministris suis.

Prioris clavis usus 1. In Regni cœlorum apertione.

IV. Q. *Prioris clavis, quæ est prædicatio Evangelii, quis est usus?* R. Alius ejus usus est circa fideles & hypocritas: illis regnum cœlorum aperitur, his clauditur. Q. *Hæc ut rectiùs intelligantur, de singulis quæram: primùm igitur, quomodo regnum cœlorum prædicatione Evang. aperitur?* R. Publica annuntiatione remissionis peccatorum divinitus factæ propter meritum Christi. vide Catech. Hæc summa Evang. prædicationis. Oportuit *prædicari in nomine Christi resipiscentiam & remissionem peccatorum in omnes gentes*, *Luc.* 24: 47. Hoc ministerium reconciliationis est, commissum Apostolis & legitimis eorum successoribus, 2 *Cor.* 5: 18, 19. Q. *Qua authoritate, cujusve mandatu, regnum cælor. sic aperitur?* R. Ex mandato Christi, ut habet Catech. vide *Joh.* 20: 22, 23. & testimonia mox citata. Q. *Quibus?* R. Credentibus 1. *Universis* in cœtu ad audiendum verbi præconium congregatis, *Marc.* 16: 15, 16. *Act.* 13: 14, 38. 2. *Singulis*, tibi, mihi &c. vide exemplum *Act.* 16. 30. &c. Q. *Qua conditione?* R. Quoties promissionem Evangelii amplectuntur. Quò ipsò constat, potestatem hanc non esse judiciariam, sed ministerii: dicere enim, peccata vobis divinitus condonantur, si resipueritis, non judicis, sed præconis est.

2. In Regni cœlorum occlusione.

V. Q. *Quomodo regnum cœlor. prædicatione Evangelii clauditur?* R. Denunciatione iræ Dei & æternæ condemnationis, rursum mandatu Christi facienda: ut ministerium præconis, non potestatem judicis, in pastore Ecclesiæ intelligas. Q. *Quibusnam ira Dei & æterna condemn. denunciatur?* R. Omnibus infidelibus, *Joh.* 3: 36. & hypocritis, *Matth.* 24: 51. *dividet eum* (brevis locutio, pro, *dividens familiam*, *segregabit eum*) *ac partem ei assignabit cum hypocritis* &c. Q. *Quamdiu?* R. Tantisper, dum in suis sceleribus perseverant, inquit Catech. scil. donec emendato vivendi more alios se nobis probaverint, eos tanquam fratres promissione

ne Evang. de remissione peccatorum consolari, iisque gratiam Dei gratulari non possumus: quin verius super ipsis tanquam iræ divinæ, & condemnationi æternæ obnoxiis lugendum.

VI. Obj. *Christus de clavium usu loquens dicit:* quicquid ligaveris &c. quicquid solveris &c. *Matth.* 16: 19. *non quicquid clauseris* &c. Rz. Claudere hîc idem est quod ligare; aperire idem quod solvere. Clavibus fores ligatæ dici possunt, quando clausæ postibus adhærent; solutæ contra, quando reclusæ à postibus avelluntur. Sic rem explicare malumus, quàm cum nonnullis recurrere ad morem veterum, quos in occlusione & apertione forium loramentis, & clavibus ad loramentorum nodos nectendos & solvendos aptatis, usos dicunt, quæ incerta. Cæterùm phrasi Judæis usitatissima אסר *ligare*, idem est quod prohibere, vel illicitum & lege vinctum declarare. חתיר *solvere*, idem quod permittere, vel licitum & lege solutum pronuntiare. Unde pòst etiam de persona reatu obstricta, vel soluta, judicium sit. Obj. *Aperire & claudere, solvere & ligare, plus significare videtur, quam annuntiare & denuntiare* &c. Rz. In usu Scripturæ S. solutionem factam annuntiare est *solvere:* contra hunc, illum, vinctum declarare est *vincire*, Quo sensu Sacerdos in V. T. leprosum, qui hactenus videbatur, mundum vel immundum pronuncians, *mundare* vel *polluere*, dicebatur, *Lev.* 13. Sic Jeremiæ dixit Deus: *Constitui te super gentes, & super regna, ad evellendum & proturbandum* &c. *Jer.* 1: 10. scil. Jeremias denuntiavit, quæ denuntiata Deus implevit: adeò ut quæ prædixerat Prophera haud minùs certò essent eventura, ac si eadem ipse faceret. Q. *Idemne hac in causa credendum?* Rz. Imò verò: Ea enim hujus judicii absolutionis vel condemnationis, quod Ecclesiæ ministri publicant, efficacia est, ut Deus id tàm in præsenti, quàm futura vita ratum esse velit, juxta *Matth.* 16: 19. *Quicquid ligaveris in terra, erit ligatum in cœlo* &c. ad de *Joh.* 20: 23. *Rom.* 2: 16. Q. *An ergò Ecclesiæ, ejusque ministrorum sententiam sequitur sententia Dei?* Rz. Nequaquam.

Explicatur phrasis, ligare & solvere.

Obj.

Resp.

Efficacia judicii absolutionis & condemn. quod Ecclesiæ ministrè publicant.

quaquam. Contrà, necesse est, ut sententia Ecclesiæ sequatur sententiam Dei, quia judicat ex præscripta formula & secundùm Evangelium. Obj. *Atqui verborum Christi ordo aliud docere videtur;* quicquid ligaveritis in terra, erit ligatum in cœlo &c. *Obj.* *Resp.* R. Id œconomicè intelligendum ex eo quod vulgò fit: velut, ubi paterfamilias peregre profecturus dispensatori legem præscripsit, reliquam familiam alloquens sic dicet; quicquid iste fecerit, ego fecero; quicquid iste jusserit, ego jussero; significans, familiæ non exspectandum esse suum reditum, quoties officium est faciendum: legem esse à se dispensatori præscriptam, indeque adeò fieri, ut quicquid illa lege damnabitur jure per dispensatorem, ipse vindex sit futurus. Q. *Numquid Ecclesia ejusque ministri errare non possunt?* R. Omninò, & quidem in rebus cùm jus, tùm factum spectantibus: neque adeò in rebus fidei & conscientiæ standum est hactenus Ecclesiæ judicio, nisi in quantum eas probaverit convenire verbo Dei. Hîc tamen metuendum non est, ne Ecclesia aut ministerium ejus fallatur, & quod judicaverit, ratum non sit in cœlo, cùm sententiam absolutionis & condemnationis ferat secundùm Evangelium, non absolutè, sed sub conditionibus, peccatorum remissioni aut retentioni annexis.

Altera clavis, disciplina Ecclesiastica. VII. Q. *Altera clavis regni cœlor. quænam est?* R. Ecclesiastica disciplina, sive judicium, quô verbum Evangelii ad certas personas applicatur &c. Q. *De ejus usu quærens Catech. quare regni cœlorum occlusionem præmittit apertioni, dicens,* quô pactô clauditur &c. R. Quoniam hîc non agitur de recipiendis illis, qui fidem confitentur & factis probant, de quibus præcedens fuit quæstio, sed de judicio atque censura in eos stringenda, qui cùm inter Christianos nomen profiteantur suum, Ecclesiam tamen erroribus vel scandalis turbant.

Ejus usus. VIII. Q. *Hujus clavis igitur quis usus?* R. Spectandus is est partim in occlusione, partim in reseratione regni cœlorum. Utriusque illustre exemplum proponitur in Corinthio illo incestuoso 1 *Cor.* 5. & 2*Cor.* 2. *I. In excommunicatione.* cap. Q. *Prior illa quomodo fit?* R. Exclusione ex cœtu Eccle-

Ecclesiæ per interdictionem Sacramentorum. Hinc vulgò Excommunicatio, & Censura Ecclesiast. dicitur. Q. *Qua authoritate vel mandato?* R. Christi, *Matth.* 18: 17, 18, 19. quod Apostolo repetitum, 1 *Cor.* 5: 4, 5. Q. *Quinam excludendi?* R. 1. Hactenus nomine quidem Christiani, verùm doctrinâ aut vitâ se à Christo alienos ostendentes. 2. Contumaces, qui meliora monentibus & redarguentibus cedere recusant. Hæretici ergò & impii, *Tit.* 3: 10. 1 *Cor.* 5: 11. Tales proinde habendi sunt isti, quales se esse testantur, tùm ut ne ipsi pereant per securitatem, non correpti; sed ut pudefacti resipiant: tùm ut ne cœtus ab ipsis, contagiô nocentibus, inficiatur: tùm ut ne fideles cum ipsorum peccatis communicent, eôque interitûs eorum rei fiant. Q. *Quomodo?* R. Non illicò ad exclusionem properandum, sed certis procedendum gradibus, quos Catech. distinguit ex *Matth.* 18: 15, 16, 17. *Primus* est admonitio privata, in casu delicti privati, ab uno vel pluribus, & ubi opus, aliquoties facienda. *Secundus* est refractariorum, qui iteratis fratrum admonitionibus non parent, ad Ecclesiam delatio: de qua Catech. *Ecclesiæ indicantur, aut iis, qui* &c. Refractarios ergò deferendi non una est ratio. Vel enim statim ad Ecclesiam sive cœtum fratrum, si parvus ille fuerit, deferri possunt, dummodo ne sine testibus nomen alicujus deferatur, de quo cautum voluit ipse Servator locô cit. vel, ubi Ecclesia major fuerit, Senioribus id curæ demandari potest, ut contumaces ad se delatos, causâ cognitâ, porrò admoneant, redarguant, &c. *Tertius* gradus est exclusio, quam sic comparatam oportet, ut redargutione ex verbo Dei publicè facta, præcedente Seniorum judicio, consentiente omnium suffragio, nemine saltem contradicente, fratrum nomine & numerô indigni judicentur: id quod cùm ex loco cit. tùm ex incestuosi exemplô liquet, 1 *Cor.* 5: 4, 5. Q. *Hujus judicii quæ tandem efficacia?* R. Exclusio ex regno Christi ab ipso Deo facta, *Matth.* 16: 19. quæ disciplinæ cohæret, ne brutum excommunicationis fulmen, sive irritus jactus, censeatur.

Quinam excommunicandi.

Quibus gradibus ad excommunicationem procedendum.

II. In receptione.

IX. Q. *Dixisti de occlusione, quomodò fit reseratio regni cœlorum?* R. Excluſorum *tanquam membrorum Christi & Ecclesiæ*, receptione in ſocietatem Eccleſiæ & communionem ſacrorum, 2 *Cor.* 2: 6, 7. Q. *Quibus conditionibus recipi possunt?* R. Si emendationem profiteantur, & reipſa declarent. Cauſæ igitur, ſine quibus non, ſunt emendationis *professio*, quæ verbis, & *demonstratio*, quæ factis conſtat. Unde veteribus uſitata ἐξομολόγησις & *ſatisfactio*: certa enim pœnitentiæ exercitia imponebantur excommunicatis; quibus Eccleſiæ pro ſcandalo ſatisfieri debuit. Excluſos autem, quorum comperta ſit reſipiſcentia, tutò recipere poteſt Eccleſia, quia amorem debet omni pœnitenti, & ſententiam Evangelii de venia reſipiſcentibus promiſſa mutare non poteſt.

Quinam & quibus conditionibus recipiendi.

Addenda ad Quæſt. 83. & 84.

Doctrinæ Catecheſeos noſtræ oppoſita doctrina Pontif. notatur.

I. Catecheſeos noſtræ doctrina Romanæ communionis doctorib. vehementer inviſa eſt. Unde Catech. Excalviniz. Author quærenti, *quid ſunt claves regni cœlorum?* Catechumenum reſpondere jubet; *Minimè prædicatio Evangelii, ſed Sacramentalis abſolutio, & Eccleſiaſtica diſciplina.* Illorum ſententia, uti ex Concil. Trid. *Seſſ.* XIV. c. 6. & Bellarm. *lib. III. de Pœnit. cap.* 2. conſtat, huc redit: 1. Sacerdotem locò Chriſti conſtitutum eſſe judicem ordinarium, qui de culpa & contritione confitentis peccata ſua judicet, cum vera poteſtate abſolvendi & ſententiam pronuntiandi per actum judicialem. 2. Illum igitur eſſe adeundum unicuique cum Deo reconciliari & peccatorum remiſſionem impetrare volenti. 3. Abſolutionem Sacerdotis eſſe Sacramentalem, h. e. certum ſignum atque pignus remiſſionis etiam in cœlo obtinendæ. 4. Si defuerit ſacerdos, defectum votò penſari. Cujus doctrinæ, &, quæ illi ſuperſtruitur, Confeſſionis auricularis & ſatisfactionis humanæ &c. vitia multis oſtenſa & ſolide refutata vide apud Calvin. *Inſtit. lib. III. cap.* 4. & 5.

Reſpondetur ad loca

II. Nequicquam verò ſuæ ſententiæ ut fidem firment, allegant loca, ſæpe nobis memorata, *Matth.* 16: 19.

16: 19. *Joh.* 20: 22, 23. Tenendum enim I. Verba, *quæcunque ligaveritis* &c. & *quorum remiseritis peccata* &c. non ad augendam Apostol. potestatem, sed ad confirmationem & consolationem tùm ipsorum, tùm resipiscentium, quotquot eos erant audituri, comparata esse: videlicet, ut tùm Apostoli inter tot difficultates, pericula & labores ministerii sui constantem & solidam suæ prædicationis certitudinem haberent, eamque scirent non vanam esse, nec inanem, sed potentiæ plenam ac virtutis: tùm deinde auditoribus certa fides fieret, illam Evang. doctrinam non Apostolorum esse sermonem, sed Dei ipsius; non vocem in terra natam, sed è cœlo delapsam. Non enim in hominis potestate hæc esse possunt, peccatorum remissio, vitæ æternæ promissio, salutis nuntium. II. Verba eo intelligenda sunt sensu, quò vera sunt, & falsa esse non possunt: atqui talis demùm est sensus, quem Catechetes noster defendit; nunquam enim falsum esse contingit, peccata remitti resipiscentibus. Ex adverso, si quod Pontificii contendunt, sacerdos peccata remittit absolutè ut judex, sæpè sæpius falsum erit, *quicquid solverit in terra, solutum iri in cœlo.* Enimverò fateri coguntur, sacerdotem à confitentibus falli posse & mendaciis deludi, ut contritum & verè pœnitentem judicet, & pòst absolvat, qui talem se mentiens ligari mereretur. *Matth.* 16: 19 *Joh.* 20: 22, 23.

III. Quærenti, *quid solidæ consolationis redibit ad peccatorem, cui venia promittitur tantùm sub conditione?* Resp. Consolationis fructum non intervertit promissioni annexa conditio fidei & resipiscentiæ, quippe de qua ex conscientiæ testimonio soli peccatori, non item sacerdoti, certò constare potest. Peccator igitur è verbo Dei informatus à ministro, longè certiora impetratæ remissionis peccatorum signa habet in sua fide & resipiscentia, quàm in absolutione sacerdotali: quia non, ubicunque absolutio fit sacerdotali, etiam certa est remissio. Neque sequitur, *si absolutio non fiat per actum judicialem, sed per nudam gratiæ Evang. annuntiationem, non plus consolationis fore peccatori ex prædicatione ministri, quàm cujuslibet hominis* *Conditionalis promissio veniæ non caret fructu consolationis.*

Excip.

Resp. *nis privati* : Minister enim publicus promissionum Evang. non solùm est præco sermone oris, sed etiam quasi sponsor authoritate muneris. Ut adeò ministri munus, quod sibi divinitùs demandatum gerit, peccatori pœnitenti & credenti certum prædicatæ veritatis sit pignus.

Obj. IV. Objicienti, *quando Christus Apostolis dicit*, quorumcunque remiseritis peccata, &c. *potestatem iis dat, definitè his, illis, peccata remittendi peccatoribus: Prædicatio autem Evangelii indefinita est*, &c. R. Prædicatio Evangelii non caret successu, Deo ostium fidei aperiente, *Act.* 14: 27. & remissionem peccatorum credentibus annuntiatam ratam habente. Etsi autem Evangelii præco personas, quibus remissa sunt peccata, nominatim & certò designare non possit, satis est sibimet esse notos, quotquot Evangelii præconiò sese convertos, & alios, atque fuerant hactenus, factos esse sentiunt. Hi demùm promissione Christi, in gratiam pœnitentium facta, *quorum remiseritis peccata, remissa erunt*, animum suum solari possunt. Excipis: quid? *si hic, ille, credens & respiscens audita promissione generali etiamnum de remissione peccatorum s. dubitet?* R. Pectoris sui vulnus aperiat ministro verbi ordinario, ut ex ore ejus audiens, sua sibi remissa esse peccata, animum tranquillare queat. *Ergò*, inquies, *ministris major est potestas, quàm hactenus concessisse videris, cùm hoc casu conditionalis absolutionis nullus sit usus. Quæ enim necessitas, de conditione consequendæ veniæ moneri eum, qui se verè credentem & respiscentem profitetur, interim consolatione opus habens, quâ frui non potest, nisi ministrum audiat absolutè dicentem*; remissa sunt tibi peccata, *confide modò, & anitmò esto bonò*. Resp. I. Habeat sanè minister hoc in casu, si ita velis, potestatem majorem, ea tamen non absoluti judicis sed præconis & consolatoris est. Medici enim ad instar ægrum interrogat, audit, vulnera aperiri petit, ut medelam afferat, &c. Ista verò peccatorem interrogandi potestas non provenit ex aliquo Dei mandato, cujus religione peccatores teneantur adire ministrum, in ejus sinum se exonerare, eique pecca-

Etiam indefinita prædicatio promissionis Evang. solamini est pœnitentibus.

Excip.

Resp.

Ministri, etiam, si ita usuveniat, sine ulteriore conditionate absolvendis potestas non judicis, sed præconis & consolatoris, potestas est.

peccata quæque, saltem mortalia, quorum post diligens examen meminisse queant, cum suis circumstantiis enumerare, & in aurem revelare, si ea sibi remitti velint: sed ipse peccatorum sensus, quô quisque angitur & afflictatur, hanc de peccatis interrogandi potestatem ministro facit: quemadmodum quò gravior ægrotantis est morbus, hôc major medico potestas in rem ejus consulendi, quod visum fuerit agendi. Quis neget, peccatori potestatem esse in sua inquirendi vulnera? quam verò ipse habet potestatem nonne ultrò dare potest ministro, quem accersit & consulit? II. Etsi hoc casu minister peccatorem conditionali absolutioni non acquiescentem, pro re nata absolvere possit sine conditione, potestas tamen illa judiciaria non est, cùm non absolvat pœnitentem ut judex, sed ut consolator, dicens; noli dubitare, quin & tibi dictum sit illud; *Confide fili, remissa tibi sunt peccata tua, Matth.* 9: 2. Quòd si peccator necdum acquiescens consolatoris locô judicem audire velit pro authoritate pronuntiantem, *absolvo te in nomine &c.* errorem dedocendus & meliora monendus est.

V. Dicta confirmantur locô *Jac.* 5: 16. *Confitemini vobis invicem lapsus, & precamini pro vobis invicem; ut sanemini.* Locutus v. 14, 15. de morbis corporalibus, nunc de morbo monet spirituali, quia hortatus ad mutuam confessionem & preces, addit; *ut sanemini*, nulla ampliùs facta mentione olei, quô in ægrotis sanandis usi fuerunt Apostoli. Spiritualiter autem ægrotant quàm maximè, qui gravi peccatorum sensu intra animum divexantur. Hos suas infirmitates atque mala aliis, etiam privatos privatis, communicare jubet Apostolus, ut consilio & consolatione mutua juventur. Peccatores enim non ad certum hominum ordinem, qui in causis pœnitentium constituti sint judices, adstringit, siquidem mutuam præcipit confessionem, eo demùm casu haud dubiè faciendam, quô quis peccatorum suorum sensu tactus sibi consulere non potest. Liberum ergò permittit delectum, ut ei confiteamur, qui ex toto fidelium grege maximè idoneus fuerit visus consolator. Et licèt proclive sit

Explicatur locus Jac. 5: 14, 15, 16. *de mutua peccatorum confessione.*

atque æquum judicare, pastores gregis officio consolandi omnium maximè esse idoneos, ad hos tamen non adstringit afflictum, consolationis cupidum, etiam hac in parte humanæ infirmitati prudenter consulens: fieri namque potest, ut afflictus, cui fortè simultas & inimicitia intercessit cum pastore ordinario, non tantam ejus fiduciam habeat, ut illi suum pectus nudare sustineat, suspectam habens silentii fidem, & peccati metuens proditionem, unde nec certum consolationis fructum sibi promittere audet. Hoc igitur Apostoli mandatô ut pastor accersitur, sic etiam peccatorem malorum suorum sensu afflictum consolatur: id verò mandatum generale cùm sit, ad sacerdotium, uti in Papatu fit, restringi non debet.

Absolutionis, quam consolator facit, certitudo.

VI. Dicat forte aliquis; audio quidem incertitudinis argui absolutionem sacerdotalem, Pontificiis receptam, eò quòd sacerdos animum confitentis perspectum non habeat: nonne etiam incerta est absolutio, quam facit consolator privatus vel publicus? Vel unde demùm constabit eam apud Deum fore ratam? Resp. I. Certa est, quia consolator à peccatore, vulnerum suorum dolore afflicto, ultrò accersitus de sincera ejus contritione atque pœnitentia dubitare non potest. Alia ratio absolutionis papalis: ibi peccator non ultrò, sed adactus præcepto, conscientiam sub peccato mortali obligante, peccata sua sacerdoti confitetur, non confessurus, nisi adigeretur. 2. Certa etiam est peccatoris sponte sua ad consolatorem refugientis fides, eaque consolatori satis comperta. Peccator enim, nisi persuasum haberet, spem sibi superesse præsidii apud consolatorem, haud dubiè non ultrò, non tàm anxiè consolatorem requireret, nullo impediente metu infamiæ ex revelatione criminis incurrendæ.

Quos diri conscia facti
Mens habet attonitos, & surdo verbere cædit
Occultum quatiente animo tortore flagellum,

illi si fidei nihil habeant, desperabundi laqueum potiùs, quàm consolatorem, deposcent. Domine! *adauge nobis fidem.*

PARS

PARS TERTIA,

DE

GRATITUDINE.

Quæstio LXXXVI.

Cùm ab omnibus peccatis & miseriis, sine ullo nostro merito, sola Dei misericordia propter Christum liberati simus, quid est, cur bona opera faciamus?

QUia postquam nos Christus suo sanguine redemit, renovat nos quoque suo Spiritu ad imaginem suî, ut tantis beneficiis affecti in omni vita nos erga Deum gratos declaremus: & ipse per nos celebretur. Deinde, ut nos quoque ex fructibus de sua quisque fide certi simus. Postremò, ut vitæ nostræ integritate alios Christo lucrifaciamus.

ANALYSIS.

I. Titulus exhibet materiam tractationis tertiæ partis Catech. juxta ordinem Quæst. II. delineatum.

Hujus porrò partis tria sunt membra I. De necessitate Gratitudinis *Quæst.* 86, 87. II. De causa ejus procreante *Quæst.* 88, 89, 90. III. De partibus Gratitudinis, quæ sunt bo-

na opera, & precatio; illa Decalogô, hæc Oratione Domini præscripta, *Quæst.* 91. &c.

II. Quæstio præsens habet prolepsin; *Non meremur bonis operibus justitiam & vitam æternam: Ergò non est cur bona opera faciamus, vel, nulla est necessitas bonorum operum.* Antecedentis ratio à contrario est: *Quia ab omnibus peccatis & miseriis solâ Dei misericordiâ liberati sumus.*

III. In Resp. negatur consequentia, allatis pro necessitate studii bonorum operum tribus argumentis.

I. A connexione redemptionis & renovationis: *Quia postquam nos Christus* &c.

II. A certitudine fidei & salutis, quæ à studio bonorum operum pendet: *deinde ut nos quoque ex fructibus* &c.

III. A debito studio lucrifaciendi proximum: *postremò, ut vitæ nostræ* &c.

EXEGESIS.

Nexus. *Ratio connectendi hanc partem præcedenti quænam?* R. Secunda pars fuit de liberatione nostrî per Christum: tertia hæc est de gratitudine, quæ liberationis est *finis*, isque operis & operantis. Ipsum namque liberationis beneficium suâ naturâ sic comparatum est, ut studium gratitudinis accendere sit aptum natum: & Christus *se ipsum dedit pro nobis* eo fine, *ut nos redimeret ab omni adversus legem delicto, & purificaret sibi* λαὸν περιούσιον *populum in divitiis suis perpetuò habendum*, ζηλωτὴν *æmulatorem bonorum operum*, *Tit.* 2: 14. Q. *Gratitudinem igitur illam quomodo oportet esse comparatam?* R. Ea consistit 1. In accepti beneficii seria & sincera agnitione & æstimatione. 2. Læta ejusdem prædicatione & collaudatione. 3. Gratiarum

rum actione, factis, sive bonorum operum studiô perpetuô, præstanda. Hæc porrò tria inter se permiscentur: & in explicatione hujusce tertiæ partis conjunguntur.

Necessitas quærendi de necessitate bon. operum.

II. Q. *De necessitate bonorum operum quærendi quænam est necessitas?* R. Quia sunt, qui objiciunt, quod Catech. ad hanc tertiam partem transiturus, instituta prolepsi, occupare voluit; Si nullô nostrô meritô, solâ Dei misericordiâ per Christum liberati sumus, non est, cur bona opera faciamus. Atqui verum dicis antecedens: Ergò. Sic Catechetæ visum, nudare tentationem Satanæ, quâ homines, qui verbum gratiæ audiverunt, in peccati compedibus retinere studet: simulque summovere calumniam, qua gratiæ ingrati æstimatores doctrinam de gratuita justificatione fidei per Mundum infamant. Quapropter Catech. ut doctrinam suam reapse *secundum pietatem* esse demonstret, etiam bonorum operum necessitatem invictis ostendit argumentis tribus.

Bona opera esse necessaria probatur. 1. Argum.

III. Q. *Primum argumentum unde petit?* R. A connexione duorum beneficiorum gratiæ, redemptionis puta, & sanctificationis, quæ tàm arcta, ut divelli non possint: postquam enim Christus nos suo sanguine redemit, renovat nos quoque &c. Q. *Sic cohærere, & qua de causa, unde ostendis?* R. Cohærere docet Apost. quando Christum *factum nobis sapientiam à Deo, justitiam, sanctificationem, testatur*, 1 *Cor.* 1: 30. Adde *Tit.* 2: 14. Divelli autem duo ista gratiæ beneficia non posse, liquet. 1. Quia Christus quos liberavit à peccatis, eosdem sibi emit peculium, quod proprium possideat, in quo glorioſus regnet. 2. Quos ex servitute peccati expedivit & asseruit, eos utique captivos relinquere non potest. Cui alioqui bono, domum potentis invasisse, vasa ejus diripuisse, & potentem vinxisse? *Matth.* 12: 29. 3. Eo fine, quos Christus liberavit, etiam suo Spiritu ad imaginem suî renovat, *ut tantis beneficiis affecti in omni vita nos erga Deum gratos declaremus.* Tanti verò operis fine Deus frustari non potest. Vera porrò gratitudo ea demùm erit, si quemadmodum tantâ gratiâ & vocatione divinâ di-

gnum est, ambulemus, *Eph.* 4: 1. *Col.* 1: 10. Unde fideles *opus manuum Dei* להתפאר *ad condecorandum*, vel glorificandum se, *Esa.* 60: 21. & 61: 3. plura vide ad Quæst. 64.

2. Argum. IV. Q. *Unde secundum?* R. A certitudine fidei & salutis nostræ, quam, nisi ex studio bonorum operum solidam consequi & habere non possumus. Unde Catech. *Deinde, ut nos quoque ex fructibus de sua quisque fide certi simus.* Hinc Petrus, *studete*, inquit, *vocationem & electionem vestram firmam efficere*, 2 *Pet.* 1: 10. quod per bona opera fieri docent antecedentia Apostoli verba. Bona opera fidem probant, quia sunt fructus fidei *per charitatem efficacis*, *Gal.* 5: 6. & *justitiæ* per fidem apprehensæ, *Phil.* 1: 11. Unde quemadmodum fides personam, sic opera fidem justificant.

3. Argum. V. Q. *Unde tertium?* R. A studio lucrandi proximum, atque adeò ab amore Christi Servatoris. Si credimus in Christum, nobis etiam cura est quærendi & ampliandi regni Christi: ipsum proinde cupimus esse regem magni populi & primogenitum in multis fratribus: quod votum nostrum est, oratione Dom. expressum. Quare nostrum est, dare operam, ne quisquam propter vel per nos pereat, sed ut omnes lucrifiant Christo: secùs regnum Christi abnegaremus. Q. *Quomodo lucrabimur alios?* R. 1. Confessione veritatis intrepida. 2. Studiô bonorum operum perpetuô. 3. Martyriô patientiæ propter nomen Christi invictæ, *Matth.* 5: 16. 1 *Pet.* 2: 12. & 3: 1, 2. 1 *Cor.* 10: 31, 32, 33.

Quæstio LXXXVII.

Non possunt igitur illi servari, qui ingrati, & in peccatis securè persistentes, sua pravitate ad Deum non convertuntur?

NUllo modo: *Nam ut scriptura testatur, nec impudici, nec idololatræ,*

træ, nec adulteri, nec fures, nec avari, nec ebriosi, nec convitiatores, nec raptores hæreditatem regni Dei consequentur.

ANALYSIS.

I. Quæstio habet consectarium ex præced. Resp. deductum, & formâ quæstionis propositum.

II. Resp. quos Quæstio nominat, servari posse pernegat, adductô Apostoli testimoniô, quod textui Catech. inseritur.

EXEGESIS.

Consectarium ex præced. Resp. deductum, Ergò ingrati &c. servari non possunt.

EX *iis, quæ mox de bonorum operum necessitate diseruisti, quid consequitur?* Rz. Ingratos & in peccatis suis securè perseverantes servari non posse. Quô ipsô bonorum operum necessitas confirmatur à contrario. Q. *Quos vocas ingratos?* Rz. Qui redemptionis beneficium non, ut par est, magni faciunt, & porrò nec verbis nec factis se tales præstant, quales quidem æquum est se præstare illos, qui tantum beneficium sibi vendicant. Iidem sunt qui *in peccatis securè persistentes, à pravitate sua ad Deum non convertuntur*, etsi hactenus inter fratres redemptos nomen profiteantur suum. Q. *Ingrati isti nonne etiam sunt redempti?* Rz. Se redemptos non esse in ipsa sua ingratitudine & impœnitentia perseverante plus satis testatum faciunt. Q. *Quomodo ergò dicis ingratos, qui beneficium non accepêre?* Rz. Numquid aliud quam summa ingratitudo est, beneficium redemptionis publica Evangelii concione omnibus confugientibus, credentibus & resipiscentibus propositum, cum indignatione repulisse, & *seipsos vita æternâ indignos judicasse*, se ipsos tanti non fecisse, quibus dignum sit pro vita æternâ curam impendere & laborem, Act. 13: 46.

Ratio quærendi, an dubi-

II. Q. *Quæ ratio quærendi, num tales qui sunt servari possint? per Dei enim potentiam id fieri posse quis*

servari possint, non item, an serventur.

dubitet? R. Quæstio est non quidem de potentia absoluta, quâ *Deus Abrahamo etiam ex lapidibus istis* (quos Joh. quasi intentô digitô monstrabat, atque adeô propriè dictos intelligebat) *liberos suscitare potest*, *Matth.* 3: 9. sed de ea potentia, quam Deus juxta ordinariam gratiæ & judicii œconomiam exercet, prout virtutibus divinis decorum atque glorioſum est. Hôc pactô ingratos illos servari posse meritò negem. Q. *Quô argumentô?* R. Divinô testimoniô, quo salus districtè abjudicatur impudicis, idololatris, adulteris, furibus, avaris, ebriosis &c. quoad tales esse perseverant, 1 *Cor.* 6: 9, 10. *Eph.* 5: 5. Q. *Hujus judicii quæ ratio?* R. Cùm regnum Dei non obtineatur nisi jure hæreditatis, quod affert adoptio, uti Apostolus non obscurè docet, quando peccatores illos memoratos hæreditatem regni Dei consecuturos negat, & verò hi regeniti & adoptati non sint, neque adeo filii Dei, consequitur, nec hæredes fore. Non sunt *loti*, *nec sanctificati*, *nec justificati*, 1 *Cor.* 6: 11. ergò nec adoptati, quia justificationis consequens est adoptio. Adde, mala opera mereri condemnationem, teste & Lege & conscientiâ, *Deut.* 27: 26. *Rom.* 1: 32. & 6: 23.

Servari non posse ingratos &c. probatur.

Quæstio LXXXVIII.

Quibus partibus constat conversio hominis ad Deum?

Mortificatione veteris & vivificatione novi hominis.

ANALYSIS.

I. Huc usque de Gratitudinis necessitate: sequitur ejusdem causa procreans, hac & seqq. duabus Quæst. exponenda, videl. hominis ad Deum conversio: quam Catech. primùm

primùm è suis partibus definiri vult; *quibus partibus constat*, &c.

II. Resp. eam duabus partibus absolvi docet; *mortificatione veteris, & vivificatione novi hominis.*

EXEGESIS.

Quæstionis occasio & nexus.

QUæstioni *quæ & unde nata occasio?* R. Catech. cùm negâsset servari posse; qui ad Deum *non convertuntur*, inde captata occasione de conversione hominis, quæ bonorum operum, sive Gratitudinis causa procreans, pro instituti ratione dicere constituit. Obj. *Atqui de conversione, qualem hîc describit, jamjam dixit Quæst.* 43. R. Ut quæ Catechetæ mens sit rectè intelligatur, ante omnia notandum I. Conversionis præceptô supponi, hominem naturâ aversum esse à Deo, ut ab Exemplari suo, Domino, Fine, Bono summo &c. eaquepropter etiam conversionis ad Deum indigere, imò & in eadem præcipuum hominis officium versari, eò tendentibus lege, Prophetis & Evangeliô: summa enim omnis prædicationis est, *convertimini* &c. *Zach.* 1: 3. *Ezech.* 18. *Matth.* 3: 2. II. Conversionem spectari posse vel ratione *principii*; quo sensu dicitur *Regeratio*, *Joh.* 3: 5, 6. *Vivificatio*, *Eph.* 2: 5. *Creatio*, ibid. v. 10. estque actio solius Dei, quâ homo merè passivè se habens convertitur à Deo: inter fructus mortis Christi commemorata & explicata, Quæstione 43. vel ratione *progressus*, quatenus homo regenitus & nova creatura factus, quod hominis conversi officium est facit: quo casu homo etiam activè se habet, quanquam ne sic quidem sine Deo quicquam valeat, Deo *incipiente in nobis opus bonum*, & *perficiente*, *Phil.* 1: 6. Sic spectata conversio quotidianæ praxeos est & perpetuô studiô prosequenda. Etenim in conversione ista non momentô res perficitur, sed suis gradibus promovetur. Qui in occidentali urbis parte stans convertitur corpore, jamjam conversus quidem est ad plagam ejus orientalem, necdum tamen eô pervenit, verùm pedetentim ab occi-

Quo sensu conversio, super qua quæritur, intelligenda sit.

occidente in orientem promovet gressum. Sic conversus ad Deum viam habet propositam, in qua indesinenter progrediendum. Atque hoc sensu etiam hîc consideratur Conversio, ut soboles regenerationis, bonis operibus fœta & fœcunda: quod & nexus & verba quæstionis Catech. non obscurè docent.

Quare de partibus conversionis quæratur.

II. Q. *Quæ ratio quærendi, non quid sit, sed quibus partibus constet conversio hominis ad Deum?* R. Quia conversio relativum quid est, & manifestò duos includit terminos, *à quo & ad quem*, commodiùs utique describi non potest, quàm distributione partium, quibus constat. Scitè August. docere volens, qualiter de sinistra transeatur ad dextram, *Matth.* 25: 33. monet; *Qui fuit ebrius, sit sobrius: sit patiens, qui fuerat iracundus: qui solebat res alienas rapere, incipiat etiam proprias pauperibus erogare: qui solebat maledicere, benedicat: qui solebat perjurare, etiam à juramento abstineat: qui consueverat detrahere, semper quod bonum est loqui studeat: qui erat superbus, sit humilis. Et hoc ordine semper contrariis studeamus sanare contraria, ut destructis vitiis virtutes festinemus instruere. de Temp. Serm.* 85.

Partes conversionis quæ.

III. Q. *Partes igitur conversionis quænam sunt?* R. Eædem, quæ regenerationis, Quæst. 43. sobole matrem referente: nempe, *Mortificatio veteris & Vivificatio novi hominis: Rom.* 6: 11. & 7: 4. *Eph.* 2: 5. Scriptura etiam mortificationem & vivificationem regenitis in testimonium gratitudinis injungit, *Eph.* 4: 22. &c. *Col.* 3: 5. &c. Partium verò istarum enumeratio ordinem sequitur, quem rei natura & hominis conditio postulat. Præcedit enim homo vetustus, qui exuendus & mortificandus: succedit homo novus, qui induendus & vivificandus. Q. *Partes istæ conversionis nonne simul sunt?* R. In conversione, ut suprà dictum, priori modò spectata, mortificatio veteris & vivificatio novi hominis citra dubium simul sunt: ut tenebræ per lucem, stultitia per sapientiam, odium Dei per amorem Dei, concupiscentia per charitatem corrigitur, &c. nec enim inter tenebrarum expulsionem & lucis introductionem temporis datur intervallum,

Annon veteris mortificatio & novi hominis vivificatio simul sint.

neque

neque diversis ista opus habent actionibus. Interim in conversione posteriori modò sumpta, regenitus pro re nata nunc in hanc, nunc in illam ejus partem acriori studiò incumbere necesse habet, quanquam neutrâ quoad hanc vivit vitam perfectè defungi queat.

IV. Q. *In Vet. Test. ubi de conversione sermo est, homines jubentur recedere & desistere à malo; facere bonum &c. Esaj.* 1: 16, 17. *Psal.* 34: 15. *&c. quænam erat ratio Apostolis obscurius loquendi, & partes conversionis nomine mortificationis & vivificationis appellandi?* R. Eâ appellatione nos docere volunt in Christi morte & resurrectione esse causam meritoriam & exemplarem mortificationis nostræ. *Meritoriam* quidem, quippe ex qua fluit jus, quod Christus habet, dandi Spiritum regenerationis, à quo virtus mortificandi &c. *Exemplarem* deinde, quia in Christi morte & resurrectione exemplar est, ad quod conformari oportet, quotquot Christum attinent, 1 *Pet.* 4: 1, 2. Unde mortificatio & vivificatio duplex. 1. Quæ facta est in morte & resurrectione Christi, Christo enim mortuo commortui; Christo resuscitato conresuscitati sumus, *Rom.* 6: 4. *Eph.* 2: 5, 6. Hinc *vetus homo noster* jamjam *cum Christo crucifixus* dicitur, scil. Christi suppliciò ad supplicium damnatus, *Rom.* 6: 6. quia in Christi morte & resurrectione extat causa, propter quam vetustum mortificari, & novum hominem vivificari oporteat. 2. Altera est, quâ vetustas ipsò factò in nobis pedetentim deletur &c. de quibus seqq. Quæst.

Quæ ratio Apostolis mortificationem & vivificationem appellandi, quod Prophetæ dixerunt Desistere à malo, facere bonum *&c.*

Quæstio LXXXIX.

Quid est mortificatio veteris hominis?

Vere & ex animo dolere, quòd peccatis tuis Deum offenderis: eaque magis ac magis odisse ac fugere.

ANA-

Priorem Conversionis partem, quæ est mortificatio vet. hom. describit tribus veluti actibus: 1. *Dolore* propter peccatum patratum. 2. *Odiô* peccati. 3. *Fugâ* ejusdem.

EXEGESIS.

Quid homo vetus.

PEr *veterem hominem quid intelligis?* R. Non hominem ipsum in sua substantia spectatum: hujus enim interfectionem nemo legitimè suscipit, nisi magistratus vice Dei agens, *Gen.* 9: 6. *Rom.* 13: 1. sed naturæ corruptionem ex peccato, quâ homo ad omne malum proclivis, & ad omne bonum ineptus vivit. Quare *homo*, quare *vetus*, appelletur, dictum nobis alibi. Q. *Quid est mortificare veterem hominem?*

Quid, mortificare vet. hominem.

R. Eò redigere, ut vitam & motum amittat, adeoque & facultatibus animæ & membris corporis dominari atque uti desinat: quemadmodum mortuus quæ hominis sunt ampliùs utenda non habet. Id quod sensim fit, studiô mortificationis quotidianis auctibus ad mortem usque corporis proficiente, pro modo gratiæ, quam Deus variè dispensat. Hinc *crucifixio* dicta *Gal.* 5: 24. quæ aliàs *mortificatio membrorum*, *Col.* 3: 5. & *actionum corporis*, *Rom.* 8: 13. Qui vivus in crucem subigitur, lenta morte perit.

Mortificatio illa consistit I. In dolore vero &c.

II. Q. *Hæc mortificatio vet. hominis quomodo fit?* R. Catech. Metaphoram explicans, tribus veluti actibus mortificationem describit: quorum primus est *dolor* sive contritio animi. Q. *Hunc dolorem quomodo comparatum oportet?* R. Necesse est 1. Esse verum & sincerum, non verbis & vultu simulatum: unde Catech. *verè*, inquit, *& ex animo dolere.* 2. Proficisci non ab horrore iræ divinæ, quô corripi possunt etiam qui Deum fugiunt & aversantur, ut exempla docent Saulis, Judæ, aliorum; sed ab illa peccati agnitione, quâ sentias *te peccatis tuis Deum offendisse*, *Psal.* 51: 5, 6. *Luc.* 22: 61, 62. *Jer.* 31: 18, 19. Dolor igitur est, pudore peccati veriùs, quàm timore pœnæ excitatus. Inde *tristitia* dicitur *secundùm Deum*, oppo-

sita

sita *tristitiæ mundi*, 2 *Cor.* 7: 10. Q. *Quid audio? Ergone quædam tristitia similitudo Dei est?* R. Sic appellatur, non quasi apud Deum, vel in Deo sit tristitia, quam imitari sit nostrum; sed 1. Quia apud Deum est displicentia & improbatio ejus de quo contristatur, qui secundùm Deum tristis est. 2. Eô modô contristari dignum est homine ad imaginem Dei renovando & renovato: includit enim ea tristitia amorem Dei & æstimationem omnis gloriæ divinæ, nempe, infinitæ excellentiæ, dominii, potentiæ, gratiæ, beneficentiæ, judicii &c. Consequenter, ut verbô dicam, *tristitia secundùm Deum est*, quando contristaris secundùm & ob id, quod in Deo æstimas & amas. Contrà secundùm mundum tristitia est, quæ concipitur ex eo, quod in te, vel in mundo æstimas & amas: quale est damnum in honore, opibus & aliis, quæ philautiæ, ambitioni, avaritiæ &c. serviunt. Q. *Quare qui sic dolet de peccato dicitur mortificare peccatum?* R. Mortificare est facere ut esse desinat, quod mortificas. Atqui verè dolens de peccato, vellet id non esse, & ut esse desinat quantum pote operam dat. Quem facti pœnitet, ejus ne quidem vestigium superesse vellet, ideò solùm, quia malè feciſſe tantoperè dolet.

Quo sensu & quô de causâ dicta tristitia secundùm Deum.

Quæ ratio dolorem illum appellandi mortificationem.

III. Q. *Secundus actus quis est?* R. Odium peccati usque & usque proficiens, quô illud ob agnitam turpitudinem ex animo detestamur, juxta *Amos.* 5: 15. *Rom.* 12: 9. neque odisse non potest peccatum, qui Deum, veritatem atque justitiam amat. Q. *Rectène in odio peccati constituitur ejus mortificatio?* R. Imò: odiô enim separamus nos à malo, eoque etiam malum, ut quàm maximè à nobis absit, vellemus prorsus non esse. *Osor fratris homicida* dictus, 1 *Joh.* 3: 15. quia fratrem vellet non esse.

2. *In odio peccati.*

IV. Q. *Quis tertius?* R. Fuga peccati in futurum: quâ non solùm à peccato abhorres, ut ad illud redire nolis, sed etiam indefesso labore atque studio adversus peccati tentationes animum præmunis, peccandi occasiones solicitè caves &c. per fidei exercitationem, verbi divini meditationem, preces, honestas

3. *In fuga peccati.*

occupationes, carnis fugillationem & castigationem, cum piis ac bonis conversationem &c. Cum mortuo nihil nobis commune esse volumus, *Psal.* 88: 6. Neque tamen vel pientissimi hîc quod in votis est assequuntur, defectus suos deplorantes, & quæ oderunt atque aversantur, per infirmitatem sæpè facientes, *Rom.* 7: 15. Hîc adeoque semper profectui locus est, donec peccati & mortalitatis exuviæ deponantur. Unde Catech. *Eaque magis ac magis* odisse ac fugere.

Quæstio XC.

Quid est vivificatio novi hominis?

Vera lætitia in Deo per Christum, & serium ac promptum studium instituendi vitam ex voluntate Dei, omniaque bona opera exercendi.

ANALYSIS.

Alteram Conversionis partem, in vivificatione novi hominis sitam, duobus actibus declarat. 1. Verâ Lætitiâ in Deo per Christum. 2. Studio instituendi vitam ex voluntate Dei &c. Hic posterior actus dispesci potest in duos, totidem actibus mortificationis oppositos.

EXEGESIS.

Novus homo quid sit.

QUid *novus homo*? R. Natura hominis ad imaginem Dei restaurata. Hæc novitas cùm sit utriusque partis & omnium facultatum hominis, *novus homo* appellatur: omnibus facultatibus & partibus hominis utens, tanquam suis: item *homo cordis occultus*, 1 *Pet.* 3: 4. *interior homo*, *Rom.* 7: 22. In mente

mente enim est ejus ἀνακόπτολις, & indidem renovationis initium per purificationem cordis. Q. *Qui verò novo homini tribuitur vivificatio, hæc enim nonne est opus Dei?* R. Omninò, ut enim mortuus nihil conferre potest ad suî resuscitationem, sic homo mortuus in lapsibus & peccatis ad suî vivificationem ratione principii ejus spectatam, nihilô plus valet. Verùm vivificatio hîc consideratur ratione progressûs & incrementi; quomodo hominis à Deo vivificati officium est vivere vitam novi hominis. Q. *Quo sensu vivificatus dicitur vivificare novum hominem?* R. Sicut qui Deo vivit dicitur mortificare membra sua, quæ in terra sunt; sic idem vivificat novum hominem, dum ἀναζωπυρεῖ *exsuscitat donum Dei*, 2 *Tim.* 1: 6. quemadmodum ignis hactenus sub cinere conditus excitatur exsuscitando scintillas & materiem apponendo. Sicut vitalis facultas convenientibus motibus vitalibus exercita augescit & roborascit: sic vita novi hominis magis magisque vivificatur exercitiô actuum, in quibus eam sitam esse docet Catech.

Quomodo illi tribuatur vivificatio.

II. Q. *Illorum actuum quis primus?* R. Lætitia, non quælibet, sed I. *Vera*, non fucata, non ficta, non evanida, non superficiaria, &c. 2. Radicata & solida, quippe lætitia *in Deo*, ut Deo suo, Patre *per Christum* reconciliato. Lætitia proinde, cujus fundamentum *Deus propitius*, author *Christus* per Spiritum fidei sensum amoris divini animo invergens. Inde *gaudium super salute tua*, *Psal.* 51: 14 adde *Rom.* 5: 1, 2. Longè aliter comparata est lætitia improbi & hypocritæ, *Job.* 20: 5. *Ex propinquo illa* est, graminis instar in tectis non profundam agentis radicem, unde citò retorrescit: vel instar torrentis, qui ex propinquo est, ex nive, pura, quæ resoluta magno agmine diffluit, & citò dilapsa alveum nudat. Lætitia fidelium ex profundo existit, ut fons perennis & inexhaustus, è cœlo, ex Deo per Christum propitiato scaturiens &c. Q. *Quid lætitiæ cum vivificatione?* R. Vita, in actu saltem secundo considerata, est operatio jucunda. Sic vita hominis vera est cogitatio optima, veri & boni cognitio & amor atque in amore lætitia. *Hæc est vita*

Primus actus vivificationis novi hom. Lætitia. quæ describitur, & ad vivificationem novi hom. pertinere probatur.

æterna, ut te cognoscant, &c. *Joh.* 17: 3. Hinc regnum Dei dicitur esse *pax & gaudium per Spiritum S. Rom.* 14: 17. Semianimis est, qui dolore & mœrore tabescit, vivit qui lætatur, unde in Scriptura *vivere* pro *lætari* frequens, velut *Psal.* 22: 27. *Gen.* 45: 27.

Alter actus spectandus.

III. Q. *Alter actus quis est?* R. Studium instituendi vitam ex voluntate Dei. Hic actus, etsi unus sit, duos tamen complectitur, duobus posterioribus mortificationis actibus, odio scil. & fugæ peccati, oppositos. Q. *Quis prior?* R. Amare verum & bonum, eôque delectari. Studium enim bona faciendi opera ex amore Dei & voluntatis ejus sanctissimæ proficiscí, atque adeò non languidum, non torpens, non coactum, sed serium, promptum & maximè voluntarium esse oportet. Hinc textus Germ. *Lust und Liebe haben*, &c. *Psal.* 1: 2. Q. *Quis posterior?* R. Instituere vitam ex voluntate Dei, & omnia bona opera exercere: quibus verbis Catech. seqq. docet 1. Propositum vitæ, ut par est, agendæ, id enim significatur verbô *instituendi*. Decretô igitur & propositô muniendus & firmandus est ante omnia animus, ne vita sit vaga & temeraria. 2. Regulam vitæ tenendam esse voluntatem Dei, intellige voluntatem ἐναρεσίας & mandati, *Deut.* 29: 29. *Rom.* 12: 2. 3. Praxin in propositi executione & regulæ ad usum applicatione. 4. Studium illud oportere esse universale exercendi *omnia* bona opera; id quod sinceritatis argumentum. Duplex enim cor, duplex voluntas & claudicatio est, quædam velle, quædam nolle, & velle facere quô non delecteris. *Beatus in cujus spiritu non est dolus, Psal.* 32: 2. adde *Jac.* 2: 10.

1. In amore veri & boni.

2. In exercitio bonorum oper.

Quæstio XCI.

Quæ sunt bona opera?

TAntùm ea, quæ ex vera fide, secundùm Legem Dei fiunt, & ad ejus solius

lius gloriam referuntur. Non autem ea, quæ à nobis opinione recti conficta, aut ab hominibus tradita sunt.

ANALYSIS.

I. Adhuc de necessitate & causa gratitudinis procreante: supereſt dicendum de ejus partibus; quæ sunt 1. Bona opera. 2. Precatio. Hôc locó quærenti, *quæ sint bona opera.*

II. Resp. 1. Ea definiendo ex 2. requisitis è triplici causarum genere arcessitis. א Ex causa efficiente, quæ est *vera fides.* ב Ex forma, quæ est operum congruentia cum *lege Dei.* ל Ex fine, qui est, ut opera ad *Dei solius gloriam referantur.* 2. Definitionem gemina antitheſi illustrando, *a.* Bonæ intentionis; *non autem ea, quæ à nobis recti opinione* &c. *b.* Humanæ traditionis; *aut ab hominibus tradita sunt.*

EXEGESIS.

Quæst. occasio & nexus.

Q. *Uæstionis quæ occasio, quis nexus?* R. Cùm modò de vivificatione novi hominis quærenti respondsum fuisset, eam inter alia consistere in studio bonorum operum, hinc captata occasione transit Cat. ad tertium propositæ tractationis membrum, quod est de partibus gratitudinis, & primùm quidem de bonis operibus, quæ sibi definiri petit.

Ad bonum opus tria requiri.

II. Q. *Ut opus verè bonum sit, Deoque placeat, quænam requiris?* R. Docente Deo, qui solus de opere sibi placituro præcipere potest, tria requiri dico, quorum si vel unum desiat, opus erit malum, juxta tritum illud, *bonum est ex integra causa; malum ex quoli-*

bet defectu. In moralibus enim actionibus circumstantiæ sunt essentiales, non accidentales, ut in physicis.

1. Ut fiat ex fide.

Q. *Primùm igitur quid requiritur?* R. Ut opus fluat ex puro fonte, fide verâ, non fictâ, 1 *Tim.* 1: 5. Hinc *opus fidei*, 1 *Thess.* 1: 3. *fides per charitatem efficax*, *Gal.* 5: 6. *fides ex operibus demonstranda* dicitur, *Jac.* 2: 18. Sicut error religionis fundamentum occupans *radix est fructificans veneno & absinthio*, *Deut.* 29: 18. sic ex adverso fides est radix fructificans omni bonorum operum genere.

Fidem eò necessariam esse probatur.

Q. *Unde verò fidem usque adeò necessariam esse ostendis?* R. I. Charitas (quæ studium est bonorum operum) absque puro corde & conscientia bona, nulla est, 1 *Tim.* 1: 5. atqui *fide purificantur corda*, *Act.* 15: 9. II. Cùm hîc agatur de bonis operibus peccatoris ad Deum sese convertentis & pro redemptione gratias agentis, necessaria utique fides est, quia nihil peccatoris extra Christum Deo placere potest: atqui fide inseritur Christo. Hinc adeò *sine fide impossibile est Deo placere*, *Heb.* 11: 6. III. Ad studium bonorum operum necessaria est bona conscientia, quæ omnia exploret, & inde pendens certa persuasio, non ingrata fore Deo, quæ facimus: atqui persuasio ista fides est, vel certè ex fide. Unde Apostolus, *quicquid non est ex fide, peccatum est*, *Rom.* 14: 23. Adde IV. Abesse debere omnem fiduciam in opere tanquam suo & suis viribus præstito, & tanquam justitiæ causa: talem verò fiduciam sola demùm fides in Christum excludit, *Rom.* 3: 27.

2. Ut secundùm legem Dei.

III. Q. *Secundò quid requiritur?* R. Operis cum lege Dei congruentia: sic enim Catech. *Tantùm ea*, inquit, *quæ secundùm legem Dei fiunt.* Tenendum interim, congruentiam illam non solùm operis externi, sed etiam intentionis animi & voluntatis operantis esse. Q. *Paulò igitur explicatiùs indica, quid hoc secundò requisitò Catech. significatum velit.* R. 1. Peccatorem conversum & bona operantem hanc unam tenere regulam, nempe, legem Dei, eamque diligenter investigare. 2. Eundem amore istius legis & studiò obediendi Deo etiam animum suum, affectum & actiones omnes ad illam componere, ut congruant. vide 1 *Sam.* 15: 22. *Psal.* 1: 2. & 112: 1. & 119: 16, 22, 24. *Eph.* 2: 10. *Rom.* 7: 22. *Matth.* 15: 8. & 22: 37, &c.

IV. Q.

IV. Q. *Tertium requisitum quodnam est?* R. Ut ad gloriam referantur Dei solius, tanquam Domini, Exemplaris, Finis & Boni nostri summi. Id requirit præceptum *amandi Deum ex toto corde*, &c. Et disertè Apostolus, *Omnia ad gloriam Dei facite*, 1 Cor. 10: 31. adde *Mal.* 1: 6. *Matth.* 5: 16. 1 *Cor.* 6: 20. Neque verò fieri potest, ut quod quis alio fine facit, Deo sit acceptum. Qui enim verbi gratiâ quid facit, ut habeat unde vel glorietur coram Deo, vel placeat hominibus, vel quodvis commodum suum paret, non jam Deum, sed se quærit, non Deo, sed sibi & suo affectui obsequitur. Q. *Estne satis, generatim intendisse gloriam Dei?* R. Finis, de quo nobis sermo, non ex sola intentione eaque generali æstimandus est: secùs omnis ἰθελοθρησκεία facilem haberet excusationem; verùm præter cætera, quæ hactenùs in bono opere requirimus, necesse est, ut in quibusvis singularibus actionibus, sive Dei sive proximi amorem concernentibus, propositum atque studium glorificandi Deum, amoremque ejus per obedientiam probandi, eluceſcat. *3. Ut ad gloriam solius Dei.*

V. Q. *Ex dictis quid consequitur?* R. I. Bona opera non esse, neque adeò Deo placere posse, quæ à nobis opinione recti conficta, aut ab hominibus tradita sunt. Quæ gemina antithesis est, quâ falsa veræ regulæ opponitur, videl. bonæ intentionis, & humanæ traditionis. Q. *Quam vocas bonam intentionem?* R. Cùm quis opinione recti, vel bono fine quid fingit tanquam cultum vel modum cultus divini. Exemplum dedit Micha & mater ejus, *Jud.* 17. Q. *Humana traditio quænam dicitur?* R. Cùm præcepta hominum authoritatem aliquam sibi arrogantium admittuntur & observantur, ut præcepta Dei, h. e. cum persuasione necessitatis & cultûs: vide *Matth*, 15: 8, 9. *Col.* 2: 8, 18, &c. II. Ex dictis porrò consequitur, virtutes Gentilium bona opera dici non posse, deficientibus, quas in bono opere requirimus, conditionibus: imò non renatis bona opera esse impossibilia, ob defectum conditionis primæ. Fides enim extrinsecus vim operatricem accersit, eôque intrinsecus adesse negat, *Matth.* 7: 18. *Spiritum veritatis*, fidei effectorem, *Mundus non accipit*, *Joh.* 14: 17. 2 *Cor.* 4: 13. *Consectaria duo.* *1. Bona opera non esse, quæ vel opinione recti conficta &c.* *2. Nec virtutes Gentilium bona esse opera.*

Usus rerum indifferentium lege fidei & charitatis circumscriptus.

VI. Q. *Quid tenes de rebus, quæ licitæ quidem, non item imperatæ sunt?* R. Etsi quæ adiaphora dicuntur, per se nec bona nec mala sint, usus tamen eorum non est indifferens: fieri ergò, nisi vel benè, vel malè, non possunt, quæ licita tantùm, at non imperata sunt. Q. *Quando fiunt benè?* R. Cùm fiunt I. Ex cognitione libertatis Christianæ & fide, certaque persuasione. Hìc qui dubitat, peccat eò ipsò, quòd peccandi periculum non satis metuit, *Rom.* 14: 5, 23. II. Ex charitate, cujus est cavere, ne proximus offendatur vel contristetur. III. Eo tempore, quò non postulatur opus melius. Q. *Quando malè?* R. Malè fiunt quæ suâpte naturâ mala non sunt: 1. Si sine fide & charitate. 2. Si cum opinione cultûs & meriti apud Deum. 3. Si ex veneratione & obedientia erga homines tanquam cultum Dei, aut quod eò spectet, constituentes & edicentes. Videantur loca *Rom.* 14. 1 *Cor.* 6: 12. & 8: 1, &c.

Quæstio XCII.

Quæ est lex Dei?

Locutus est Deus omnia verba hæc.

Primum Præceptum.

Ego sum Dominus Deus tuus, qui eduxi te ex Ægypto, domo servitutis: Non habebis Deos alienos in conspectu meo.

Secundum.

Ne sculpas tibi simulacrum, nec ullam imaginem effingas eorum, quæ aut suprà sunt in cœlo, aut infrà in terra, aut

aut in aquis sub terra, . neque incurves te illis, neque colas ea. Ego enim sum Dominus, Deus tuus, fortis, zelotes, vindicans peccata patrum in filiis, idque in tertia & quarta progenie eorum, qui oderunt me, & misericordiâ utens in millesimam eorum, qui diligunt me, & observant præcepta mea.

Tertium.

Ne usurpes nomen Domini Dei tui temerè: neque enim Dominus dimittet eum impunitum, qui nomen ejus vanè usurpaverit.

Quartum.

Memento ut diem Sabbathi sanctifices. Sex diebus operaberis, & facies omne opus tuum. At septimo die erit Sabbathum Domino Deo tuo. Non facies ullum opus, nec tu, nec filius tuus, nec filia tua, nec servus tuus, nec ancilla tua, nec jumentum tuum, nec advena, qui est intra portas tuas. Nam sex diebus fecit Deus cœlum, terram, mare & quæcunque in eis sunt, & requievit die septimo, ideoque benedixit diei Sabbathi, & sanctificavit eum.

Quintum.

Honora patrem tuum & matrem tuam, ut diu vivas in terra, quam tibi Dominus Deus tuus daturus est.

Sextum.

Non occides.

Septimum.

Non committes adulterium.

Octavum.

Non furaberis.

Nonum.

Non dices contra proximum tuum falsum testimonium.

Decimum.

Non concupisces domum proximi tui, nec concupisces uxorem proximi tui, nec servum ejus, nec ancillam, nec bovem, nec asinum, nec quicquam eorum, quæ sunt proximi tui.

ANALYSIS.

I. Cùm bonorum operum forma sit congruentia cum Lege Dei, de ea agitur tanquam de norma. Eo fine Decalogus I. Recitatur, Quæstione hac 92. II. Distribuitur, Quæst 93. III. Explicatur, Quæst. 94--116.

II. Decalogi tria generatim considerandæ sunt.

1. Præfatio duplex; una Mosis; altera Dei.

2. Præ-

2. Præcepta legis, quæ Catechum. verbis Scripturæ recitat ex Exod. 20. cap. v. 1-18.
3. Præceptorum sanctio, alicubi addita, alicubi omissa.

EXEGESIS.

Lex decalogo contenta bonor. oper. norma.

D*Ixisti, ea demùm bona esse opera, quæ secundùm legem Dei fiunt, quæ igitur est Lex Dei?* R. Quæ Decalogô comprehensa sic sonat: *Locutus est Deus omnia verba hæc: Ego sum Dominus, Deus tuus, &c.* Cæterùm de Lege Dei, quid & quotuplex sit, dictum memini ad Quæst. 3. Quæ Decalogô exhibetur Lex, vera, perpetua & universalis bonorum operum norma est.

Decalogi primùm considerandæ præfatio 1. Mosis.

II. Q. *Decalogi quid primum considerandum?* R. Præfatio duplex. Q. *Quæ prior?* R. Mosis; *Locutus est Deus omnia verba hæc, Exod.* 20: 1. Qua præfatione se non sua, nec alterius hominis, sed Dei verba referre testatur. Q. *Unde constabat verum esse Deum qui loquebatur?* R. 1. Ex symbolo characteristico, quô se *Jehovam*, Deum Abrahami, Isaaci & Jacobi dixerat, seque talem jam factis probaverat, quô etiam veluti tesserâ militari solis Israëlitis, Abrahami posteris, erat notus. 2. E signis atque prodigiis, quæ visum & auditum occupabant, quibus attoniti Israëlitæ de rei veritate dubitare non poterant. Obj. *Atqui Moses ab Angelo viva eloquia accepisse dicitur in monte Sinai, Act* 7: 38. R. Angelus ille fuit Filius Dei, *Angelus faciei & fœderis* dictus Prophetis, *Esa.* 63: 9. *Mal.* 3: 1. Unde etiam *Angelus Jehovæ*, Mosi visus in flamma ignis è medio rubi, *Exod.* 3: 2. mox *Jehova* dicitur, v. 4. &c. Obj. *Atqui Apostolus legem dicit sermonem per Angelos dictum, eoque nomine Evangelii, quod per Dominum ipsum promulgari cœpit, contemptum exaggerat.* R. Difficultas omnium facilimè expediri videtur, si dicamus, Legem ab Angelo inter Angelos testes & vindices futuros, præsente Deo Legislatore, ex tabulis legen-

legendo promulgatam fuisse: quod docere videtur locus *Deut.* 33: 2. *Jehova venit à myriadibus sanctitatis; à cujus dextra ignis legis ipsis extitit.* Conf. *Act.* 7: 53. Quis dicat, præconem edicta regis vel judicis præsentis è scripto relegentem & publicantem, legati ad instar personam & nomen ejus assumere?

2. *Dei præfatio, cujus scopus duplex.*

III. Q. *Quæ est posterior præfatio?* R. Dei, Legislatoris, de se in prima persona loquentis; *Ego sum Jehova, Deus tuus, qui eduxi te &c.* Q. *Hujus præfationis quis scopus?* R. 1. Legi Decalogi conciliare authoritatem, ostensâ Legislatoris ὑπεροχῇ & imperandi jure atque potestate in omnia. 2. Docere, qualiter bona opera fieri oporteat, videlicet in fide & charitate, quâ credas in Jehovam, ut Deum tuum, eundemque ut talem ames. Ut adeò quærenti, *quare non habebis Deos alienos? quare non facies sculptile? quare sanctificabis nomen Dei?* &c. respondere debeam, quia credo Jehovam esse Deum meum &c. Hæc igitur præfatio, quasi singulis præceptis seorsim præfixa, identidem in memoriam revocanda est.

Scopo illi inservientia argumenta.

1. *A nomine Jehova.*

IV. Q. *Isti usui quænam adhibentur argumenta?* R. Primum suppeditat nomen *Jehova*, quod Dei proprium & incommunicabile est, & ratione etymi denotat *Ens.* Deus porrò dicitur *Jehova*, Ens, quia in ipso tantùm est *Ens:* neque enim est partim *Ens*, partim *nihil*, ut quæ contingenter existunt. Atque hinc sequitur, Deum esse simplicissimum, necessariò existentem, summè perfectum, & immutabilem, ut patet attendenti. Unde symbolum est constantiæ & fidei divinæ in promissis, præsertim fœderali illo, quô se Abrahamo & semini ejus in Deum fore dixit, ob quod etiam hoc ipsum nomen *Jehova* assumsisse videtur eò, quod *Exod.* 3: 14. explicatur per אהיה אשר אהיה *fiam qui sum*, q. d. factis talem me præstabo, fidem promissorum implendo, qualis ego sum, & qualem me populo meo fore dixi. Id porrò præstare cœpit, liberatione posterorum Abrahami ex Ægypto: quo tempore primùm etiam hoc nomine, rebus scil. præstitis vim ejus manifestando, Israëlitis innotuit, *Exod.* 6: 2. Plenè autem Jehovam se exhibet in Christo, quippe

quippe in quo *omnes Dei promissiones sunt næ & Amen*, 2 *Cor.* 1: 20.

V. Q. *Secundum argumentum quodnam?* R. Id suppeditat augustissima phrasis, *Ego sum Deus tuus*: quâ se non solùm fautorem & benefactorem modo quocunque significat, sed totam promissionem fœderalem complexus est, uti constat ex *Gen.* 17: 7. Emphasin phraseos doceant loca *Deut.* 26: 17, 18. *Esa.* 45: 25. *Ps.* 33: 12. *Heb.* 11: 10. & alia. Unde colligo, Deum ista promissione se totum, quasi sortem, portionem, hæreditatem electis addicere, & quod ipse est in se, id esse velle electis. Deus est omnipotens, sapiens, optimus, gratiosus, misericors, justus &c. hanc suam potentiam illis protegendis, suam sapientiam illis ducendis, suam bonitatem, gratiam &c. illis justificandis, sanctificandis, & omninò beandis, impendere vult, concesso jure, istis divitiis divinis tanquam suis gloriandi in fide. Enimverò etiam pii Deum portionem suam gloriabundi prædicant, *Psal.* 73: 26. & 119: 57. *Iren.* 3: 24. *2. A fœderali promissione.*

VI. Q. *Tertium argumentum unde petitum?* R. A beneficio; *qui eduxi te ex Ægypto* &c. Ut Deus ista ratione Israëlitas ingrati animi redarguat, si benignitati ejus non respondeant. Ingens erat beneficium eductio populi ex Ægypto, cùm non solùm è dura servitute manu forti liberati, sed etiam è contagio superstitionis & idololatriæ Ægyptiorum, atque adeò æterni exitii periculo exempti fuerint, ut excussa servitute & lege humana fierent servi Dei, ejusque acciperent legem, quâ ad æternæ salutis spem & exspectationem sanctificarentur. Hujus porrò beneficii memoria debuit esse sempiterna apud posteros, quippe qui etiam servi futuri erant, nisi patres in libertatem asserti fuissent, parentum enim & liberorum eadem hac in parte fortuna est: dum ergò illos, etiam hos eduxit ex Ægypto. *3. A beneficio liberationis ex Ægypto.*

VII. Q. *Decalogi quid secundò considerandum?* R. Præcepta ipsa, suo quæque ordine seqq. Quæst. explicanda. Q. *Quid tertiò?* R. Sanctio præceptorum per promissiones & comminationes, alicubi addita, ut præcep- *Decalogi quid secundò & tertiò considerandum.*

præcepto secundo, tertio &c. alicubi brevitatis causâ omissa: de quibus suô locô.

Quæstio XCIII.

Quomodo dividuntur hæc præcepta?

IN duas tabulas: quarum prior quatuor præceptis tradit, quo pacto nos erga Deum geramus: posterior sex præceptis, quæ officia proximo debeamus.

ANALYSIS.

Sequitur Decalogi divisio. Ubi de dividendi ratione & modo quærenti sic resp. ut

1. Divisionis modum exprimat; *In duas tabulas.*
2. Eundem probet, ostensô divisionis fundamentô duplici; unô quidem in numero tabularum: alterô in numero summarum partium sive capitum, quibus tota lex continetur. *Duas tabulas: quarum prior* &c.

EXEGESIS.

Partitio præceptorum Decalogi.

PRæcepta Decalogi *quomodo dividuntur?* R. In duas classes. Q. *Quô fundamentô?* R. 1. Quia Lex Decal. duabus tabulis fuit inscripta, *Exod.* 31: 18. & 34: 1, 4, 28. quemadmodum & alii legislatores tabulis inscriptas leges suas proposuerunt: hinc lex 10. tabularum apud Athen. & 12. tabularum apud Romanos. 2. Quia duabus summariis partibus sive capitibus, videl. dilectione Dei & proximi, tota Lex continetur, *Deut.* 6: 5. *Levit.* 19: 18.

II. Q.

II. Q. *Quot cujusque tabulæ præcepta sunt?* R. Catechetes quatuor primæ, secundæ sex assignat, maximè argumentô loci *Matth.* 19: 18, 19. Ubi Christus mandatum de honorandis parentibus in catalogo præceptorum posterioris ordinis manifestò reponit. Deinde plusquàm probabile est, distinctis tabulis distincti generis præcepta fuisse inscripta. Atqui quatuor sunt præcepta, quæ docent, quô pactô nos erga Deum geramus: Sex deinceps, quæ officia proximo debeamus. *Quot cujusque tabulæ præcepta juxta Catech.*

Addenda.

I. Non nupera est de numero præceptorum cujusque tabulæ dissensio. Judæi utrique tabulæ quina adscribunt, honorem parentum jungentes divino, Joseph. *Antiq. lib. III. c.* 4. Christianorum alii primæ tribuunt tria, secundum primi facientes appendicem vel declarationem: secundæ septem, decimum discerpentes in duo. Et qui primæ tab. quatuor numerant præcepta, non idem planè sentiunt, dum alii præceptum primum faciunt quod locum præfationis in totam legem tenet, primum & secundum pòst compingentes in unum, ne denarius excedatur. Placet modestia B. Calvini; *In divisionem præceptorum noscendam non malè studium intenditur: modò ejus generis rem esse memineris, in qua liberum cuique judicium esse debeat, ob quam non sit contentiosè cum dissentiente pugnandum.* Addo, modò & integer retineatur præceptorum numerus, nullô dispunctô, nullô occultatô. *Dissensio de numero præceptorum utriusque tabulæ.*

II. Quapropter probare non possumus institutum I. Pontificiorum, qui secundum præceptum de non formandis & colendis imaginibus in Catechismis suis & libris ritualibus omittunt, idque hoc pacto plebi, cui Bibliorum S. lectione interdictum, prorsus intercipiunt, eo ipso malam suam causam prodentes. II. Eorum qui secundum sub primo occultant, quasi illud hujus esset appendix Exegetica. Rationes nobis sunt seqq. 1. Secundum præceptum non est juris positivi & arbitrarii, quod solos spectet Judæos: tùm quia fabrica imaginum interdicitur non sub ea ratione, quòd non sit *Recitatur & refutatur sententia Pontificiorum &c.*

sit mandata, sed quòd Deum provocet ad zelotypiam, Deusque sit *Jehova*, Ens spirituale & infinitum, quod simulacrô adumbrari nequit. 2. Primum præceptum de *objecto*, secundum de *modo* cultus religiosi cavet; hinc in primum peccari posse, secundô hactenus incolumi, & vicissim, docent Gentium & populi Israëlitici exempla, *Psal.* 106: 20. *Exod.* 32: 4, 5. Unde consequitur, secundum primi non esse ἐπεξήγησιν. Hinc & Judæi distinguunt eadem. Jonath. Chald. ad *Exod* 20. רבירא קדמאה dicit, *non habebis Deos* &c. רבירא תנינא secundum verbum vocat, *non facies tibi sculptile.* 3. Præceptum de supprimenda & extinguenda concupiscentia temerè in duo concerpitur: quia 1. *Exod.* 20. & *Deut.* 5. ordo invertitur, verbis de non concupiscenda domo proximi in Exodo præmissis, in Deut. postpositis: quod argumento est, illa unô non comprehendi præcepto. Non eadem inversi ordinis ratio, *Matth.* 19: 18, 19. *Rom.* 13: 9. ubi non totus repetitur Decalogus. 2. Paulus de concupiscendi interdicto loquitur ut de uno, *Rom.* 7: 7.

Regulæ Hermeneuticæ, quibus Catech. in Decalogi explicatione utitur.

Prima regula interpretationis Decalogi.

I. *Lex est spiritualis*, *Rom.* 7: 14. non solùm externam dictorum factorumque, sed etiam internam, mentis, voluntatis & affectuum, obedientiam, eamque perfectissimam postulans, *Matth.* 22: 37, &c. & 25: 20, &c.

Secunda.

II. *Præcepta legis latissimæ sunt explicationis*, *Psal.* 119: 96. *sub summis rerum capitibus expressis immensam rerum summam includentia.* Quapropter etiam virtutes ac vitia cognata, & quæ quomodocunque vel ut causæ, vel ut occasiones &c. illa attingunt, eò referri debent. Hinc Servator sub adulterio etiam oculorum adulterium, aspectus lubricos & incestos, comprehendit, *Matth.* 5: 28. Rem ita habere facilè probamus 1. Quia Scriptura S. quæ saltem in moralibus Decalogi commentarius est, plurima continet præcepta morum

morum Decalogô non expressa, quæ si Decalogô non comprehensa, sed superaddita essent, Lex Decalogi admodum imperfecta foret, eoque in summum adduceretur contemptum: cùm tamen Deus istius legis perfectionem non obscurè significârit tùm numerô denariô, qui omnium numerorum compendium est, siquidem ultra denarium non datur numerus nisi facto ad digitales 1. 2. 3. &c. regressu: tùm inscriptione Decalogi in tabulis non chartaceis, sed lapideis, sua manu factâ. 2. Quia haud dubiè præceptum quodvis omnem illum habet sensum, sine quo præcepti finis obtineri non potest. Ex. gr. sic concludendum, quia sextô præceptô prohibetur homicidium, ergò prohiberi & iram; quia hâc permissâ, finis præcepti, qui est incolumitas & tranquillitas vitæ humanæ & socialis, obtineri nequit. Unde existit hæc tertia regula:

III. *Cujusque præcepti interpretatio ex proximo ejus scopo petenda est.* Ex. gr. Cùm vitæ proximi incolumitatem nobis oporteat esse caram & pretiosam, qui finis est sexti præcepti, sequitur, eô non tantùm vetari, ne vitæ ejus noceamus quoquô modô, sed ex adverso etiam mandari, ut vitam ejus tueamur, &c. *Tertia.*

IV. *Præcepta negantia obligant semper & ad semper*, quia nunquam faciendum quod Deus vetuit. *Affirmantia obligant semper*, quia nunquam contraria illis facienda sunt: *sed non ad semper*, quia pleraque diversas personarum, temporum, occasionum &c. circumstantias flagitant, quibus deficientibus etiam actio non absolutè necessaria est: quale est præceptum benefaciendi pauperibus, frequentandi loca cultui publico dicata &c. *Quarta.*

V. *Quæ verbis sunt negativa, sensu etiam sunt affirmativa, & vicissim*, tùm ob rationes jam expositas; tùm quia virtutes præstari non possunt, nisi vitia fugiantur, pariterque vitiorum fuga sine virtutis studio non consistit; virtutem enim non exercere, ubi & quando debes, vitium est. Ex. gr. quando Apostolus hortatur, *desistat ab iniquitate omnis qui nominat nomen Christi*, 2 *Tim.* 2: 19. quis dubitet, Apostolum simul requirere studium æquitatis, justitiæ & omnis *Quinta.*

omninò virtutis, quandoquidem iniquitas est, non facere quæ omnis virtutis sunt. Unde Canon Theol. *Præcepta cùm brevissima sint, etiam synechdochica sunt, ita ut ex affirmantibus negantia, & contra; ex specie genus, & contrà; &c. sint intelligenda.* Quærenti, cur Deus ita velut dimidiis præceptis per synechdochas quid suæ voluntatis sit significârit magis, quàm expresserit, responderi potest per seq. regulam.

Sexta. VI. Quia caro peccatorum fœditatem, nisi ubi palpabilis est, diluere & speciosis prætextibus semper inducere conatur, ideò *quod erat in unoquoque peccati genere deterrimum & scelestissimum, exemplaris loco proposuit*, cujus ad auditum sensus quoque exhorresceret, quò majorem peccati cujuslibet detestationem & abominationem animis nostris imprimeret. Ex. gr. Ira & odium non usque adeò execranda putantur mala, quum suis nominibus appellantur: ac cùm interdicuntur nobis sub homicidii nomine, meliùs intelligimus, quanta sint in abominatione apud Deum, cujus voce in tàm horrendi flagitii ordinem rejiciuntur. Hujus igitur regulæ summa utilitas: ut delictorum gravitatem ex vero reputare assuescamus.

Quæstio XCIV.

Quid postulat Deus in primo præcepto?

UT quam mihi chara est salus animæ meæ, tam studiosè vitem & fugiam omnem idololatriam, magiam, incantationem, superstitionem, invocationem sanctorum, aut cæterarum creaturarum: unicum autem & verum DEUM rectè agnoscam, ipsi soli fidam, summâ humilitate, & patientiâ me illi subjiciam, ab eo solo omnia

omnia bona exspectem, denique intimo cordis affectu ipsum amem, reverear, venerer, adeò ut omnibus potiùs creaturis renunciem, quàm ut vel minimum contra ejus voluntatem committam.

ANALYSIS.

I. Audita præceptorum Decalogi recitatione & divisione, pergit Catech. ad singulorum expositionem. Præsens Quæst. est de mente & sententia primi præcepti.

II. Resp. habet

I. Præcepti explicationem tùm ex parte negativa, tùm ex affirm.

Parte negativa 1. Enumerantur peccata vetita quinque; *Idololatria, Magia, Incantatio, Superstitio, Invocatio sanctorum, aut cæt. creaturarum.* 2. Inculcatur nobis officium, quod est *studiosa vitatio & fuga* istorum omnium.

Parte affirm. bona opera recensentur octo, sed verbis, quæ simul officii nostri significatum includunt.

II. Sanctionem comminatoriam ab effectu noxio petitam, verbis, *quàm mihi chara est salus animæ meæ.*

EXEGESIS.

Præceptum primum. *quale, & quis ejus scopus.*

PRimum præceptum quomodo sonat? R. *Non erit tibi Deus alius:* vel, *non habebis Deos alienos in conspectu meo.* Q. *Quale est?* R. Verbis quidem negativum, disertè exprimens peccatum, quod inter cætera sui generis familiam ducit; verùm sensu etiam affirmativum est. Q. *Ejusdem scopus quis est?* R. Dominus,

minus, qui in monte Sinai locutus, seque dixit Jehovam Deum tuum, in populo suo solus vult eminere & haberi Deus. Quod ut fiat, impietatem ac superstitionem quamlibet, quâ divinitatis suæ gloria vel alienatur, vel imminuitur, vel obscuratur, à nobis quàm longissimè abesse jubet: atque vice versa eadem ratione verò pietatis studiò coli se à nobis & adorari præcipit.

Dii alieni qui dicantur.

II. Q. *Quos vocas Deos alienos?* R. Qui non creaverunt cœlum & terram: qui non sunt Deus Abrahami, Isaaci & Jacobi: qui non eduxerunt Israëlem ex Ægypto, nec ei locuti sunt in monte Sinai: ut verbò dicam; qui non innotuêre verbis & factis, quæ de Deo Israëlis in Scriptura S. prædicantur. His enim & similibus characteribus verus Deus à falsis distingui & cognosci vult in verbo suo. Obj. *Quid si falsus aliquis Deus ista omnia sibi attribuere & Israëli imponere voluisset?* R. Id ne fieret Deus in populo suo inter Cherubinos residere & conveniri voluit, inde *Sedens* dicitur *inter Cherubinos*, *Ps.* 80: 2. Christus ergò eô ipsô se Filium Dei, & verum illum cum æterno Patre Deum, ad conscientiam hominum demonstravit, quòd *quæcunque Pater facit, ipse ea pariter faceret*, *Joh.* 5: 19.

Primò præc. disertè prohiberi idololatriam sensu maximè proprio dictam.

III. Q. *Disertè igitur & directè quid prohibetur?* R. Illa idololatria, quâ quis locô veri Dei Deum alium sectatur & colit. Q. *Estne præter hanc alia quædam idololatria?* R. Imò, idololatria, quæ *affectata* dicitur, quâ quis præter & juxta verum Deum aliud quid habet, in quo spem & fiduciam animi reponit, qualis Apostolo dicitur *Avaritia*, *Col.* 3: 5. Avarus etsi neget, sibi suas divitias esse Deum, nihilominùs idololatra est, animum opibus mancipans, & suam in illis fiduciam reponens non secùs, ac si eas haberet pro Deo. Avaritiam porrò idololatriam esse affectatam, significat Apostolus, quando dicit; *Et avaritiam, quæ est idololatria*; quô additamentô opus non foret, si avaritia directo sensu idololatria esset. Nequè tamen hæc minus prohibita, nequè minùs regno cœlorum excludit, ac crassior illa, *Eph.* 5: 5.

IV. Q.

IV. Q. *Cùm ex negantibus affirmantia, & contrà, ex genere ſpecies, & contra &c. ſint intelligenda, agedum recenſe mihi peccata hôc præcepto vetita.* R. Juxta Catech. ſunt Idololatria, Magia, Incantatio &c. Q. *De idololatria dictum & amplius dicendum Quæſtione ſeq. Quam verò vocas Magiam?* R. Fœdus facere cum hoſte Dei hominumque, expreſſe vel tacitè, ad efficiendum opera humanis majora, ſive ſuo commodo ſive aliorum damno; vel ad indicandum res ſecretas &c. diſertè damnatur, *Deut.* 18: 10. &c. Q. *Quid eſt incantatio?* R. Abuſus verborum etiam Dei & rituum, ad conſequendum ex promiſſo Diaboli, quod incantator intendit. Species eſt Magiæ, eôd. locô damnata. Exempla vide 1 *Sam.* 28. *Act.* 19: 19. Q. *Quid ſuperſtitio?* R. 1. Quando quis eligit dicere quid, facere, pati, offerre, vel abſtinere, eô animô, ut vel placet Deum, vel aliquid impetret à Deo, & ſuper quo cum Deo, ſi id acceptum non habeat, jurgari poſſit. 2. Quando quis rebus naturalibus, ritibus, geſtibus, &c. efficaciam ineſſe opinatur, quam ineſſe nec verbô Dei, nec ratione conſtat. Quò referuntur auguria, ſomniorum obſervationes, divinationes, amuleta, &c. Q. *Quid Sanctorum invocatio?* R. Quando quis angelos & demortuos homines, tanquam mediatores & interceſſores apud Deum, adit, eorumque meritis adjuvari petit, eoque ipſos haud aliter alloquitur, ac ſi præſentes vel cordis inſpectores eſſent, ſalusque ab ipſorum gratia atque favore penderet. Q. *Quam vocas cæterarum creaturarum invocationem?* R. Viliſſimam illam animi ſubjectionem, quâ quis affectum cordis ſui, amorem, fiduciam, &c. rebus externis affigit, vel iis ſaltem nimium delectatur, quod fit, ſi eas non aliâ quàm voluptatis gratiâ ſectetur. Sic ſunt, *quibus vis ſua Deus ſuus*, *Hab.* 1: 11. Sunt, quibus *venter pro Deo*, *Phil.* 3: 19. Sunt, qui auro dicunt, *fiducia mea*, *Job.* 31: 24. Q. *Recenſuiſti & deſcripſiſti peccata hôc præceptô vetita, audiam paucis, quid tui, quid mei ſit officii circa iſta?* R. Summô ac perpetuo ſtudiô iſta omnia ſic devitanda ſunt, ut vel occaſio non ſolùm non quæratur & captetur unquam, ſed etiam oblata & per illece-

Peccata primo præcepto vetita.

1. *Idololatria.*

2. *Magia.*

3. *Incantatio.*

4. *Superſtitio.*

5. *Sanctorum & aliarum creaturarum invocatio.*

lecebram quamcunque invitans, maxima cum aversione fugiatur.

Pars præcepti affirmativa: ubi virtutes, sive bona opera mandata.

V. Q. *Sic fuit pars præcepti negativa: parte affirmativa quænam ex adverso præcipiuntur?* R. Dei Agnitio: Fiducia: Humilitas: Patientia: Spes viva: Amor Dei: Reverentia: Veneratio. Q. *Ista virtutis officia quomodo sunt intelligenda respectu Dei, in quem tendunt?* R. Cum exclusione, ita ut quicquid devotionis & honoris includunt, id omne soli Deo deferatur, sine ullius particulæ alienatione: qui etiam præcepti finis est. Hinc Catech. *Unicum autem*, inquit, *& verum Deum rectè agnoscam, ipsi soli fidam, &c.*

1. *Recta Dei agnitio.*

VI. Q. *Quam vocas rectam Dei agnitionem?* R. Quâ de Deo ejusque natura, attributis ac voluntate sentimus, prout se verbo suo & operibus nobis patefecit. *Jer.* 9: 23, 24 *Joh.* 17: 3. Hanc cætera omnia officia supponunt: prout enim de Deo senseris, ita animum

2. *Fiducia.*

ad ejus cultum & obsequium compones. Q. *Quid est fiducia?* R. Qua animus abnegatis propriâ justitiâ, sapientiâ, viribus, &c. in Deum solum absque pavore reclinat. Hujus duo fulcra: 1. Recognitio virtutum Dei, potentiæ, sapientiæ, bonitatis & gratiæ. 2. Fides amplectens gratuitam promissionem, quæ divinum propositum de salute peccatoris notificat, *Esai.* 12: 2.

3. *Humilitas.*

Gen. 15: 1. & 17: 1, &c. *Es.* 27: 5. *Heb.* 6: 18. Q. *Quid humilitas?* R. Quâ ex agnitione summæ Majestatis Dei, sensuque nostræ ἀδενείας, indignitatis & indigentiæ, nos totos Deo subjicimus, omnia bona illi soli accepta ferentes, nihil meritis nostris arrogantes, *Gen.* 18: 27.

4. *Patientia.*

& 32: 10. 2 *Sam.* 7: 18, 19. Q. *Quid patientia?* R. Quâ animus fiduciâ & spe veri boni munitus terrorem in adversis ita subigit, ut ne impediat facere, quod sui intelligit esse officii, persuasum habens, Deum pro bonitate sua paterna saluti nostræ quàm optimè consulere, & nisi quæ maximè expediunt adversa nobis non immittere: interim Deô, ut suô, in mediis tribulationibus lætatur, honori ducens, quòd datur sibi, Deum per eas glorificare, *Rom.* 5: 1, 3. 2 *Cor.* 4: 8, 9. *Job* 13: 15. *Psal.* 73: 25, 26. *Heb.* 10: 36. *Phil.* 1: 29.

5. *Spes viva.*

Act. 5: 41. Q. *Quid Spes viva?* R. Exspectatio vitæ æter-

næ

næ propter Christum nullô nostrô meritô dandæ, itemque mitigationis præsentium malorum & liberationis, juxta consilium & beneplacitum Dei, *Rom.* 8: 23. 1 *Pet.* 1: 13. 1 *Cor.* 10: 13. Nititur hæc spes 1. Promissione Dei non fallente. 2. Merito Christi. 3. Fide non deficiente. 4. Primitiis vitæ æternæ jam in hac vita percipiendis &c. Unde *spes viva* dicta 1 *Pet.* 1: 3. Q. *Quid amor Dei?* R. Quo Deum, ceu verum & unicum nostrum bonum, cujus cognitione sapientes, amore sancti, & communione beati sumus, ex toto corde, tota anima &c. amplectimur, eique adhærescimus: de quo ad Quæst. IV. Q. *Quid reverentia?* R. Amori mixtus timor, quo Deum peccatis offendere solicitè cavemus, & quicquid divini muneris habemus, ut verbum Dei, salutis partæ pignora, Spiritum adoptionis, fidem, spem &c. arctè tenemus & custodimus, æternæ saluti cum timore & tremore operandæ identidem intenti, *Gen.* 39: 9. *Phil.* 2: 12. *Apoc.* 3: 11. Hæc reverentia *initium* & *præcipuum* est *sapientiæ*, *Prov.* 1: 7. & 9: 10. Item *arca* asservandæ possessioni salutis, sapientiæ, &c. *Esai.* 33: 6. Q. *Quid tandem veneratio?* R. Sincerus Dei cultus, continens adorationem, invocationem & obedientiam.

6. *Amor Dei.*

7. *Reverentia.*

8. *Veneratio: quæ includit* 1. *Adorationem.*

VII. Q. *Quam vocas adorationem?* R. Ad hanc pertinet 1. Agnitio infinitæ ὑπεροχῆς, virtutum & perfectionum divinarum, quarum nullam ne minimâ quidem parte vel homo, vel Angelus, nedum alia creatura æquiparare valet. Unde potissima inter adorationem religiosam & civilem differentia. 2. Devota admiratio, quæ nos ponderi gloriæ divinæ ferendo minimè pares profiteatur. 3. Laudum divinarum celebratio, in quam omnes animi corporisque facultates conspirent. 4. Profunda submissio, corpore prostrato, aliove gestu decoro, testanda. Q. *Quid est invocatio?* R. Hæc gratiæ & auxilii divini imploratione, malorum deprecatione, & gratiarum actione constat; de quibus suo loco. Q. *Quid obedientia?* R. Constans animi propositum, ex agnitione & amore æternæ veritatis, sanctitatis, justitiæ & dominii Dei omnes actiones suas, totumque vitæ tenorem secundùm

2. *Invocationem.*

3. *Obedientiam.*

omnia Dei mandata componendi, Deumque glorificandi & proximum ædificandi omni bonorum operum genere. Hanc igitur obedientiam oportet esse constantem, sinceram, universalem, solicitam & religiosam, adeò ut omnibus potiùs creaturis renuncies, quàm ut vel minimum contra Dei voluntatem committas, ut habet Catech.

Præcepti sanctio comminatoria.

VIII. Q. *Audivi hactenus præcepti explicationem, quænam est ejus Sanctio comminatoria?* R. Eam Catech. à noxio; videlicet dispendio salutis animæ, petitam ab initio exprimit, dicens, *ut quàm mihi chara est salus animæ meæ* &c. ut animum accedentis ad meditationem hujus præcepti illicò religione imbuat, istorumque peccatorum fugam & bonorum operum studium suadeat & acuat. Q. *Unde eam arcessit Catech.?* R. Ex postremis præcepti primi verbis, *coram facie mea*: quæ verba ad rei prohibitæ indignitatem & delinquentis periculum exaggerandum pertinent. Indignum planè & impudens factum, si quis Deo teste & inspectante novum ausit erigere & colere Numen, velut si mulier præsente marito mœchum amplectatur. Ingens inde periculum: Deus enim, gloriæ suæ Zelotes, hanc læsæ majestatis suæ injuriam longè graviùs ulciscetur, quàm maritus zelotypus uxoris adulteræ perfidiam ulcisci potest.

Quæstio XCV.

Quid est idololatria?

Est loco unius Dei, aut præter unum illum & verum Deum, qui se in suo verbo patefecit, aliud quippiam fingere aut habere, in quo spem reponas.

ANA-

ANALYSIS.

Sigillatim describitur idololatria interna, eaque gemina.

I. Crassior illa & strictè dicta; *Quâ loco unius & veri Dei, qui se suo verbo patefecit, Deus alienus habetur pro Deo.*

II. Affectata, *quâ præter unum illum & verum Deum aliud quippiam fingitur* &c.

Descriptio ista generalis, omni idololatriæ internæ conveniens, desumitur 1. Ab objectis, quæ sunt aut *Deus alienus locô* veri Dei: aut *quippiam aliud præter* vel juxta *verum Deum.* 2. Ab actibus mentis, qui sunt tùm judicii, *fingere aut habere:* tùm affectûs, *spem vel fiduciam reponere.*

EXEGESIS.

Necessitas seorsim & sigillatim agendi de idololatria.

QUæ ratio seorsim hic agendi de idololatria? R. 1. Qua illa fons & caput est reliquorum vitiorum, atque ideò disertè expressa in primo præcepto. 2. Ut cautum reddat Catechumenum, ne sibi imponi patiatur à Pontificiis idololatriam nimis angustè concipientibus & interpretantibus. Q. *Qui verò?* R. Idololatriam suam excusaturi negant, se sanctos &c. habere pro Diis, summo illo veroque Deo deserto. Atqui satis est criminis, ut idololatræ dicantur, in sanctos transferre, quæ soli Deo debentur, quod ipsi faciunt, spem & fiduciam reponentes in Sanctorum meritis & intercessione, eos invocantes, eorundem imagines, reliquias &c. religiosè venerantes. Idololatria enim est non solùm, ubi locô veri Dei, Deus alienus vel extraneus, *Psal.* 81: 10. qui naturâ Deus non est, *Gal.* 4: 8. habetur pro Deo: verùm etiam ubi honos soli vero Deo debitus creaturis pari

Pontificios esse Idololatras ostenditur.

vel impari participatione transscribitur, *Esa.* 42: 8. *Matth.* 4: 10. Sic idololatræ Samaritani, 2 *Reg.* 17: 33, &c. Sic idololatra avarus, *Eph.* 5: 5. etsi interrogatus, num Mammonem suum agnosceret Deum, haud dubiè negaret. Vid. ad Quæst. præced. §. 3.

Distinctio cultûs Latriæ, Duliæ & Hyperduliæ nulla est.

II. Exc. *Alium esse cultum Latriæ, alium Duliæ, alium Hyperduliæ: illum Deo, istum Angelis & Sanctis, hunc B. Virgini &c. deferendum.* R. 1. Mali moris est, si uxor perfidiæ suspicionem distinctione amoris diluere velit. 2. Vulgus Scholasticæ distinctionis ignarum, teste quotidiana praxi, Deum atque Sanctos promiscuo cultu veneratur. 3. Scripturam S. δουλείας & λατρείας vocabulis indifferenter uti docent loca *Matth.* 4: 10. coll. 1 *Thess.* 1: 9. *Gal.* 4: 8. *Apoc.* 22: 3. Et qui servitutem servit ab hostibus impositam juxta LXX. Interp. dicitur λατρεύειν, *Deut.* 28: 48. Etiam profanis Scriptoribus non observari discrimen verborum λατρεύειν & δουλεύειν probat Laur. Valla ad *Matth.* 4: 10. productô testimoniô ex Xenoph. *l.* 3: *in Cyripædia.* 4. *Hyperdulia* commentum est quorundam Scholasticorum, Scripturæ & piæ antiquitati ignotum. Taceo, discrimen illud multiplici Papistarum praxi facilè refelli. Quanquam Patres Angelis, Sanctisque defunctis concedant honorem & cultum dilectionis atque societatis, nemo tamen Patrum primis sex seculis seriò ac sedatò scribens, nos Angelis vel sanctis servitutem debere dixit: neque enim sumus servi angelorum vel hominum, sed Angeli Christo subjecti, & Sancti *primogeniti in cœlis conscripti*, conservi & fratres nostri sunt in libertatis regno. Unde Angelus Johanni ipsum adorare paranti, *vide*, inquit, *ne feceris. Conservus tuus sum & fratrum tuorum---- Deum adora*, *Apoc.* 19: 10. Exc. *Angelos in V. T. ab hominibus adorari se passos nunc adorari noluisse, præcipuè ab Apostolis aliisque summis viris, ob reverentiam humanitatis Christi: Bellarm. lib. I. de Sanct. Beat. c.* 14. R. 1. Angelos creatos olim fuisse adoratos, falsum est: multò minus ergo nunc sunt adorandi, quippe quibus *orbis habitabilis futurus* Ecclesia N. T. *non subjicitur*, *Heb.* 2: 5. 2. Angelus Apoc. adorari recusat, quia *conservus* haberi, & *Deum ado-*

Vindicatur locus Apoc. 19: 10. *adv. Bellarm.*

adorari vult: si aliam omittendæ adorationis causam Johanni in mentem venire voluisset, eam haud dubie non tacuisset. 3. Conservum se dicit Johannis & fratrum ejus: Apostoli fratres agnovere omnes, qui testimonium Jesu fide fuerunt amplexi & professi. 4. Si angeli post Christum in carne manifestatum adorari nolunt, cur Papistæ eos adorant.

Quæstio XCVI.

Quid postulat secundum præceptum?

NE Deum ullâ imagine aut figurâ exprimamus, neve ullâ aliâ ratione eum colamus, quàm quâ se in suo verbo coli præcepit.

ANALYSIS.

Quærenti de mente secundi præcepti ita respondetur, ut

I. Ex secundo præc. repetatur, quod nominatim & in specie eô vetatur; *ne Deum ullâ imagine aut* &c.

II. Ex specie illa concludatur genus; *Neve ullâ aliâ ratione eum colamus, quàm* &c. Ubi obs. 1. Cultus divini necessitas ex præcepto fluens; Deus *se coli præcepit*. 2. Modus colendi in verbo Dei præscriptus; *non alia ratione* &c.

Prius Resp. membrum partem habet præcepti negativam, posterius affirmativam.

EXE-

EXEGESIS.

Præcepti secundi summa & scopus.

SEcundum Præcept. *quomodo sonat?* R. *Ne sculpas, vel facias, tibi simulacrum, nec ullam imaginem*, &c. Q. *Quæ ejus summa, quis scopus?* R. Quemadmodum primò præc. Dominus unum se Deum esse pronunciavit, locò cujus & præter quem nulli alii dii cogitandi aut habendi sint: Ita qualis sit, & quô cultûs genere honorandus, apertiùs etiamnum in hoc præc. edicit, ne quid sibi carnale affingere audeamus. Finis igitur Præcepti est, quòd Dominus superstitiosis ritibus legitimum suî cultum non vult profanari: è contra verò nos ad rectum suî cultum, spiritualem, puta, & à se institutum, formare.

Ejusd. partes primariæ:

II. Q. *Præcepti secundi, quod mox recitâsti, quænam notandæ sunt partes primariæ?* R. Duæ: 1. Præceptum ipsum. 2. Ejusdem sanctio. Q. *Præceptum quale est?* R. Verbis quidem negativum, sed sensu simul affirmativum, disertè vetans idololatriam externam, peccatum in suo genere deterrimum.

I. *Interdictum.*

Primùm interdicitur fabrica simulacri quô Deus assimiletur.

III. Q. *Ante omnia ergò, ut partem præcepti negativam expendamus, quid vetat Deus hôc interdictô?* R. Duo: primum coërcet nostram licentiam, ne Deum sub sensus nostros subjicere aut ulla specie repræsentare audeamus; *non facies tibi simulacrum* &c. enumeratis deinceps omnibus formis, quibus à superstitiosa gentilitate figurari solebat, *nec ullam imaginem effingas eorum, quæ aut suprà sunt in cœlo, aut* &c. Apostolus in simili enumeratione non meminit corporum cœlestium, pro scopo sermonis, quem habuit, contentus recensuisse formas absurdissimas, ut *volucrium* & *piscium*, quæ comedi; & *reptilium*, quæ pedibus calcari solent. Primum igitur, quod interdicitur est fabrica imaginum, quibus Deus repræsentetur. Exc. *Vetari fabricam & cultum idoli:* atqui *idolum esse similitudinem ejus quod revera non est, ut apud Gentiles erant statuæ Veneris & Minervæ, quales dii fœminini generis nec sunt nec esse possunt; at imaginem, εἰκόνα esse veram rei existentis similitudinem* &c. *Bellarm. lib. de Imag. & reliq. Sanct. c. 5.* R. Sic Pontificii

Exceptio Pontif.

tificii imagines non tantùm sanctorum, sed etiam SS. Trinitatis facientes & colentes nequicquam à transgressione hujus præcepti se purgare conantur: I. Quia in Scriptura S. idolum appellatur etiam imago vero Israëlis Deo fabricata, *Act.* 7: 41. conf. *Exod.* 32: 4, 5. Idem ex Ephraimitarum exemplo liquet *Hos.* 4: 12, 15. &c. 1 *Reg.* 14: 9. coll. 1 *Reg.* 12: 28. 2 *Reg.* 10: 16, 28. & 13: 4, 5, 6. II. Verba secundi præcepti LXX. reddunt quidem ἐ ποιήσεις εἴδωλον, prohiberi tamen imaginem Dei artefactam &c. docet Moses, legem hanc interpretans, *Deut.* 4: 15, 16, &c. Et Psaltes, *Psal.* 106: 20, 21. & Stephanus, *Act.* 7: 41. Adde, simulacrum veri Dei etiam esse idolum juxta mentem Adversariorum intellectum, quia veri Dei nulla datur similitudo: ergò erit simulacrum rei non existentis.

IV. Excipiunt denuò Pontif. *se non facere imaginem divinitati, sed eas duntaxat effingere formas, in quibus Deus aliquando visus est: qualis est forma senis, columbæ, nubis* &c. ℟. 1. Non, si Deus sibi sermonem & symbola glorioſæ præsentiæ suæ manifestandæ facere potest, sequitur, nos Deo facere posse imaginem, in qua se nobis exhibeat: quemadmodum nec vocem formare possumus, quæ Dei sit vox. 2. Imago nec Deo similis est, nec illi organo, in quo Deus se manifestavit: non enim species assumpti corporis, sed divina verba, & operationes docent Deum esse præsentem. Abrahamus non vultu agnovit Jehovam, sed sermone & Spiritûs S. intra animum indicio, *Gen.* 18. 3. Signorum cita disparitio docebat, illa non esse nostræ imitationis & perpetui usus. Nubes, flamma, &c. in quibus Deus præsentiam Numinis sui quondam exhibuit, admonebant potius, hominis aspectum ad liquidam Dei contemplationem non penetrare. Cherubini super propitiatorio à conspectu hominum erant submoti. *Exc. Pont.*

V. Q. *Alterum hôc secundô Dec. præceptô distertè vetitum quodnam est?* ℟. Cultus imaginum in religionis exercitio, cùm internus in animo; tùm externus in gestu. Q. *Internus quibus verbis prohibetur?* ℟. Quando non simpliciter edicitur, *non facies*, sed additô, *Secundò interdicitur simulacrorum cultus in religio-*

nis exercitio.

tô, non facies *tibi*: id quod ad animum pertinet: q. d. non facies, ut ei confidas, ut in veneratione & cultu habeas, ut inde utilitatem speres, neque eo fine fieri curabis, aut de tuo fieri permittes. Q. *Et externus* &c. ? R. Verbis לא תשתחוה *non incurvabis te illis* &c. q. d. non prosternes te coram imagine precaturus, non adolebis, non sacrificabis imagini &c. neque facies ut colatur ab aliis, ergò nec templa exstrues imagini, nec altaria dedicabis &c. Quanquam autem Hebr. השתחוה Gr. προσκυνεῖν, Lat. *adorare* h. e. manum ad os admovere, & similia quædam, cultus civilis & religiosi communia sunt, tamen infinitum differunt per modum applicandi ad cultus objectum. Verbi causâ, *ingeniculare* est actus honoris, cujus usus esse potest coram Rege, & coram Deo: sed illo præsente; hôc non visô, oculis palmisque in cœlum erectis. Neque est quod Iconolatræ dicant, Deum in imagine, vel præsentem ad imaginem coli, juxta illud;

En Deus est, quod imago docet, non Deus ipsa.
Hanc videas, sed mente colas, quod cernis in ipsa.

Neque enim Deus, creaturæ dissimilis, in imagine cernitur, neque ad imaginem præsens est. Jeroboam conflatis Cherubinis, quales erant Hierosolymis, Deum inter eos habitare, ibique adorari posse existimabat, sed nil nisi vitulos adorâsse dicitur.

Ad interdictum referri debet etiam ἐθελοθρησκεία, & mos nominandi Deos Gentilium.

VI. Q. *Nihilne amplius hôc præceptô prohibetur?* R. Imò etiam I. Omnis ἐθελοθρησκεία. Qui modô abs se inventô Deum colit, Deum sibi similem facit, quasi qui eadem re, quâ ipse delectetur, atque ita reverâ idolum vel Deo imaginem facit. II. Ineptus mos nominandi Deos Gentilium etiamnum receptus plerisque Poëtis Christianis. Q. *Cur ineptum dicis, cur damnas?* R. 1. Si rem ex vero arbitrari velimus, nomina Jupiter, Apollo, Mercurius, Venus &c. non plus elegantiæ habent in oratione, quàm nomina Moloch, Baal Pehor, &c. 2. Idolum mente facit, qui Deos gentilium istô modô nominat. 3 Illorum memoria damnata est *Hos.* 2: 16. *Zach.* 13: 2. 4. An gra-

ta

ta nobis prisci sacrilegii cogitatio? an volupe pudenda majorum retegere?

VII. Q. *Dixisti de parte præcepti negativa, quænam est affirmativa?* R. Deus vetans se coli in imagine, ex adverso præcepisse intelligitur cultum sui juxta præscriptum verbi: hinc Catech. *Neve ulla alia ratione* &c. Q. *Id verò unde probas?* R. 1. Cultum Dei oportet proficisci ex fide in *Jehovam, Deum tuum:* atqui fides supponit revelationem verbi. 2. Cultus Dei habet rationem obedientiæ, quâ Deo, non tibi, obsequaris: ergò supponit præceptum verbi divini. 3. Accedentem ad Deum oportet credere, *quòd sit remunerator* &c. *Heb.* 11: 6. ergò cultus iste supponit promissionem in verbo Dei factam. *Pars præc. affirmativa.*

VIII. Q. *Quomodo igitur colendus est Deus?* R. De modo isto plurima ex Scripturis repeti possent præcepta. Christus paucis omnia complexus dixit; *venit hora & nunc est, quum veri adoratores adorabunt Patrem in Spiritu & veritate &c. Joh.* 4: 21, 22. *In Spiritu*, h. e. pura mente, totaque cogitatione in Deo ita defixa, ut menti nil nisi Spiritus obversetur, citra imaginem menti intus præsentem vel foris objectam, & citra attentionem ad ritus corporeos & externos, quales in V. T. quondam fuere observandi juxta ἐντολὴν σαρκικὴν, *Heb.* 7: 16. *In veritate*, h. e. quemadmodum convenit credentibus, omnes figuras & umbras legis esse impletas. Sic adoramus Jehovam, ut eum qui factus est nobis in Deum, & quidem in Christo secundùm prophetiam typorum & verborum exhibito &c. Quæ adoratio nulli loco, nullisque præsentiæ divinæ symbolis adstricta est. *Quomodo Deus colendus, docetur generatim ex Joh.* 4.

IX. Q. *Dixisti de præcepto ipso, audiam nunc ejus sanctionem.* R. Ea sic sonat; *Ego enim sum Dominus, Deus tuus, fortis, zelotes, vindicans peccata*, &c. Q. *Quibus constat partibus?* R. I. Rationibus tribus. Quærenti igitur, *quare nec facienda nec in cultu habenda sint simulacra?* R. Quia Deus dicit; 1. *Ego sum Jehova, Deus tuus*, de quibus in præfatione dictum. 2. *Deus fortis*, qui pœnam inferre potest, eamque talem, quâ peccator se Deum omnipotentem offendisse sentiat. II. *Præcepti secundi sanctio. Ubi* 1. *Rationes.*

sentiat. 3. *Zelotes*, qui consortem ferre non potest. Conjunctio fœderalis inter Deum & nos, quos in Ecclesiam recipere dignatur, sacri cujusdam conjugii instar habet. Hinc idololatria in Scriptura dicitur scortatio post Deos alienos. Deus igitur zelotem se dicens significat, quòd gloriæ suæ contemptum, & alienationem dissimulare atque inultam ferre nec possit, nec velit. II. Comminatione, *vindicans peccata patrum in filiis*, &c. Q. *Ergone Deus pœnam alieni delicti ab insonte expetit?* R. Ne nunc inquiramus, quid Deum deceat, quid juris habeat, &c. satis est novisse, Deum hîc interminari maledictionem non modò in caput impii idololatræ, sed in totam quoque familiam ejus incubituram: qua incumbente quid aliud exspectari potest, quàm ut pater Spiritu Dei destitutus flagitiosissime vivat? filius ob patris nequitiam similiter à Domino derelictus eandem exitii sequatur viam: nepos demùm & pronepos, hominum detestabilium execrabile semen, præcipites post eos ruant. Sic posteri parentum peccata imitantes meritò puniuntur. Id ipsum verò, quòd Deus posteris gratiam suam negat, pœna est parentibus, qui maledictionem posteros prementem ad quartam usque progeniem, per ætatem usque eò productam, videre possunt. III. Promissione de propaganda in mille generationes Dei misericordia, &c.

2. *Comminatio.*

3. *Promissio.*

Quæstio XCVII.

An nullæ ergo prorsus fingendæ sunt imagines, aut simulacra?

DEus nec ullâ ratione effingi debet, nec potest. Creaturas autem etsi quidem exprimere licet, vetat tamen Deus earum imagines fingi aut haberi, quò vel ipsas, vel Deum per ipsas colamus aut honoremus.

ANA-

ANALYSIS.

I. Quæstioni nata occasio ex priore parte secundi præcepti, *ne sculpas tibi simulacrum, nec ullam imaginem effingas:* hinc proclive quærere, an ex mente secundi præcepti omnes imagines sint rejiciendæ.

II. Respondetur adhibita distinctione imaginum. Aliæ sunt *illicitæ* per se, ut imagines Dei, quia *Deus nec ulla ratione effingi debet* &c. Aliæ sunt *licitæ* per se, quales sunt imagines creaturarum, *Creaturas autem etsi quidem* &c. Illicitæ tamen fiunt per accidens ex malo fine & usu; *Vetat tamen Deus earum imagines fingi* &c.

EXEGESIS.

Quæstionis scopus.

QUis hic quærenti *scopus?* R. Mentem secundi præcepti paulò amplius explanari cupit. Audienti enim generatim edici, *ne sculpas simulacrum, nec ullam effingas imaginem*, proclive est quærere, an ergò nullas fingere liceat imagines. Q. *Sic igitur quærenti quid respondes?* R. Nego 1. Quoties homo quid videt, imaginem facit, & loquentem audiens concipit cogitationem similem ei quæ est in loquente, & quidem Deo sic sapienter ordinante. Moses Dei mandatu fecit serpentem æneum, & typos in tabernaculo, symbola & emblemata rerum spiritualium, &c. 2. Notandus igitur imaginum usus triplex: *Politicus*, ad commemorationem rerum antiquitus gestarum: *Oeconomicus*, ad ornatum, decus & oblectationem licitam: *Religiosus* ad cultum. Hic demum damnatur, uti docebunt seqq. atque hinc distinctio imaginum illicitarum & licitarum, & rursus illicitarum per se vel per accidens talium.

Imaginum distinctio.

Imagines illicitæ per se quænam.

II Q. *Quas dicis imagines illicitas & quidem per se tales?* R. Imagines Dei: 1. Quia Deus nulla ratione effingi debet; *Deut.* 4 15. &c. *Esa.* 40: 18. 2. Effingi non potest: Cum enim sit Spiritus, infinitus, nemini visus, nulla ejus imago mente concipi, & consequenter opere sculptili, fusili, picto vel quacunque demum arte effictô exprimi potest: manus enim artificis imitatur imaginem in mente depictam. *Joh.* 4: 24. *Act.* 17: 29. Hinc facere Deo simulacrum est commutare gloriam Dei incorruptibilis, *Rom.* 1: 23. Plut. in *Numa* refert, primis 170. annis templa Rom. caruisse simulacris, vel hominis, vel animalis, quòd nefas ducerent præstantiora deterioribus adsimilari. Simulacra igitur Majestatis divinæ sunt dehonestamenta. 3. Si daretur Dei simulacrum, eô ipsô quòd Deo simile esset, etiam venerabile foret: atqui non vult Deus præter se quicquam in cultu & veneratione religiosa haberi. 4. Imago Dei in Scripturis memorata aut *Substantialis est*, Filius Dei, *Col.* 1: 15. *Heb.* 1: 3. sed in creatura inimitabilis: aut *Accidentalis*, homo ad imaginem Dei conditus vel renovatus. Atqui hæc docet, Deum omnibus rebus esse majorem, lucem habitare inaccessam, neque adeò videri & comprehendi posse. His demùm imaginibus vivis, videl. Christianis ad imaginem Dei reformatis, templa sunt exornanda, quod fit, ubi frequens est confluxus ad sacra publica.

Imagines licitæ.

III Q. *Quas dicis imagines licitas?* R. Imagines creaturarum corporearum, quippe quæ sua quantitate, figura, colore & habitu præditæ, artis imitamine effingi, & usum œconomicum vel historico-politicum, hactenus innocuum, præbere possunt. Q. *Quas vocas illicitas per accidens?* R. Easdem, ubi adhibentur tanquam instrumenta cultus divini, adeoque finguntur vel habentur malo fine & usu. Q. *Quis malus ille finis?* R. Duplex est. I. Si imago fingatur aut habeatur, ut colatur, quasi vel Deus esset ipsa, vel Deus præsens in ipsa: ut quondam stulti credidere Gentiles, delusi fraudibus Diaboli, qui per imagines loqui & responsa dare solebat: *Hos.* 4: 12. Quam fraudem coarguens Scriptura imagines dicit *opera manuum hominis, os habere*

Illicitæ per accidens ex malo fine & usu.

Diabolus quondam in imagi-

bere, & non loqui &c. *Psal.* 115: 4, 5, 6. *Esa.* 40: 19, 20. Obj. *Atqui, ut modò dixisti, responsa audiebantur ex imaginibus, quis aliquid a ligno vel lapide salutem ullam exspectasset?* R. Non imago sed Diabolus loquebatur: 1. Quia sine labiorum motitatione in imagine observata. Unde 2. Interventu Pythonum pipientium & mussitantium, *Esa.* 8. 19 edita oracula dubia, flexiloqua, mendacia. 3. Deus nec verbô nec exemplô unquam testatum fecit, se in imagine præsentem adiri & audiri velle. Unde imaginum artifex *Doctor mendacii*, *Hab.* 2: 18. II. Si imagines fingantur aut habeantur, ut Deus per ipsas colatur aut honoretur. Id quòd scripturæ testimoniis & exemplis damnatur: videantur loca Catechetæ citata. Adde, quòd primis 300. annis nullas in templis fuisse imagines constet ex Can. 36. Concilii Eliberit. Anno 305. *Placuit, picturas in Ecclesia esse non debere, ne quod colitur & adoratur, in parietibus depingatur.* Q. *Quid tenes de sanctorum imaginibus?* R. 1. Ex fine secundi præcepti, omnes imagines à cultu Dei abdicandas esse, patet. 2. Sanctorum demortuorum nulla datur imago corporea. 3 Cùm Deus nihil præter se in cultu & veneratione religiosa haberi velit, eô ipsô etiam ejus simulacrum à cultu removit. Hinc adeò qui Sanctos in imaginibus colunt, sese & primi & secundi præcepti violatores probant.

nibus locutus Gentilitatem infatuavit.

Quid de sanctorum imaginibus tenendum.

Quæstio XCVIII.

An autem in templis imagines tolerari non possunt, quæ pro libris sint imperitæ multitudini?

MInimè: neque enim decet nos sapientiores esse Deo, qui suam Ecclesiam non mutis simulacris, sed vivâ prædicatione verbi sui vult erudiri.

ANALYSIS.

I. Quæstio habet objectionem, *Imagines pro libris sunt imperitæ multitudini: ergò in templis tolerari possunt.*

II. Resp. negat I. Consequentiam, addita ratione, quia qui imagines tanquam libros obtrudunt imperitæ multitudini, sapientiâ & authoritate se supra Deum efferunt: quod ostenditur oppositò ordine divinitùs sancito, in quo illi non acquiescunt. Prius est in verbis; *Neque enim decet nos sapientiores esse Deo.* Posterius, *qui suam Ecclesiam non mutis simulacris, sed &c.* II. Antecedens, quia simulacra 1. Sunt *muta.* 2. Docendæ Ecclesiæ à Deo non instituta.

EXEGESIS.

Greg I. P. R. imagines pro libris habendas existimavit.

OBjectio hæc non solùm Papistarum est, sed & aliorum, qui cultum quidem imaginum hactenus damnant, eas tamen ut laicorum libros rectè retineri credunt, sequentes Gregorii M. exemplum. Cùm enim circa Annum Dom. 600. Serenus, Episc. Massil. imagines, quòd eas à quibusdam adorari observaret, confregisset atque projecisset, scripsit ad ipsum Gregorius: *Perlatum ad nos fuerat, quòd inconsideratò zelò succensus Sanctorum imagines sub hac quasi excusatione, ne adorari debuissent, confregeris. Et quidem quia eas adorari vetuisses, omninò laudavimus: fregisse verò reprehendimus.* Et non multò pòst: *Aliud est picturam adorare, aliud per picturæ historiam quid sit adorandum addiscere. Nam quod legentibus Scriptura, hoc idiotis præstat pictura cernentibus; quia in ipsa etiam ignorantes vident, quod sequi debeant, in ipsa legunt qui literas nesciunt. Unde & præcipuè gentibus pro lectione pictura est.* Et rursus:

sus: *Frangi verò non debuit, quod non ad adorandum in Ecclesiis, sed ad instruendas solummodò mentes fuit nescientium collocatum. Ex Regist. Epist l. IX. Ep. 9.*

II. Q. *Verumne est, imagines Dei, Christi, Sanctorum, pro libris esse posse imperitæ multitudini?* R. Nego: tùm quia mutæ sunt, adeoque ad docendum ineptæ, & nisi rerum cognitione antè imbuto prorsus inutiles: tùm quia, si quid docent, vanitatem dictant, *Zach.* 10: 2. *Jer.* 10: 8 facientes, ut imperitum vulgus Deum creaturæ similem putet, verbum Dei insuper habeat, cordique suo ad temerè quid faciendum confidat &c. Adde, si imagines plebi pro libris & Doctorum locò sint, si ad pietatem & devotionem excitant, uti jactare solent Pontificii, cur quadragesimæ tempore, quò potissimùm ad pietatem excitatur populus, perstrepentibus viva doctorum voce suggestis, imagines velant, & linteaminibus obvolvunt? nonne eò significant, imaginibus eam in rem opus non esse, si quorum est munus docendi, officium facere velint? *Usum librorum præstare non possunt imagines.*

III. Q. *Quid igitur judicas de illis, qui imagines in templis pro libris habendas vel tolerendas existimant?* R. Hactenùs temerè supra Deum sese efferunt, tùm quia sapientiùs consulere volunt Ecclesiæ, quàm Deus, tùm quia authoritatem sibi sumunt de cultu Dei leges ferendi, plebisque obedientiam postulandi, contra *Gal.* 5: 8. Q. *Quî verò?* R. Siquidem non contenti ordine divinitùs sancitò cultum Dei innovant, contra *Deut.* 12: 32. Ordo autem, quem Deus sanxit, is est, de quo Catech. qui suam, inquit, Ecclesiam non mutis simulacris, sed viva prædicatione verbi sui vult eruditi. *Habent Mosen & Prophetas, audiant eos, Luc.* 16: 29. *Es.* 8: 20. Fides non ex intuitu simulacrorum, sed *ex auditu verbi* est, *Rom.* 10: 17. *Gal.* 3: 2. Rectiùs de hisce sensit Carolus M. Rex, quàm Greg. M. Pontifex. Ille in Opere suo contra Synodum in partib. Græciæ pro adorandis imaginibus habitam, *lib.* 2. *c.* 30. inter alia; *Imaginum usus*, inquit, *qui à Gentilium traditionibus inolevit, sacræ legis libris æquiparari nec debet nec valet: quia in libris, non in imaginibus, doctrinæ spiritualis eruditionem discimus. Non enim ait P. ulus* *Ergò peccant qui eas in templis habent vel tolerant.*

De illo imaginum usu in templis Caroli M. judicium

Apost. Quæcunque picta sunt, ad nostram doctrinam picta sunt: sed ait, quæcunque scripta sunt &c. Nec ait, Omnis pictura, sed omnis scriptura divinitus inspirata utilis est ad docendum, &c. Dominus in montem Sinai descendens, legem non pictam, sed scriptam Mosi dedit, & in tabulis lapideis non imagines, sed apices, qui indices verum sive signa verborum esse perhibentur, tradidit, &c. Talibus benè multis ex universo Scripturarum codice congestis, tandem subjicit; *O imaginum adorator, ô rerum insensatarum cultor! qui fidei tuæ puritatem in imaginibus conservare te dicis, supplex eis adstare memento cum thymiamatibus: nos præcepta Domini solerti indagatione perquiramus in divinæ legis codicibus. Tu luminaribus perlustra picturas: nos frequentemus divinas Scripturas. Tu fucatorum veneratos esto colorum: nos veneratores & capaces simus sensuum arcanorum Tu dipictis demulcere tabulis: nos divinis mulceamur alloquiis*, &c

Ex dictis in secundum præcept. concluditur, pie facere, qui imagines nullo prætextu tolerandas volunt in templis.

IV. Ex hactenus dictis concludamus I. Minimè improbandum fuisse factum Sereni Episcopi à Gregorio I. & Leonis Isauri, Imp. Gr. à Greg. II. P R quando imagines, eò quod à plebe adorarentur, è templis amoverant & disjecerant, secuti exemplum Hiskiæ, qui similem ob causam serpentem æneum confregit, &c. 2 *Reg.* 18: 4. II. Piè fecisse Principes atque Magistratus, qui superiori seculò imagines in templis non tantùm ut non colendas, sed ne quidem librorum vicem tolerandas edixêre. Neque verò est, quòd imagines mutas, ligneas, lapideas, plumbeas à plebe resipiente destructas indignè ferant Papistæ, cùm ipsis religioni non sit, destruere imagines Dei vivas, hoc est, mactare Christianos, & osculari vitulos, *Hos.* 13: 2.

Quæstio XCIX.

Quid sanxit Deus tertio præcepto?

UT non solùm exsecrando, aut pejerando, verùm etiam temerè jurando, nomen Dei contumeliosè aut irreverenter ne

ne usurpemus, néve tacendo aut connivendo, horrendis istis sceleribus communicemus: sed sacrosancto Dei nomine, non nisi summa cum religione ac veneratione utamur, ut verâ & constanti confessione, invocatione, omnibus denique verbis & actionibus nostris ipse celebretur.

ANALYSIS.

Qnærenti de mente tertii præcepti respondetur per explicationem partis

I. Negativæ: ubi enumerantur vitia 1. Commissionis; *Execratio, perjurium*, & *juramentum temerarium*. 2. Omissionis; *silentium*, sive *conniventia*, dum aliorum blasphemiæ audiuntur.

II. Affirmativæ: ubi virtutes recensentur vitiis istis contrariæ, videl. 1. In genere, *religiosus usus nominis Dei*. 2. In specie, *vera confessio*, *Invocatio*, *Celebratio*.

EXEGESIS.

Tertium præceptum ejusque partitio.

TErtium *præceptum quomodo sonat?* R. Ne usurpes nomen Domini &c. Q. *Quas habet partes?* R. 1. Interdictum *ne usurpes* &c. 2. Sanctionem; *neque enim Dominus dimittet eum impunitum, qui* &c.

I. *Interdictum.*

II. Q. *Primum igitur, ut interdictum rectè intelligamus*, quæram *quid sit* nomen Dei, *quid* usurpare, *quid* in vanum? R. 1. *Nomen Dei* significat tùm Deum ipsum, tùm quicquid aliquam ejus proprietatem seu perfectionem nobis manifestat, ita quidem, ut eô audito Deus vel Divinum quid intelligatur: hæc enim nominum ratio est. 2. *Usurpare*, vel *ferre*, nomen Dei, est id habere in ore, proferre, ejus inter lo-

Nomen Dei quid sit.

Quid, usurpare nomen Dei.

Quid, usurpare in vanum.

quendum & agendum mentionem facere &c. 3. *In vanum*, significat tùm temerè, tùm falsò. Unde quæ præcepti summa & quis scopus sit, facilè conjicitur.

Tertiò præc vetatur 1 Blasphemia.

III. Q. *Ut sequamur vestigia Catech. quid primum vetatur hoc præceptò?* R. *Blasphemia* sive *execratio*, quæ est contumeliosa in Deum oratio, de Deo malè quid affirmans vel negans, aut de Deo enuncians, quod gloriæ bonitatis, sapientiæ, justitiæ divinæ &c. derogat. Cùm autem tribus modis contumeliosus sermo concipi possit, videl. modô indicandi, imperandi vel optandi, & quidem de Deo ipso, divinisque attributis, vel rebus quôquô modô ad Deum pertinentibus, inde nata apud Casuistas blasphemiæ *directæ* & *indirectæ* distinctio. Quæ exemplis declarare nec utile, nec necessarium est, prohibente religione animi, & qua cautione hîc agendum sit non obscurè docente Scripturâ S. quæ in historia blasphemi illius hybridæ satis habet retulisse, quòd inter rixandum *nomen expresserit & maledixerit*, *Lev.* 24: 11. Unde etiam *εὐφημία* in verbo ברך *benedicere* pro *maledicere* vel *valedicere* & *renunciare*, positô, 1 *Reg.* 21: 10, 13. *Job.* 1: 5, 11. & 2: 5.

Et imprecatio.

Ad *execrationem* porrò referenda est *imprecatio* adversum nos vel alios, 2 *Sam.* 16: 7, 8. *Exod.* 21: 17. in qua Sacrosancti nominis divini contumeliosissima profanatio est, dum imprecantes Deum faciunt ministrum pravarum suarum cupiditatum, iræ, invidiæ, odii, impatientiæ &c. quô nihil indignius cogitari potest: cùm deberent esse *factores legis*, ejus se constituunt *judices*, *Jac.* 4: 11. divinæ authoritatis nomen attrectantes. Prophetarum dicta in hostes Dei atque Ecclesiæ incurabiles non ipsorum, sed Spiritûs S. sententiæ sunt.

2. Perjurium.

IV. Q. *Quid secundò vetatur?* R. *Perjurium*, quô quis falsò jurat, sive falsum asserat pro vero, sive promittat, quod servare animus non est, vel certe non servat, *Lev.* 19: 12. *Jer.* 5: 2. & 7: 9. *Zach.* 5: 4. Enorme scelus, Deum mendacii testem, & perfidiæ patronum faciens. Q. *Quid tertiò?* R. *Juramentum temerarium*, citra necessitatem & gravem causam, adeoque etiam citra reverentiam Majestatis divinæ usurpatum, *Matth.* 5: 34, &c. *Jac.* 5: 12. Q. *Quid quartò?* R. *Silentium*

3. Juramentum temerarium.

lentium & *conniventia*, quæ blasphemiarum proximi dissimulatio & tacita approbatio est, *Lev.* 5: 1. Qui audiens verba in Deum contumeliosa silet, neque vel voce, vel gestu, (qualis olim apud Judæos erat vestium laceratio, *Esa.* 36: 22.) improbantis & abhorrentis animi signum edit, alienum peccatum communicatione suum facit: animum quin etiam ab omni amore Dei & studio glorificandi nomen ejus vacuum prodit, quippe cui gloria Dei adeò chara non est, ut eapropter alteri vel verbô adversari velit. Atque hæc sunt vitia juxta Catech. enumerationem tertiô præceptô vetita. Q. *Nihilne amplius est, quod eò referri debeat?* R. Haud dubiè damnatur etiam *hypocrisis* & *temeritas* eorum, qui Jehovam nominant Deum suum non in veritate & bonæ conscientiæ testimonio, & quanquam veram fidem non habentes fœderis divini exsortes sint, ejus tamen communionem sibi vendicant, nomen Dei ore ferentes, & quantum in se est, facientes, ut nomen Dei blasphemetur inter Gentes, *Mal.* 1: 6. *Rom.* 2: 24. Id dicitur *assumere fœdus Dei in os, etsi oderis disciplinam* &c. *Psal.* 50: 16, 17. quales fuere, qui describuntur *Hos* 8: 1, 2.

4. *Silentium & conniventia.*

5. *Hypocrisis.*

V. Q. *Atquè hæc de vitiis tertio præcepto interdictis; quænam ex adverso præcipiuntur virtutes sive virtutis officia?* R. I. *Usus nominis divini summa cum religione* ac *veneratione conjunctus*, ut quicquid mens de Deo concipit, quicquid lingua profatur, ipsius Majestatem respiat, & sacræ nominis ejus sublimitati respondeat, & ad extollendam ejus magnificentiam aptum sit. *Religio* hôc locô conscientiæ metum; *Veneratio* æstimationem virtutis & excellentiæ cum admiratione, significat, *Job.* 1: 22. 1 *Pet.* 4: 11. II. *Confessio veræ Religionis*, quâ de Deo quod sentimus & credimus sincerè, liberè, intrepidè & constanter profitemur, quoties gloria Dei & salus communis postulat, *Matth.* 10: 32. *Rom.* 10: 10. 1 *Pet.* 3: 15. III. *Invocatio*, ore sive externo sermone, expresso nomine Dei, facienda, 1 *Tim.* 2: 1, &c. *Ps.* 50: 15. IV *Celebratio*, quâ non solùm verbis virtutes Dei, beneficia & opera quæque prædicemus, sed etiam factis studeamus esse ad gloriam ejus, atque omnino tales, qui non temerè Jehovam dicamus Deum

Tertio præc. præcipiuntur

1. *Religiosus usus nominis divini.*

2. *Veræ Religionis confessio.*

3 *Invocatio.*

4. *Celebratio quæ verbis & factis constet.*

nostrum, *Eph.* 5: 19, 20. 1 *Cor* 6: 20. 1 *Pet.* 2: 12.

II. *Sanctio præcepti.*

VI. Q. *Sic fuit interdictum: ejus sanctio quid habet?* R. Comminationem severissimam in transgressorem, quâ significatur, nominis divini contemptum minimè fore inultum. Q. *Quæ ratio comminationis huic præcepto singulariter additæ?* R. Hæc custodia, hoc quasi præsidium præcepto & linguæ additum, non solùm ostendit, intolerabilem esse impietatem, ubi mortalis homo linguam ad celebrandas Dei laudes creatam, in ejus contumeliam exerit, sed etiam docere videtur, Deum minimè passurum, ut tale peccatum etiam in terra occultum maneat, nedum inultum abeat. Unde supplicium lapidationis sancitum, cujus executio toti populo demandata, *Lev.* 24: 16. Quòd si & judices & populus officio deessent, Deus ipse à nominis sui contemptoribus pœnam sumere solebat. Quod etiam gentibus præcipuè de perjurio creditum: Unde oraculum apud Herodotum;

Commationis singularis ratio.

At juramento quædam est sine nomine proles,
Trunca manus & trunca pedes: tamen impete magno
Advenit atque omnem vastat stirpemque domumque.

An ex hac communicatione concludendum, nullam profanatori nominis divini sub pædagogia populi Judaici in Vet. Test. paratam fuisse veniam, inquirendum relinquimus iis, quibus ingenium & otium abundant.

Quæstio C.

Estne igitur adeò grave peccatum, jurando aut dira imprecando nomen Dei temerare, ut Deus etiam iis succenseat, qui quantum in se est, illud non prohibent aut impediunt?

CErtè gravissimum: Neque enim ullum peccatum majus est, aut quod Deum gravius offendat: quàm sacri ipsius nominis

nominis contumelia. Quocirca etiam id scelus morte mulctare voluit.

ANALYSIS.

I. Speciatim quærit de gravitate perjurii & dirarum imprecationis, an tanta sit, ut etiam non impedientes iram Dei incurrant?

II. In Resp istorum peccatorum gravitas 1. Affirmatur, *certè gravissimum.* 2. Illustratur collatione imparium, per comparationem cum aliis peccatis, tanquam minoribus; *Neque enim ullum est peccatum majus,* cujus rei argumentum est effectus peccati; *aut quod Deum gravius offendat,* &c. 3. Probat testimonio judicii Dei; *quocirca etiam id scelus morte mulctari voluit.*

EXEGESIS.

Quæstionis occasio & nexus.

QUæstioni unde nata occasio? R. Ad peccata tertiò præceptò prohibita Catech. proxima quæstione retulit silentium, ita quidem, ut qui execrationem vel perjurium auditum silentiò transmittit, neque eò se offendi ullò modò significat, in locum pejerantis vel execrantis veniat, eique consimiliter peccâsse existimetur: id verò cùm rem obiter consideranti duriusculum videri queat, ex gravitate delicti, quod execrando & pejerando committitur, Deum etiam silentibus magnoperè succensere, docet.

Gravitas contumeliæ in Deum conjectæ

II. Q. *Gravitatem peccati illius unde ostendis?* R. Propiùs inspectum, & cum aliis peccatis collatum, sceleris enormitate illicò se plus satis manifestat; ut non abs re Catech. dicat; *Neque enim ullum est peccatum*

ostenditur ex ejus natura & pœna.

catum majus, *aut quod Deum gravius offendat*, &c. uti patebit attendenti cùm ad peccati hujus naturam, tùm ad pœnam. Q. *Quî verò?* R. 1. Naturam ejus quod attinet, etsi cætera quæque delicta Majestati divinæ vilipendiô aliquô adversentur, *Jac.* 2: 10, 11. nusquam tamen contemptus Dei insignitior est, quàm in hac contumelia, quippe quæ ἀμέσως & directè majestatem Dei petit. Graviùs delinquit qui Principis, quàm alterius cujuscunque, faciem conspuit. 2. Pœnam quod concernit, ea capitis supplicium est, legibus & exemplô sancitum, *Lev.* 24: 15. &c. *Homo, qui maledixerit Deo suo --- morte moriatur: lapidando lapidabit eum universus cœtus*, &c. Cur verò à toto populo lapidibus obruendus? ut omnes è spectaculo illo discerent, abolendum esse tale portentum, quod terram contaminabat. Eô etiam voluit Deus zelum populi sui probare, quum omnes accerseret ad defensionem gloriæ suæ, & ad vindictam armaret. Q. *Quomodo inde concludam Deum etiam succensere silentibus & non impedientibus?* R. 1. Qui audit novitque summum lædi Imperantem in Rep. verbis vel factis ad seditionem &c. spectantibus, tacendo in suspicionem venit consortii, vel saltem ejus, cui talia in principem vel Remp. tentari non displiceat. 2. Ex eo, quod Deus supplicii à contumelioso sumendi executionem universo populo demandatam voluit, colligere est, & universorum & singulorum fuisse, quoad fieri posset, contumeliam nominis divini impedire, non dissimulare, &c. nî culpæ consortes haberi vellent apud Deum. 3. Adde diserta Scripturæ testimonia, *Lev.* 5: 1. *Prov.* 29: 24.

Unde concludendum, iram Dei accersi etiam in silentem &c.

Quæstio CI.

Potestne quis etiam piè per nomen Dei jurare?

POtest: *cùm vel magistratus id exigit, vel alioqui necessitas, hoc pacto fidem firma-*

firmari, & veritatem ſtabiliri poſtulat: quò & gloria Dei illuſtretur, & aliorum ſaluti conſulatur. Nam ejus generis jusjurandum verbo Dei ſancitur, ideoque etiam à ſanctis in veteri & novo fœdere rectè eſt uſurpatum.

ANALYSIS.

Contra Anabaptiſtas omne jusjurandum in N. T. velut illicitum damnantes, quæſtionem; *poſſitne quis piè per nomen Dei jurare?* affirmat Catech. ubi

I. Indicat duo licitorum jurament. genera ex cauſis impellentibus, 1. Quod *magiſtratus exigit.* 2. Quod *neceſſitas poſtulat.* Caſus neceſſitatis duplex eſt ex duplici fine: tùm, ut *gloria Dei illuſtretur:* tùm ut *aliorum ſaluti conſulatur.*

II. Demonſtrat talia juram. eſſe licita. 1. Teſtimoniô Dei; *nam ejus generis jusjurandum verbô Dei ſancitur.* 2. Exemplis ſanctorum V. & N. T. *ideoque etiam à ſanctis* &c.

EXEGESIS.

Quæſtionis quæ ratio? R. Cùm ex iis, quæ in Quæſt. 99. de perjurio & juramento temerario dicta, ſequatur, licitum ergò eſſe jusjurandum, modò in veritate, & non ſine gravi cauſa atque neceſſitate ſit ſuſceptum; & verò Chriſtus omnem juramenti uſum in N. T. ſuſtuliſſe videatur, *Matth.* 5: 34. *Ego verò dico vobis, ne jurate omnino*, &c. hinc dubitandi ratio, poſſitne quis etiamnum ſalva pietate per nomen Dei jurare. *Quæſtionis ratio.*

II. Q.

Juramenti licîti conditiones in Catech. partim suppositæ, partim expressæ.

II. Q. *Sic quærenti quid respondes?* R. Posse affirmo, si adsint conditiones in jurejurando, ut piè suscipiatur, requirendæ: quarum alias Catechesis supponit, alias exprimit. Q. *Quas, & quomodo supponit?* R. Dum licitum pronunciat jusjurandum, quod à Magistratu exigitur, tale exigi supponit, quod conditiones habeat ab ipso Deo præscriptas, respicientes vel in *eum per quem* juratur, vel in *eum qui* jurat, vel denique *in rem* super qua jurandum: quæ omnes comprehensæ illô Dei verbô; *Jurabis, vivit Jehova, in veritate, in judicio & in justitia, Jer.* 4: 2.

Suppositarum conditionum Prima, jurandum per verum Deum.

III. Q. *Quænam igitur jurisjurandi lex est, respiciens in eum per quem jurandum?* R. Necesse est jurari per verum Deum. Hinc locô mox citatô Spiritus S. juraturo quasi verba præit, eum conceptis verbis jurare jubens, *vivit Jehova;* quod nomen memoriale veri Dei. Q. *Conditio respiciens in jurantem quænam est?* R. I. Jurandum *in veritate*, procul omni hypocrisi fallendique studio, mente cum verbis consentiente.

Secunda, jurand. in veritate & judicio.

II. *In judicio*, quô duo requiruntur: 1. Rationis usus, quô prudenter discernere valeas verum à falso, bonum à malo, necessarium & utile ab eo, quod minùs tale: itemque nosse, quæ jurisjurandi religio, quantâ animi reverentiâ, cordis sinceritate & verborum simplicitate, & quô demùm necessitatis casu, ponderatis rerum & circumstantiarum momentis, juramentum suscipi oporteat. 2. Libera voluntas & deliberata intentio jurandi & jurata præstandi. Hæc enim ubi desiderantur, juramentum est temerarium vel falsum. Q. *Quæ tandem jurisjurandi lex respectu rei, super qua jurandum?* R. Ubi opus, jurandum est *in justitia:* quo nomine Deus duo curæ esse vult juranti, I. ut quod jurejurando promittit, sit licitum, atque adeò tale, quod nec pietati, nec charitati, nec salutaribus Reip. legibus, nec officio subditorum adversetur, neque denique majus bonum morale impediat. Enimverò ad malum nulla est obligatio, neque jusjurandum convenit esse iniquitatis vinculum. Bis ergò peccavit Herodes, quando quod temerè juraverat, præstitit, *Matth.* 14: 7. Et rectè August. de Davide

Tertia, jurandum in justitia.

Serm.

Serm. de decoll. Joh. *Juravit*, inquit, *David temerè, sed non implevit jurationem majore pietate*, 1 *Sam.* 25: 22, 23. Sic iniquum fuit נדר הנאה *votum beneficentiæ* dictum Phariſæis, quod Chriſtus reprehendit, *Matth.* 15: 5. II. Ut jurandi juſtas habeat cauſas & occaſiones, de quibus Catech.

Conditiones juramenti liciti in Catechesi expreſſæ.

IV. Q. *Dixiſti de conditionibus jurisjurandi liciti à Catech. ſuppoſitis; quænam ſunt expreſſæ?* R. I. Licitum eſt juramentum quod Magiſtratus exigit ſive promiſſorium, ſive aſſertorium. Q. *Quid vocas promiſſorium?* R. Ubi Magiſtratus fidem juratam ſtipulatur à civibus, officiariis, & militibus; unde Latinorum phraſes, *ſacramento* rogare, adigere, ſacramento dicere. Q. *Quod aſſertorium?* R. Quod à teſte, vel reo exigitur in judicio, litis terminandæ gratia, *Heb.* 6: 16 Sic depoſitarius jurat, rem nulla ſua fraude periiſſe, *Exod.* 22: 10, 11. II. Licitum eſt, quod neceſſitas fidei firmandæ & veritatis ſtabiliendæ cauſâ poſtulat. Q. *Neceſſitas unde æſtimanda?* R. Ex duplici fine, videl. ut gloria Dei illuſtretur, & ſaluti aliorum conſulatur. Q. *Numquid non etiam jurare licet, ut meæ conſulam ſaluti & famæ integritati, quâ quidem carere ſine detrimento vocationis meæ non poſſum?* R. Si in diſcrimen fama tua ob alterius obſtinatam malignitatem veniat, ſine offenſa ad Dei judicium provocabis, ut tuam innocentiam tempore manifeſtet. Minus eſt teſtem advocare, ſi verba expenduntur. Non video igitur, cur hic illicitam aſſeramus atteſtationem. Hæc Calv. ſubactiſſimi judicii Theologus inter alia ad 3. præceptum Decal. annotat. Quô caſu etiam alterius ſaluti conſulis: tuô enim juramentô, quod & ſuum reputare debet, ad pœnitentiam reduci poteſt, ſi quid illi religionis ſupereſt. Et hoc eſt juramentum privatum, quod ſobriè, ſanctè, reverenter, neceſſariis rebus adhibitum, mox laudatus Author defendit exemplis Jacobi & Labanis, *Gen.* 31: 52, 53. Booſi, *Ruth.* 3: 13. Obadiæ, 1 *Reg.* 18: 10. addo tamen, non omittendam cautionem, ut, ubi judicii publici copia eſt, in quo famam tuearis & proximo conſulas, juramento privato abſtineas. Secus, ubi Civitas non eſt, & patresfamilias ſegreges vivunt,

vivunt, vel ubi judex adiri non potest, &c. quod allata exempla ostendunt.

Juramentum hactenus descriptum licitè usurpari probatur.

V. Q. *Juramentum, ut hactenus descriptum, esse licitum, quibus tandem argumentis affirmas?* Rz. I. Testimoniô Dei, qui juramentum religiosè usurpandum præcepit, *Deut.* 6: 13. & 10: 20. quod præceptum Christus non sustulit, *Matth.* 5: 17. sed à contemptu & corruptela vindicavit, ibid. v. 33, &c. Quod ipsum probant loca *Es.* 19: 18. & 45: 23. & 65: 16. quæ ad tempus N. T. prospiciunt. II. Exemplis sanctorum in V. & N. T. laudatis, Abrahami, *Gen.* 21: 24. Isaaci, *Gen.* 26: 31. Jacobi, *Gen.* 31: 53. Principum populi Israël, *Jos.* 9: 15. Davidis, 1 *Sam.* 24: 23. & 2 *Sam.* 3: 35. 1 *Reg.* 1: 29. Pauli, *Rom.* 9: 1. 2 *Cor.* 1: 23. Obj. *Matth.* 5: 34. *Ne jurate omninò*, &c. Rz. 1. In genere, Christus non vult nos sponte nostra & arbitriô ad jurandum accedere: contrà jubet veracitati studere, ut etiam injuratis, & *næ* vel *non* dicentibus fides habeatur. Ita qui jurat & qui jusjurandum timet opponuntur, *Eccles.* 9: 2. Nequetamen sequitur, eum, qui jusjurandum timet, nulla necessitate ad jurandum rectè adigi posse. 2. In specie, illud ὅλως *omninò*, non ad jurandi verbum refertur, sed subjectas sacramentorum formulas. Id enim inter alia vulgus prava Pharisæorum & Scribarum Catechesi imbutum errabat, quòd etiam de re qualibet jurare non illicitum, neque jurantem teneri, existimaret, si non audiretur nomen Dei. *Si quis jurat per cœlum, per terram, per solem, &c. sit licèt animus jurantis per Deum jurare, a quo sunt, tamen non est juramentum. Majemon. in Schevuot. cap.* 12. *Si quis alium adjurat per cœlum aut terram, reus non est. Talm. Schev. c.* 4. Hinc adeò more receptum fuisse jurare per cœlum, per terram, per Hierosolyma, per caput suum, per templum, exemplis quàm plurimis è Talm. ostendi potest. Ideò Christus, *ne jurate*, inquit, *omninò: neque per cœlum &c. quia jurans per cœlum jurat per thronum Dei & per sedentem super ipso*, *Matth.* 23: 22.

Resp. ad locum Matth. 5: 34.

Quæst.

Quæstio CII.

Estne licitum jurare per sanctos aut alias creaturas?

NOn: Nam legitimum juramentum est invocatio Dei, qua petitur, ut is, tanquam unicus cordium inspector, testimonium det veritati, & jurantem puniat, si sciens fallat. Porrò hic honos nulli creaturæ convenit.

ANALYSIS.

Per sanctos &c. jurare licitum esse, negatur argumentô à jurisjurandi definitione petitô. Ubi obs.

I. Definitio jurisjur. ex partibus ejus, nempe 1. Attestatione, quæ est *invocatio Dei, quâ petitur, ut is tanquam unicus cordium inspector testimonium det veritati.* 2. Imprecatione, quæ est invocatio Dei, quâ petitur, *ut jurantem puniat, si* &c.

II. Definitionis ad quæst. applicatio, *atqui is honos nulli creaturæ convenit.*

EXEGESIS.

Quæstionis occasio.

UNde *quæstioni occasio?* R. Ab errore Papistarum qui per creaturas jurare licitum existimant, nisi adsit scandalum: per irrationales quidem *relativè*, i. e. in ordine ad Deum, præsertim si sint res sacræ & Deo dicatæ: per rationales verò, puta Angelos & Sanctos *absolutè*. Unde juramenta per Deum

& creaturas absolutè loquendo specie differre negat *Escob. Mor. Theol. Tract. I. Exam.* 3 .c. 1.

Jurare per creaturas illicitum esse, probatur.

II. Q. *Tune ergò licitum esse negas?* R. Quidnî? Q. *Quibus argumentis?* R. I. Quia legitimum juramentum est invocatio Dei &c. *Ego testem Deum invoco*, &c. 2 *Cor.* 1: 23. Pars igitur cultûs divini, & religiosa confessio, Deo tribuens gloriam omniscientiæ, justitiæ, potentiæ & vitæ. Q. *Qui verò ostendis jure jurando confessionem edi omniscientiæ, justitiæ, &c. divinæ?* R. 1. Ea invocatione petitur, ut Deus tanquam unicus cordium inspector, *Ps.* 139: 2. perspectum habens, verène an falsò, corde & ore consentientibus an dissentientibus, jures, testimonium det veritati: 2. Ea invocatione jurans à Deo justissimo atque potentissimo peccati judice & vindice pœnam sibi imprecatur perfidiæ, si sciens fallat, hoc est, si verum affirmet, quod falsum esse nôrit, & facere vel dare promittat, ad quod præstandum animus aut facultas deest, casus improvisus citra omnem promissoris culpam rei promissæ præstationem impediens, malæ fidei culpam diluit. Atqui, ut hinc concludam, honor invocationis, καρδιογνωσίας, justitiæ & omnipotentiæ ad ulciscendum pro merito perjurium, nulli creaturæ nec in solidum nec ex parte convenit, *Matth.* 4: 10. 1 *Reg.* 8: 39. *Deut.* 32: 35. Exc. *Atqui isto honore Deum non spoliat, qui per creaturas relativè ad Deum jurat.* R. Dum pro suo lubitu creaturam locô Dei adhibet præter idololatriam etiam sacrilegium committit. II. Formulæ jurandi per creaturas *relativè*, sive in ordine ad Deum, nusquam in Scriptura S. approbantur. Obj. *Matth.* 23: 16. R. Aliud est, licitè quid fieri, aliud est, factum obligare: neque enim docet Christus, rectè jurari per cœlum, per terram, &c. sed eum qui sic juraverit, teneri. III. Adde, periculosum esse istarum formularum usum. Etenim facile est, ut insuper habito discrimine, & sensim imminuta jurisjurandi religione, audientes offendantur, & jurantes etiam temerè & falsò jurandi consuetudinem contrahant.

Quæst.

Quæstio CIII.

Quid præcipit Deus in quarto præcepto?

PRimùm, ut ministerium & scholæ conserventur: utque ego cùm aliis, tùm præcipuè festis diebus studiosè cœtus divinos frequentem, verbum Dei diligenter audiam, utar sacramentis, precibus publicis meas quoque preces adjungam, pro facultatibus aliquid conferam in pauperes: Deinde, ut in omni vita à pravis actionibus vacem, Domino concedens, ut per Spiritum Sanctum in me suum opus faciat, atque ita sempiternum illud Sabbathum in hac vita exordiar.

ANALYSIS.

I. Quærenti de mente quarti præcepti, quatenus hoc ad institutionem Catechumeni Christiani pertinet.

II. Respondetur distinguendo officia hoc præcepto inculcata, quæ sunt

1. Externa, eaque 1. Publica & remota duo, nempe tùm *ministerii*, tum *scholarum conservatio*. 2. Privata & proxima: ubi ℵ temporis definitio, *utque ego cùm aliis, tùm præcipuè festis diebus* &c. ב Officiorum in illud tempus rejectorum recensio. 1. Sacrorum cœtuum frequentatio. 2. Verbi divini diligens auscultatio. 3. Sa-

cramentorum usurpatio. 4. Preces publicæ. 5. Collatio eleemosynarum in usus pauperum.

II. Interna, quæ sunt 1. Perpetuum studium resipiscentiæ; *ut in omni vita à pravis actionibus vacem.* 2. Studium sanctificationis; *Domino concedens ut* &c. 3. Æterni Sabbathi inchoatio; *atque ita sempiternum illud Sabbathum* &c.

EXEGESIS.

Quartum præceptum ejusque partitio.

Quodnam est quartum præceptum? R. *Memento ut diem Sabbathi sanctifices*, &c. Q. *Quas habet partes?* R. I. Mandatum sanctificandi Sabbathum cum definitione *temporis*, quod est septima quæque dies recurrens, & modi, qui est in omnimoda cessatione ab operibus suis, indicta patribusfamiliâs, filiis, filiabus &c. II. Rationem ab exemplo Dei desumptam, ut cùm se ad Creatoris sui imitationem tendere nôssent, eò alacriùs officium facerent, &c. Q. *Quare Catech. nihil de omnimoda illa cessatione, nihil de septimæ diei definitione* &c.? R. Quia non cum Judæis sibi negotium esse voluit, sed cum Christianis, apud quos universos primus hebdomadæ dies festus atque sacer habitus fuit ab Apostolorum usque tempore. Quapropter præceptum, qua parte omnimodam cessationem septimæ diei adstrictam injungit, Ecclesia Christiana ad se pertinere non credit, secùs præcepti violati se ream profiteretur. Q. *Quomodo igitur indidem deduci possunt officia, quibus etiamnum nos teneri docet Catech.?* R. Id parebit attendenti ad finem atque usum præcepti de Sabbatho.

Quare Catechesis hîc tàm parca.

Finis instituti Sabbathi olim triplex fuit: 1. Ut esset umbra & typus.

II. Q. *Finis ergò ille quis fuit?* R. Triplex. Primùm voluit Deus sub diei septimi quiete populo Israëlitico spiritualem requiem & pacem conscientiæ, per Christum ultimo tempore dandam, adumbrare, *Col.* 2: 16. Q. *Id verò unde ostendis?* R. 1 Ex Psal. 95. Apostolus tertiam requiem concludit, diversam cùm

ab

ab illa, quæ primo homini proposita, tùm ab illa in quam Josua Israëlitas introduxit, *Heb.* 4: 9. quæ alia esse nequit, quàm requies per Christum data ab accusatione peccati & servitute elementorum mundi, cum tranquillatione conscientiæ, &c. ordienda quidem sub œconomia N. T. in hac, sed consummanda in altera vita: de qua Catech. *& ita sempiternum illud Sabbathum in hac vita exordiar.* 2. Sabbathum erat *signum inter Deum & Israëlitas, quòd ipsos sanctificaret, Exod.* 31: 13. *Ezech* 20: 12. Ubi sanctificatio omne Dei beneficium significat, quod à gratia est, cujus plenitudo in tempora N. T. reservata fuit, adeoque cum conversione hominis etiam plenam peccatorum remissionem, sine accusatione & chirographi scriptione, complectitur.

III. Q. *Quia signo cum re signata intercedere oportet analogiam, eam mihi paucis exhiberi cupiam?* R. Analogia reperitur I. In omnimoda cessatione ab omni opere servili. Sanctificationis pars prior est mortificatio veteris hominis & operis sui sive proprii, ut locus sit operi Dei. Illam suô modô figurabat intermissio omnis operis servilis, quæ mors quædam videri poterat officinarum in urbibus & villarum ruri, clausis officinis & interquiescente operariorum manu perinde ac si emortui essent. Q. *Quare ad eam rem præcepta ἐκεχειρίας & abstinentia ab opere servili per se licito?* R. Servile & manuarium opus ex se quidem non inhonestum est, etsi certè molestum & maledictionis characterem habens à lapsu, eô tamen abstinere jussit Deus. 1. Quia vacare ab opere illicito, per se inhonesto, ad rem significatam pertinet. 2. Opus servile consideratur ut opus *suum* videl. hominis, *sex dies, operaberis & facies omne opus tuum*: atqui cùm nihil nostri habeamus præter peccatum, hominis opus vel peccatum, vel certè peccatô inquinatum est. Naturâ enim suâ impurus, tactu polluit quicquid operis servilis agendum suscipit. Hinc 3. præceptô quietis hominem impuritatis accusare, & rursus sanctificationem, quam ipse sibi præstare non posset, à Deo, sanctificatore populi sui, ex beneficio Messiæ, olim

Sabbathi externi, ut signi, analogia cum re significata.

1 *In omnimoda cessatione ab opere servili ut re.*

omnem reatum & impuritatem cum ejus accusatione ablaturi, exspectare jussit. Ut adeò præceptum illud usum partim legalem, partim Evangelicum habuerit in accusando & consolando. II. Analogia est etiam in sanctificatione Sabbathi per opera cultus divini, quibus operum servilium intermissio locum facere debuit. Ut in otio & cessatione, mortis, sic in negotio sacro & actione, vitæ imago fuit, vivere enim est agere. Quod die Sabbathi in cultu Dei agendum erat sacerdotibus, Levitis, cæterisque Israëlitis, significabat, hominem mundo suisque operibus & commodis mortuum, se totum Deo dedicare, Deo vivere, Deoque ut suum opus in ipso faciat, concedere debere, quæ ipsa novi hominis vivificatio & vivendi ratio est. III. Analogia denique est in tempore. Tempus cultui solenni dicandum Deus non hominum arbitrio reliquerat, sed diem quamque septimam quæ ultima hebdomadæ creationis universi, eum in usum ipsemet indixerat, ut 1. Significaret verum Sabbathum, in cessatione à peccato & in sanctificationis studio consistens, non absolutum iri, donec ventum fuerit ad ultimum diem. 2. Ut figuraret quietem adventu Christi באחרית הימים *in novissimo dierum* prioris temporis afferendam. 3. Ut quies septimæ esset umbra quietis Christi in sepulchro: Constat enim Christum, postquam animæ suæ laboribus erat defunctus, toto die Sabbathi Judaici in sepulchro quievisse. Atque hic est primus isque præcipuus Sabbathi quartò præceptò instituti finis & usus. Q. *Unde id constare vis?* R. Vel ex hoc solo, quòd nullius ferè præcepti obedientiam severiùs Dominus exegerit. Quum subversam omnem religionem vult apud Prophetas significare, polluta, violata, non custodita, non sanctificata sua Sabbatha conqueritur. Neque id mirum: qui enim destinatâ operâ Sabbathum negligebat vel profanabat; præterquam quòd cultum solennem in eum diem edictum protervè contemneret, etiam spem & exspectationem summi beneficii per Messiam consequendi abnegabat: atqui spes illa & exspectatio erat quasi vita & anima Religionis Israëliticæ in V. T.

2. *In sanctificatione diei per opera in cultu publico peragenda.*

3. *In die definito.*

Hic præcipuus Sabbathi finis & usus.

Taceo

Taceo encomia, quibus præcepti hujus obſervantiam paſſim proſequitur Spiritus S. & quòd fideles, inter alia oracula, Sabbathi revelationem mirifice æſtimârint, ut intelligamus, quanta in dignatione habeatur inter præcepta omnia legis. *Num.* 15: 32, &c. *Ezech.* 20: 12, 13. & 22: 8. & 23: 38. *Jerem.* 17: 21, 22, 27. *Exod.* 31: 13, &c. *Eſa.* 56: 2. *Neh.* 9: 14.

II. Secundus Sabbathi hebdomadalis uſus.

IV. Q. *Quis ſecundus finis?* R. Deus populo Iſraël. ſtatum voluit eſſe diem, quò ad legem audiendam & ceremonias peragendas convenirent, vel ſaltem, quem operum ejus meditationi peculiariter darent, ut hac ratione ad pietatem exercerentur: videatur *Lev.* 23: 2, 3. *Eſa.* 1: 13. *Act.* 15: 21. Prior uſus proprius erat fidelium: neque enim Sabbathum ſanctificationis ſignum eſſe poterat aliis quàm credentibus in Meſſiam, eamque fidem & ſpem promptò obſequiò probantibus. Hic verò ſecundus Sabbathi uſus communis erat omni turbæ Iſraëlitarum, quorum erat confluere ad locum ſacris publicis deſtinatum.

III. Tertius Sabbathi hebd. uſus.

Q. *Quis tandem tertius?* R. Servis & iis, qui ſub aliorum degerent imperio, imò & jumentis, quietis diem indulgendum cenſuit, quò aliquam haberent à labore remiſſionem. Præceptò quietis tenebantur etiam peregrini, quos *proſelytos domicilii* vocant, ne exemplò nocerent.

Ex triplici iſto fine deducuntur officia Catechetæ recenſita.

V. Q. *Dixiſti de triplici fine & uſu Sabbathi hebdomadarii, myſtico nempe, Eccleſiaſtico & œconomico-politico: quî verò nunc oſtendes omnia illa officia externa & interna, Catechetæ recenſita, inde deduci poſſe?* R. Id non obſcurum. Primùm enim officia interna, perpetuum reſipiſcentiæ & ſanctificationis ſtudium & inchoatio Sabbathi æterni, cùm ad rem Sabbathò ceremoniali ſignificatam pertineant, ex primo fine deducuntur. Ex ſecundo deinde & tertio fluunt officia illa externa, Miniſterii & Scholarum conſervatio, cœtuum frequentatio, &c. Indidem & hoc conſtat, Chriſtianos citra violationem quarti præcepti diem primum cultui publico dicatum ſervare. Cùm enim Sabbathum ſeptimi diei umbra fuerit quietis per Chriſtum exſpectandæ, Chriſtiani rem adumbratam conſecuti umbram omittere potuerunt, unò tamen è ſeptenis diebus retentò. 1. Ut ſtati

essent dies cœtibus sacris agendis, & ut omnia decenter & ordine gererentur in Ecclesia, 1 *Cor.* 14: 40. 2. Ut servis & operariis etiam sua esset quies.

Officia I. Externa & publica. Ministerii & Scholarum conservatio.

VI. Q. *Officia illa quotuplicia sunt?* R. Externa & interna. Illa rursus vel publica & remota, vel privata & proxima, ut in analysi dictum. Q. *Externa prioris generis quæ sunt?* R. Ministerii & Scholarum conservatio. Cùm enim ad cultum Dei Sabbatho exercendum pertineat institutio populi per prædicationem verbi divini, necesse est Ecclesiæ provideri de Ministris, quales, ut ne desint, in Scholis præformari oportet. Quocirca Magistratui cujusque loci incumbit Ministerii & Scholarum, quæ Ecclesiæ seminaria sunt, conservatio. Quod exemplis piorum regum, Davidis, Josaphati, Hiskiæ, 2 *Chron.* 17: 7, 8, 9. item testimoniis, *Esa.* 49: 23. 2 *Tim.* 3: 15. & in Proverbiis aliquoties confirmatur. Eundem in finem ministerium Ecclesiasticum & Scholasticum obeuntibus suppeditandum, unde honestè victitent, 1 *Cor.* 9: 14. quo nomine laudata Hiskiæ solicitudo, 2 *Chron.* 31: 4, &c. In curam Magistratûs, si is fortè suis desit partibus, succedunt patresfamilias, cœtum in loco aliquo constituentes.

Officia externa singulorum. Ubi 1. De tempore, quò obeunda.

VII. Q. *Externa posterioris generis quænam numeras?* R. Hæc cùm statum requirant tempus, id ante omnia definit Catech. Q. *Quomodo?* R. Quando dicit; *Utque ego cùm aliis, tùm præcipuè festis diebus*, &c. Germ. textus, **Und ich sonderlich am Feyrtag.** Latina versio memorat *festos dies* & *alios* quoque, sed illos *præcipuè*, Germ. Textus unum *feriatum diem*, qui sanè quietem sive vacationem ab opere ordinario & servili includit, non tamen ea ratione, quasi cessatio per se cultus esset vel pars cultus divini, sed quia opus servile cultui publ. impedimentum afferret. Tempus igitur, in quod officia illa conferuntur, sunt quidem omnes dies, quibus sacrorum conventuum copia est, præcipuè tamen feriati, qualis maximè Dies *Dominica* dicta, qui toti sepositis vitæ civilis & œconomicæ negotiis cultui publico solenniter celebrando sacrati sunt.

VIII. Q.

VIII. Q. *Officia igitur in tempus istud rejecta quænam sunt?* R. I. Sacrorum cœtuum assidua frequentatio. Deus, *qui justitias amat, vult, ut recti se invicem videant*, *Psal.* 11: 7. alii alios observent, ad charitatem acuant, *non deserentes aggregationem mutuam*, *Heb.* 10: 24, 25. II. Verbi divini diligens auscultatio. *Act.* 13: 14, 15, 27. & 15: 21. & 16: 13. & 17: 2. & 18: 4. III. Sacramentorum usurpatio. Judæi Sabbathô circumcidebant, *Joh.* 7: 22, 23. & juxta Canonem ipsorum *Pascha pellebat Sabbathum.* Quis dubitet baptismum & S. Cœnam die Dominico maximè esse administranda fidelibus? *Act.* 16: 13, 14, 15. & 20: 7. IV. Preces publicæ, quæ cum institutione & S. Communione conjunguntur, *Act.* 2: 42. V. Collatio eleemosynarum in usus pauperum, &c. 1 *Cor.* 16: 2. 2. *Ipsa Officia explicantur.*

IX. Q. *Dixisti de officiis externis: interna quæ vocas?* R. Quæ si ad priora illa comparentur finis rationem habent, & interioris hominis sunt. I. Perpetuum respiscentiæ studium, *ut in omni vita à pravis actionibus vacem, Domino concedens, ut per Spiritum S. in me suum opus faciat.* Eò pertinet suî abnegatio, propriæque voluntatis abdicatio, ex seria indignitatis ἀδυναμίας & ἀθενείας agnitione atque sensu profecta, quâ homo se totum voluntati Dei permittit, ejusque in gratiam sese rejicit, docendum, sanandum, sanctificandum, regendum, &c. Quod Sabbathum quoddam internum animi est, quo à propriis ingenii muniis atque operibus feriamur, ut Deum habentes in nobis operantem, in ipso acquiescamus. II. Sabbathi æterni, quod in consummata sanctificatione, tranquillitate & lætitia consistit, inchoatio. Hoc Sabbathum in hac vita exordimur, æternum acturi in altera, ubi Deus nobis erit omnia in omnibus. II. *Officia interna.*

Addenda.

I. Multis agitata quæstio, quid quarti præcepti de Sabbatho morale & perpetui juris sit? Aliis morale est 1. quod Sabbathô septimæ diei adumbratum fuit, nempe retinere quietem à Christo allatam, eamque *Quid morale in quarto præcepto?*

sanctificare sub spe & exspectatione consummationis in altera vita. 2. Præceptum ædificandi proximum per communicationem veritatis & inflammationem charitatis, quæ omnis temporis est. Hi negant, Ecclesiæ N. T. de ullo die edictum esse, *non facies opus per se licitum & utile*, &c. Dominicam proinde diem celebrandam existimant in libertate Christiana. Aliis autem morale creditur, quod certus & status dies cultui Dei sit destinatus, ac tanta quies, quanta ad Dei cultum sanctamque illius meditationem est necessaria. Hactenus qui sententiis discrepant, de praxi consentiunt, diei Dominicæ sanctificationem communiter multis, iisque gravissimis argumentis urgentes.

Qua de re etsi non idem sentiunt Theologi, conveniunt tamen de praxi.

II. Catechesis hîc parca est, nihil de differentia præcepti moralis, ceremonialis & mixti, nihil de mutatione feriæ septimæ in primam, statuens. Contenta enim memorâsse officia, quibus cum omnes, tùm præcipuè dies Dominica sanctificatur, discipulum suum Doctorum controversiis implicari non vult. Sic formula consensus, tacito illo fratrum dissensu satis habuit monuisse: *Ut necessitatem sanctificationis diei Dominicæ non tantùm ex Dei verbo sincerè tradamus, sed graviter etiam inculcemus, ejusque observationem instantissimè urgeamus.*

Catechesis contenta inculcâsse sanctificationem diei Dom. de natura præcepti tacet.

III. Argumenta, quibus Theologi, cætera dissentientes, communiter pro diei Dominicæ sanctificatione contendunt, arcessuntur 1. Ab antiquitate. Ab ipsis Apostolorum temporibus obtinuit, ut fideles feriâ primâ hebdomadis frequentes convenirent, *Act.* 20: 7. 1 *Cor.* 16: 2. Ab instituti utilitate multiplici: qualis est retenta dierum distributio per hebdomadem inde à Creatione usque: memoria miraculi, quod Deum Creatorem omnium demonstrat: remedium cavendæ in Ecclesia ἀταξίας necessarium, &c. 3. A praxeos universalitate, quam qui convellunt, haud dubiè φιλόνεικοι sunt, & ἀτακτοῦντες, atque eo ipsô Christianum nomen contemnunt & conspurcant. 4. Ab occasione & causa, quâ factum, ut prima Sabbathorum sacris peragendis præcipuè deligeretur. Ea fuit Resurrectio Domini. Unde ἡ τῆς ἀναστάσεως τοῦ σωτῆρος ἡμῶν ἡμέρα,

Argumenta quædam quibus Theologi communiter sanctificationem diei Dom. urgent.

ἡμέρα, *Euseb. l.* 5. *c.* 23. ἡ ἀναστάσιμος, *Ignat. Epist. ad Magnes.* & *dies Dominica* dicta. Quapropter sancta illius diei celebratio fidei quædam professio, Christi glorificatio & quietis Novi Test. sanctificatio est. 5. A voluntate Dei, quam Theologi hactenus communiter agnoscunt, etsi eam alii ex τῷ ῥητῷ quarti præcepti, *memento ut diem Sabbathi*, h. e. è septenis unum, *sanctifices:* alii κατὰ τὴν διάνοιαν, ex fine præcepti deducant: velle enim dicunt Deum 1. Omnia decenter fieri in Ecclesia. 2. Ministerium exerceri, conventus publicos agi, &c. Et licet *digna esset spiritualis sapientia, cui quotidiè decideretur particula aliqua temporis*, attamen cùm *à multorum infirmitate obtineri non possit, ut quotidiani conventus agantur, & charitatis ratio plus ab illis exigere non permittat, parendum esse rationi, quam nobis videmus Dei voluntate impositam. Calv. Instit. lib. II. c.* 8. §. 32. Alia, quæ allegari possent argumenta, brevitatis studiô omittimus.

IV. De distinctione operum illicitorum & licitorum tenendum I. Illicita esse 1. servilia & manuaria, qualia sunt mercatorum, opificum, agricolarum, operarum mercenariarum, &c. 2. Itinera secularis negotii causâ suscipienda. 3. Recreationes cæteroquin non inhonestæ, sanctificationem diei Dominicæ impedientes. II. Licita esse opera necessitatis, cujus ut diversa ratio, sic diversi gradus sunt. Alia enim necessaria sunt ex fine vel sacro, vel communi: velut iter cultus publici gratiâ suscipiendum; ciborum non acquisitio, sed præparatio ad commodiorem usum, &c. alia necessaria ex officio specialis vocationis, qualia sunt quæ Ministris Ecclesiæ die Dominico peragenda. Alia necessaria sunt ex communi officio misericordiæ, ut ægrorum medicatio, captivorum, lugentium, & mœstorum visitatio, consolatio, &c. imprimis quæ dilationem non ferunt, qualia sunt incendii restinctio, aquæ inundantis obstructio, urbium adversus hostiles invasiones defensio, periclitantium in aqua, igne, &c. liberatio. Alia necessaria ex communi & perpetuo charitatis officio, veluti sunt opera beneficentiæ erga pauperes, &c. *Opera illicita & licita quæ.*

V. Super-

Sabbathum Judaicum & Christianum quô differant.

V. Supereſt, ut paucis videamus differentiam Sabbathi Judaici & diei Dom. Chriſtianorum. 1. Illud fuit umbra rerum futurarum, *Col.* 2: 17. diei Dominicæ quies & ſanctificatio *æterni Sabbathi in hac vita inchoatio* eſt, juxta Catecheſin. 2. Sabbathi Judaici obſervatio erat rigidiſſima, *Exod.* 31: 14. & 35: 2, 3. *Num.* 15: 32, &c. Chriſtianis illo onere levatis adverſus profanationem diei Dominicæ cautum oportet ſeriâ diſciplinæ Eccleſ. adminiſtratione & Magiſtratuum authoritate atque vigilantiâ. 3. Ceſſatio ab omni opere manuario pars erat cultûs divini, non quidem per ſe, quaſi Deus noſtrô delectaretur otiô, ſed quia figura erat & ſymbolum divinæ inſtitutionis, ut ſuprà oſtenſum. At in N. T cultus Dei eſt, tantùm opus Dei facere, idque tanti facere, ut tuo operi præferas, tuaque commoda negligas. Ceſſatio igitur ab opere noſtro cæteroquin licito & utili, per ſe non cultus divinus, ſed ejus adminiculum eſt. 4. Adde Sabbathum Judaicum oneroſum fuiſſe ſacrificiis eo die offerendis: quo onere liberata eſt Eccleſia Chriſtiana.

Confeſſ. Helvet. de Feriis, &c. XXIV.

Quanquam religio tempori non alligetur, non poteſt tamen absque juſta temporis diſtinctione vel ordinatione plantari & exerceri. Deligit ergò quævis Eccleſia ſibi tempus certum ad preces publicas, & Evangelii prædicationem, &c. ——— Unde videmus in Eccleſiis vetuſtis, non tantùm certas fuiſſe horas in ſeptimana conſtitutas cœtibus, ſed ipſam diem Dominicam ab ipſis Apoſtolorum temporibus, iisdem ſacroque otio fuiſſe conſecratam: quod etiam nunc rectè propter cultum & charitatem, ab Eccleſiis noſtris cuſtoditur. Obſervationi Judaicæ & ſuperſtitionibus, nihil hic permittimus. Neque enim alteram diem alterâ ſanctiorem eſſe credimus, neque otium Deo per ſe probari exiſtimamus, ſed & Dominicam, non Sabbathum, libera obſervatione celebramus.

Quæſt.

Quæstio CIV.

Quid nobis injungit Deus in quinto præcepto?

UT parentibus atque adeò omnibus, qui nobis præsunt, debitum honorem, amorem & fidem præstemus, nosque ipsorum fidelibus præceptis & castigationibus, eâ quâ par est obedientiâ submittamus. Tum etiam, ut eorum vitia & mores nostrâ patientiâ toleremus, illud semper cogitantes, Deum nos illorum manu velle ducere ac regere.

ANALYSIS.

Quærenti de mente & sententia quinti præcepti respondetur:

I. Docendo officium mandatum. Ubi I. Objectum, sive in quos officium faciendum, *parentes, atque adeò omnes, qui nobis præsunt.* II. Officii partes sive actus, qui sunt 1. *Honor.* 2. *Amor.* 3. *Fides.* 4. *Obedientia* activa & passiva. 5. *Patientia* in ferendis parentum infirmitatibus, &c.

II. Suadendo officii curam, additô argumentô; *Illud semper cogitantes, Deum nos illorum manu* &c.

EXEGESIS.

QUintum præceptum quomodo sonat? R. *Honora patrem tuum & matrem tuam*, &c. Q. *Quicepti partibus constat partibus?* R. 1. Mandatô, *honora*, &c. 2. Promissione.

tio & sum-

ma.

2. Promissione, *ut diu vivas in terra*, &c. Q. *Quinti ergò præcepti summa quæ?* R. Secundùm Deum & propter Deum, Jehovam, & Deum nostrum, honore prosequendos esse eos, à quibus vitæ & bonorum Dei plerorumque usuram accepimus, item quoscunque Deus nobis ducendis atque regendis præfecit, & parentum locô esse voluit, ad felicitatem cùm temporalem tùm æternam consequendam.

Patris & matris nomine quinam intelligendi.

II. Q. *Patris & matris nomine quos intelligis?* R. I. Parentes naturâ tales, qui nos genuerunt. Utriusque hic æquum jus. Etsi enim mater in familia subjiciatur imperio patrisfam. inde tamen filio nulla ratio levius de matre sentiendi. Neque enim ad filium pertinet judicium de discrimine potestatis: sed respicienda ipsi relatio, quâ æquè matris atque patris filius est. Unde ne potestatis paternæ prætextu matri minus deferat honoris, mater patri præponitur, *Lev.* 19: 3. Obj. *Quid si inter se contendant imperia?* R. Præfertur patris imperium in adiaphoris & in utramque partem permissis. Patris verò naturalis nomine etiam venit avus, *Exod.* 2: 18. Unde nepotes & neptes filii dicuntur & filiæ, ibid. v. 20. II. Patres adoptivos, qualis Mardochæus Estheræ, *Esth.* 2: 7, 15. & qui succedunt in curam parentum defunctorum, quales tutores testamentarii vel dativi: vel in locum alteruttius parentis naturalis per secundas nuptias: Scriptura enim non distinguente, vitricus & noverca non excipiuntur. III. Omnes qui nobis præsunt, tanquam parentes dignitate & officio, quales in statu œconomico herus & hera, 2 *Reg.* 5: 13. in politico, Princeps & Magistratus, *Gen.* 45: 8. *Jud.* 5: 7. 2 *Chron.* 29: 11. *Esa.* 22: 21. in statu Ecclesiastico, Pastores & Doctores, *Jud.* 17: 10. unde filii Prophetarum dicti, 2 *Reg.* 2: 5. & 13: 14. adde 1 *Cor.* 4: 15. *Gal.* 4: 19.

Qua de causa omnes superioritatis gradus titulo patris & matris comprehendi voluit?

III. Q. *Quare Deus patris & matris nomine, non aliô quôpiam honoris titulô, omnes istos superioritatis gradus comprehendi voluit?* R. I. Quia hoc de subjectione præceptum cum pravitate humani ingenii, quod celsitudinis appetentia turgidum ægrè se subjici patitur, valde pugnat, ideò quæ naturâ suâ maximè amabilis,

bilis, minimè invidiosa, & mitissima superioritas est, in exemplar proponitur, ut ab ea, quæ facillima toleratu, ad omnem subjectionem legitimam paulatim nos assuefaciat Dominus. II. Deinde & qui subsunt & qui præsunt hac ratione sui commonentur officii. *Patris, Domini*, &c. nomina proprio & pleno significatu soli Deo conveniunt: quos verò Deus istorum participes facit, eos quâdam fulgoris sui scintillâ illustrat, ut sint pro suo quique loco spectabiles. Ita qui nobis est pater, in eo divinum aliquid reputare par est, &c. vicissim tales qui sunt, Deum imitari, affectum erga inferiores verè paternum induere, non sua sed subditorum commoda quærere, & omninò tales se præstare debent, quos subditi honore, amore & obsequiô filiali prosequendos sentiant per conscientiam. *prehendantur.*

IV. Q. *De officio mandato quid tenes?* R. Ejus complures sunt partes, comprehensæ verbo כבד cujus certè non exiguum est pondus. Deducitur enim à כבד *grave esse*, vel *fieri*. Unde כבוד *præstantia summa*, quâ quis veluti pondere comparatus alteri, præponderat: hinc βάρος δόξης, 2 *Cor.* 4: 17. כבד igitur *honorare patrem & matrem*, est, eis dare præstantiam, eos amplificare, & omninò supra se habere. Unde intelligitur, non posse quempiam petere vel optare quid, quod non parentibus magis, quàm sibi tribui atque retinere velit. Ubique ergò parentum præponderet authoritas ita, ut graviter, reverenter & honorifice de iis sentias, ipsos & quæ ipsorum sunt, magnifacias, & in pretio habeas: quippe in quibus & nomen & beneficium Dei honorati oporteat. *Officium quintô præceptô expressum verbô maximè emphaticô.*

V. Q. *Hic mihi paulò distinctiùs indicari velim, quænam officiò honorandi parentes contineantur?* R. Ea speciatim tria sunt: I. *Reverentia*, quam Deus sanxit, dum interfici jussit, qui patri & matri maledixerit: quandoquidem ea lege contemptum ac contumeliam vindicat, *Exod.* 21: 17. II. *Obedientia*, quam itidem sanxit edictâ mortis pœnâ in immorigeros & rebelles, tanquam beneficio lucis indignos, qui non recognoscunt, quorum operâ in lucem pervenerint, *Deut.* 21: 21. *Officii partes eô verbô comprehensæ.* 1. *Reverentia.* 2. *Obedientia.*

III. *Gra-*

3. Gratitudo.

III. *Gratitudo:* Christus enim ex præcepto quinto esse docet, ut benefaciamus parentibus, *Matth.* 15: 4. Et Apostolus ad duplicem honorem, quo presbyteros dignos pronunciat, gratitudinem & remunerationem refert, 1 *Tim.* 5: 17. quia addit, *bovi trituranti non obligabis os*, &c. Unde sequitur, alimenta ministris suppeditanda esse cum honore, ut honoris testimonia, non ut mercedem operis pretium exæquantem, divina enim in commercio non sunt.

Ad tria ista revocari possunt omnia officia Catechetæ recensita: quæ paucis explicantur.

VI. Obj. *Atqui Catech. plures istius officii partes enumerat.* R. Possunt tamen commodè ad tres istas revocari, uti liquet tantisper ad singulas attendenti. Q. *Eas igitur ut paucis expendamus, quid præceptô quintô à nobis postulari docet Catech.* R. I. Honorem, videl. ut superioribus debita præstetur veneratio tùm animo, tùm verbis atque gestibus, agnita ipsorum dignitate & potestate, *Mal.* 1: 6. Cui opponuntur contemptus, irrisio, maledicta, vis illata &c. *Exod.* 21: 17. *Lev.* 20: 9. *Deut.* 27: 16. *Prov.* 20: 20. & 30: 17. II. Amorem, affectum benevolentissimum, quem natura liberis insevit, sed induendum & imitandum inferioribus in statu quolibet. Hic usque adeò necessarius est, ut cætera, quæ officii nostri sunt, nisi ex amore proficiscantur, rectè fieri nequeant. III. Fidem, in duobus maximè spectandam. 1. In studio serviendi commodis parentum, &c. *Mal.* 3: 17. Neque enim liberi minùs, imò verò magis, tenentur quàm servi; quia magis suorum sunt parentum quàm servi: sunt enim pars parentum, servi pars bonorum. 2. In studio vicem rependendi, parentes re, vel operâ vel consilio juvandi, eorumque inopiam sublevandi, *Matth.* 15: 4, &c. 1 *Tim.* 5: 4. IV. Obedientiam, cùm *activam* salubribus parentum præceptis promptè & alacriter obtemperando: tùm *passivam*, paternis correptionibus & castigationibus sese humiliter subjiciendo, *Prov.* 1: 8. & 15: 5. *Eph.* 6: 1. *Col.* 3: 20. Quæ regula etiam ad nuptias producenda, quas sine consensu parentum contrahendas negant JCti, ne invito suus hæres agnascatur. Adde, parentes debere sui generis esse authores. V. Patientiam in ferendis parentum vitiis, moribus

ribus obliquis, nævis & infirmitatibus, procul vilipendio &c. *Prov.* 23: 22. nota sunt facta Chami, *Gen.* 9. & Absolomi, 2 *Sam.* 15: 3, 4. Obj. *Atqui sæpè indigni sunt quibus honorem deferas.* R. Attamen pater & mater est, quod satis est ad honoris meritum. Q. *Quid si iniqua, turpia &c. præcipiant?* R. Occurrit Apostolus, dicens, *liberi, obedite parentibus vestris in Domino*, quantum jus fasque est juxta Dei voluntatem, *Eph.* 6: 1. Adde regulam *Act.* 5: 29. *Luc.* 14: 26.

Quare omnia ista officia vocabulò honoris comprehensa voluerit Legislator.

VII. Q. *Quare omnia ista officia honoris, non verò amoris, timoris &c. vocabulò complexus est Legislator?* R. Sapientissimè factum. 1. Patet ex significatu verbi כבד de quo suprà. 2. Timet herum suum servus, timet inferior potentiorem, sed non diligit, non habet in pretio: filius germanus timet & diligit. Deinde obedit quidem servus hero, sed præter animi sententiam: filius obedit parentibus, ducente affectu filiali. Diligit frater fratrem, amicus amicum, &c. Diligit etiam filius parentes: sed aliter illi, aliter iste. Solet dilectio nescio quam gignere familiaritatem, & ex hac sensim subnasci neglectus & contemptus, præsertim ubi domesticus & quotidianus intercedit convictus. Idcircò hujusmodi dilectio non satisfaceret Legislatoris proposito. Ast qui parentes in pretio habent atque honorant, quò dictum est modò, iis reverentiam, amorem, obsequium &c. negare non possunt.

Ratio sudens obedientiam præcepto præfandam.

VIII. Q. *Dixisti de officio, quæ tandem officii faciendi ratio?* R. Eam Catech. arcessit ab ordinatione divina: Deus parentibus aliisque superioribus nos ducendi regendique provinciam demandavit, *Eph.* 6: 6. 1 *Pet.* 2: 13. *Rom.* 13: 1, &c. Deo igitur resistit, qui illorum imperia detrectat. Eadem ratio nomini *patris* & *matris* inclusa: eò enim significatur non solùm sobolis procreatio, sed etiam voluntas habendi sobolem, quæ sit *semen Dei*, si rem æstimare velimus ex primævo matrimonii instituto, *Mal.* 2: 15. Ex hac voluntate provenit liberorum educatio, omnis labor atque studium rem faciendi & thesaurizandi liberis, omnis institutio & castigatio, ut liberi timore

Dei, præceptis sapientiæ, prudentiæ bonarumque artium imbuti publico prodesse & civitatem ornare possint: neque tantùm ut corpore valentes, opibus potentes & amicis vallati in civitate locum nomenque aliquod obtineant, verùm inprimis ut imaginem Dei gerant & hæredes sint vitæ æternæ. Quæ quidem tanta sunt beneficia, Deô sic providente à parentibus in liberos derivanda, ut nullo obsequii cultu pensari possint. Cùm verò istorum beneficiorum plurima etiam per alios homines consequi possint, illi certè parentum loco habendi sunt, velut qui docent in Ecclesia, Scholisque publicis & privatis: qui regunt civitatem &c. Hi enim partem potestatis paternæ exercent & parentibus curarum onus levant.

Promissio annexa mandato.

IX. Q. *Hactenus de priore præcepti quinti parte, nempe mandato; altera quænam est?* R. Promissio mandato annexa. Unde Apostolo dicitur primum præceptum cum promissione, *Eph.* 6: 2. Obj. *Atqui etiam secundo adjicitur promissio.* R. Primum est cum promissione speciali & propria. Nusquam opportuniùs vita longa promitti poterat, quàm ubi præcipitur de honore habendo illis, qui post Deum nobis vitæ authores sunt. Q. *Quid promittitur?* R. Vita longæva & felix in terra Canaan agenda, *Deut.* 5: 16. Obj. *Atqui contingit ut etiam filius obsequens ante maturam ætatem moriatur: quomodo igitur promissioni sua constabit veritas?* R. 1. In Vet. Test. rariùs contigisse credo, ut filii morigeri præmaturè morerentur: neque tamen nunquam contigit, ut Israëlitæ scirent, non terrenis bonis inhærendum, sed meliora spectanda esse. 2. Deus præmaturè mortuis solidiori modô promissionis suæ fidem implevit, datâ scil. vitâ æternâ in cœlo, cujus vita felix in Cananæa erat figura. Haud dubiè non labascit fides ejus, qui centum terræ jugeribus muneratur eum, cui duo solùm pollicitus erat. Q. *Etiamne ad nos Christianos pertinet promissio ista?* R. Imò, si generatim spectetur ut documentum & testimonium gratiæ divinæ erga morigeros filios. Quo sensu eam repetit Apost. *Eph.* 6: 2, 3. omissis verbis, quibus longævitatis beneficium Cananææ adstringitur.

Cui semper sua constat veritas.

Promissio ista hæc etiam ad Christianos pertinet.

Quæst.

Quæstio CV.

Quid flagitat Deus in sexto præcepto?

UT proximum neque cogitatione, neque verbis neque gestibus, nedum factis, vel per me, vel per alium contumeliâ afficiam, aut oderim, aut lædam, aut occidam: sed omnem vindictæ cupiditatem abjiciam: Adhæc, ne me ipsum lædam, aut sciens in aliquod periculum conjiciam. Quocirca etiam ne cædes fierent, magistratum gladio armavit.

ANALYSIS.

I. De mente & sententia sexti præcepti ut constet, expendenda venit pars præcepti negativa & affirmativa.

II. Illa exponitur hac Responsione. Ubi

1. Enumerantur peccata interdicta, quæ quis vel in proximum, vel in se ipsum admittit. Hæc

   1. Proponuntur: respectu proximi 1. *Contumelia.* 2. *Odium.* 3. *Læsio.* 4. *Cædes.* 5. *Vindicta* privata. Respectu sui 1. *Læsio.* 2. *Audacia in adeundis periculis.*

   2. Illustrantur duplici distributione ex modis patrandi: 1. Ex instrumentis, quæ sunt *cogitatio; verba; gestus; facta.* 2. Ex causis efficien-

tibus immediatis & mediatis; *per me*, vel *per alium*.

II. Additur præcepti sanctio per comminationem pœnæ corporalis quam Magistratus exigere jubetur; *Quocircà ne cædes fierent* &c.

Quæstio CVI.

Atqui hoc præceptum solam cædem prohibere videtur?

AT cædem prohibendo docet Deus, se radicem & originem cædis, iram scilicet, invidiam, odium, & vindictæ cupiditatem odisse, atque ea omnia pro cæde ducere.

ANALYSIS.

I. Objicienti; atqui hoc præceptum solam cædem prohibere videtur: Ergo non rectè eò referuntur omnia peccata mox recensita.

II. Resp. negando Consequentiam, ratione petita ex duplici regula hermeneutica. 1. *Ex una specie, quæ* in suo genere ut plurimùm deterrima exprimi solet, *colligendas esse & cæteras.* 2. *Effecti nomine etiam intelligi causas* &c.

Quæst.

Quæstio CVII.

An verò id satis est, neminem eô, quô dictum est modô, occidere?

NOn est satis: Deus enim dum iram, invidiam, odium damnat, postulat, ut proximum æquè ac nos ipsos diligamus, & ut humanitate, lenitate, mansuetudine, patientiâ, & misericordiâ, erga eum utamur, quodque ei damno esse possit, quantum in nobis est, avertamus. Ad summam, ita animô affecti simus, ut ne inimicis quidem benefacere dubitemus.

ANALYSIS.

I. Quærens, *an id satis est* &c. occasionem præbet exponendi partem sexti præcepti affirmativam.

II. In Resp. Cùm præceptis negativis etiam contineantur affirmativa, enumerantur officia peccatis sextô præceptô damnatis contraria: quæ sunt I. Generale, *dilectio.* II. Specialia, *humanitas: lenitas: mansuetudo: patientia: misericordia: aversio damni: studium demerendi etiam inimicos.*

EXEGESIS.

Sexti præcepti, non occides, *quis finis?* R. Quoniam hominum genus unitate quadam devinxit Deus, incolumitatem omnium unicuique debere esse

Sexti præcepti scopus.

se commendatam, ut communi nobiscum Domino servire, communem finem intendere, commune bonum summum, quod est Jehova Deus noster, quærere imperturbata tranquillitate & inoffensô studiô possint. Unde quæ præcepti sit summa facilè colligitur. Videlicet, non solùm interdici nobis omnem violentiam, injuriam & noxam, quâ corpus proximi læditur &c. sed ex adverso mandari, ut ex charitate, quicquid in opera nostra ad tuendam proximorum vitam subsidii est, fideliter impendamus, quæ ad eorum tranquillitatem faciunt procuremus, depellendis noxis excubemus, si quo in discrimine versentur, manum auxiliarem præbeamus, idque eo fine, ut officium suum facere, & Jehovam Deum suum colere queant: neque enim vivimus ut vivamus, sed ut, quod officii esse nostri intelligimus, facientes Deum glorificemus. Unde consequitur, etiam mandari, ut æternam proximorum salutem, quantum in nobis est, juvemus. His observatis videre est, ad sexti præcepti explicationem pertinere, quæ Catech. tribus hisce Quæstionibus tradit.

Ejusdem summa.

Sextô præc. vetantur.

II. Q. *Ut ordinem sequamur Catech. quænam sextô præc. vetantur?* R. I. *Contumelia:* ut proximum neque cogitatione ------ contumeliâ afficiam. Obj. *Atqui hæc veriùs ad nonum præceptum revocari videtur.* R. Ad sextum refertur à Servatore, *Matth.* 5: 21, 22. ubi ῥακὰ & μωρὲ nomina sunt contumeliosa. Q. *Qui verò per contumeliam violatur sextum præceptum?* R. 1. Contumeliâ alter in vitæ periculum adduci potest. 2. Sicut mors quædam est civilis, & capitis deminutio, honore carere, sic homicidium quoddam est, mortem civilem innocenti inferre per contumeliam. II. *Odium*, malevoli animi affectus, alteri cupientis malum, imo optantis alterum non esse, *Lev.* 19: 17. Et odii genitrix ira, *Matth.* 5: 22. III. *Læsio* sive omnis violenta pulsatio, corporis mutilatio, vulneratio &c. *Lev.* 24: 19. tùm quia ad mortem ducit suâ naturâ; tùm quia mors est membri. IV. *Cædes:* quod delictum in suo genere deterrimum est, atque ideò exemplaris locô propositum, unde de cæteris judicandum.

1. *Contumelia.*

2. *Odium & ira.*

3. *Læsio.*

4. *Cædes privata & voluntaria.*

Intel-

Intelligenda autem *cædes* 1. *privata* & innocentis, qualem etiam verba Heb. רצח & Græcum φονεύειν significare solent. Quapropter judicia capitalia hac lege non abolentur, sed verius stabiliuntur. 2. *Voluntaria*, qualem patrat non solùm qui destinatâ operâ atque consiliô alteri vitam adimit, sed etiam qui, non quod necessarium & suæ vocationis est agens, factum vult, unde mors innocentis consequitur. Excipienda igitur *cædes fortuita*, *Deut.* 19: 5. Et mente captis veniam esse sensit, qui se amentem simulavit, 1 *Sam.* 21: 13. V. *Vindicta privata*, *Lev.* 19: 18. Damnatur autem non solùm illa vindicta, quâ privatus in civitate malum malô rependit in solamen doloris ex injuria vel damno concepti, quæ certè etiam Gentilibus ratione carere visa: sed & illa, quâ quis reparatione damni & cautione in futurum non contentus pœnam postulat eo fine, ut dolorem leniat & animum ægritudine levet. VI. *Sui ipsius læsio*: in quo genere potissima αὐτοχειρία directa, quâ quis cum intentione necis manus sibi violentas infert. *Eph.* 5: 29. VII. *Audacia* in adeundis periculis citra vocationem, *Matth.* 4: 7. *Syr.* 3: 26.

5. *Vindicta privata.*

6. *Læsio sui.*

7. *Temeraria periclitatio.*

III. Q. *Peccata hactenus recensita quomodo committuntur?* R. Multifariam: velut 1. Cogitatione; *Zach.* 8: 17. 2. Verbis; *Matth.* 5: 22. *Eph.* 4: 31. 3. Gestu; sic *promittere digitum*, *Esai.* 58: 9. quod minantis, vel occultè obtrectantis est. Unde Poëta, *infami digito denotare viros* probos & eorum simplicitati illudere. Adde *Psal.* 22: 8. 4. Factis; *Num.* 35: 16, &c. Ubi de cæde quæ manu patratur, velut *ferrô*, sive ut Romani loquuntur, *telô*; vel *lapide manuali*, qui totam manum implet, &c. 5. Per se; *Lev.* 24: 17. vel per alium; 2 *Sam.* 12: 9. Ut in aliis damnis injuriâ datis, sic in cæde, tenentur etiam, qui factum vitiosum jubent, qui consensum requisitum adhibent, qui adjuvant, qui receptum præstant: qui consilium dant, laudant, assentantur, injustam occasionem offerunt: qui cùm jure teneantur vetare non vetant, & opem ferre injuriam patienti, non ferunt: qui non dissuadent, cùm possint debeantque, qui factum reticent, &c.

Modus, quo peccata ista committuntur.

Interdicti æquitas & sanctio.

IV. Q. *Dixisti de interdicto, habesne quod dicas de ejus æquitate & sanctione?* R. De utraque docemur *Gen.* 9: 6. Ubi I. occurrunt Rationes interdicti: 1. Homo est opus Dei nostro usui non subjectum. 2. Homo est imago Dei, nemini violanda. Adde 3. Hominem quemque esse carnem nostram, quam qui non fovet, humanitatem exuit. Ex cognatione, quam natura inter homines instituit, *hominem homini insidiari nefas esse*, concludit JCtus. Societatem, ad quam homo natus, consistere non posse, si innocentum vita in tuto non sit, nemo non videt. II. Sanctio: quando cædem innocentis cæde nocentis vindicari jussit Deus: *qui fundit sanguinem hominis, per hominem sanguis ejus effundetur*, locô Gen. suprà citato: Quæ verba non nudum factum sive comminationem, sed jus & vim præcepti habent. *Exod.* 21: 12 *Lev.* 24: 17. *Rom.* 13: 4. Unde Catech. *Quocirca etiam ne cædes fierent, Magistratum gladiô armavit.*

Respondetur ad Obj. Quæstione CVI. *propositam.*

V. Obj. *Atqui hoc præceptum solam cædem prohibere videtur.* R. Meminisse oportet, juxta regulas interpretandæ legis divinæ sub specie peccati nominatim expressa prohiberi quicquid illi cognatum est, quicquid eò ducit, & sine quo præcepti finis obtineri nequit. Hinc verissimè Catech. *At cædem prohibendo docet Deus, se radicem & originem cædis, iram*, &c Si lex esset humana, non aliam, quàm quæ manu patratur, cædem prohiberet. Atqui lex est Dei καρδιογνώστ: cordis igitur homicidium pariter vetat. Sic disertè homicidii damnatur qui fratrem odit, 1 *Joh.* 3: 15. Obj. *Fratris osor homicida est, quia talis reputatur à Christo perfectioris disciplinæ Magistro, quàm fuit Moses.* R. Homicida reputatur, quia talis est. Johannes enim Christum Magistrum legis hujusce interpretem, *Matth.* 5: 21, 22. secutus docere voluit, fratris osorem sexti præcepti esse transgressorem, quandoquidem homicidium non aliô quam sextô præceptô vetetur. Idem & ratio ostendit: Osori non minùs quam homicidæ malitiosa voluntas est. Homicida vult & facit alterum non esse. Osor quem odit vellet non esse. Si enim, ut ille ait, *quem quisque metuit periisse expetit*, multò magis quem quisque odit, non esse

esse cupit. Id verò non esse additamentum Christi, constat ex *Lev.* 19: 17. *Non odio habebis fratrem tuum in corde tuo.*

VI. Q. *Ergone sexto Decalogi præcepto satisfacit, qui neminem quò hactenus dictum est modò occidit?* R. Nequaquam: cùm enim præcepta verbis negativa sensu etiam sint affirmativa, necesse est servari, quæ ex adverso mandantur. Q. *Quæ sunt ista?* R. I. In genere, *dilectio*: unde Catech. *Deus enim, dum iram, invidiam, odium damnat, postulat, ut proximum æque ac nos ipsos diligamus, Lev.* 19: 18. 1 *Cor.* 13. Omnium porrò charitatis officiorum fons est. 1. Seriò atque constanter velle, ut alter quisque homo, ejusdem nobiscum naturæ consors, justitiæ Dei & hæreditatis cœlestis sit particeps, Deusque in ipso haud minùs ac in nobis glorificetur. 2. Juxta eam voluntatem omnes animi motus regere, actionesque componere ad commodum & salutem proximi. II. In specie, *humanitas, lenitas, mansuetudo, patientia, misericordia*, de quibus *Eph.* 4: 1, 2. *Col.* 3: 12. 13. *Aversio damni*, quantum ejus in nostra potestate situm, *Prov.* 24: 11. *Esai.* 58: 7. id ergò non eò trahendum, quasi facinorosos juvare, ex vinculis solvere & judici eripere liceret, *Prov.* 28: 17. Denique *studium benefaciendi* etiam inimicis. Id enim solum hostis nostri spectandum, quòd caro nostra est, quòd proximus est, *Matth.* 5: 44. *Rom.* 12: 20.

Sextò præceptò mandata exponuntur ex Quæst. CVII.

Quæstio CVIII.

Quæ est sententia septimi præcepti?

Deum omnem turpitudinem exsecrari: ideoque nos eam penitus odisse & detestari debere, contraque temperanter, modestè & castè, sive in sacro conjugio, sive in vita cælibè vivere oportere.

ANALYSIS.

Explicatur præcepti pars

I. Negativa: ubi 1. Indicantur vetita generatim; *omnem turpitudinem.* 2. Adjicitur ratio, ab effectu noxio petita, scil. pœna exsecrationis, *Deum* omnem turpitud. *exsecrari.* 3. Inde concluditur nostrum officium; *ideoque nos eam penitus odisse & detestari debere.*

II. Affirmativa: ubi enumerantur officia. 1. *Temperantia.* 2. *Modestia.* 3. *Castitas*, ex subjectis distincta, *conjugum* & *cælibum.*

Quæstio CIX.

Nihilne amplius prohibet Deus hôc præceptô, quam adulterium, & id genus turpitudines?

Cùm corpus & animus noster sint templa Spiritus Sancti: vult Deus, ut utrumque purè sanctéque possideamus. Ideoquè facta, gestus, sermones, cogitationes, cupiditates fœdas, & quicquid hominem ad ista allicit, id universum prohibet.

ANALYSIS.

I. Catech. in data septimi præcepti expositione nondum acquiescens, idem amplius expli-

explicandi occasionem præbet quærendo, *Nihilne amplius* &c.

II. In Resp. ad pleniorem præcepti declarationem

I. Præcepti fontem aperit; *Cùm corpus & animus noster sint templa* &c.

II. Ejusdem finem proponit; *Vult Deus, ut utrumque purè, sanctéque* &c.

III. Ex isto fonte & fine paulò specialiùs vitia hôc præceptò vetita deducit, quæ sunt 1. *Facta.* 2. *Gestus.* 3. *Sermones.* 4. *Cogitationes.* 5. *Cupiditates fœdæ.* 6. *Quicquid hominem ad ista allicit.*

EXEGESIS.

Septimi præcepti fons & finis.

SEptimi *præcepti*, non committes adulterium, *quis fons & finis?* R. De his Catech. Quæst. CIX. *Cùm corpus & animus noster sint templa Spiritûs S.* 1 *Cor.* 3: 16. & 6: 19. *Vult Deus, ut utrumque purè sanctéque possideamus.* Neque enim Spiritus ille Sanctitatis immunditiem tolerat in domo sua, inde emigraturus, si polluatur, 1 *Cor.* 6: 18. Adde 2 *Cor.* 7: 1. 1 *Thess.* 4: 3.

Ejusd. summa.

Q. *Summa præcepti quænam est?* R. Quoniam respicit eum naturæ affectum easque actiones, quas providus & optimus naturæ author propagationi generis humani servire voluit, puritas hîc requisita est, illo affectu atque actionibus non uti, nisi ad quærendum semen Dei, *Mal.* 2: 15. Quicquid diversum abit ab hoc fine, abominatio est. Deus enim Creator suâ delectatur imagine, quæ propagari non potest nisi in sancto conjugio unius cum una, & ubi parentes sine peccato prolem quærunt.

Quare nominatim exprimatur adulterium.

II. Q. *Inde sequitur, præceptum hoc esse latissimum, quare igitur solum exprimit adulterium?* R. Scortationem, incestum, &c. & alia his cognata hôc interdictò contineri nemo sanus negârit, nisi ea nusquam in Decalogo vetita dicere velit, quod absurdum. Tenenda

nenda igitur regula hermeneutica; In unoquoque transgressionis genere detrimum & scelestissimum, exemplaris locô ut plurimùm proponi &c. Obj. *Atqui sunt in hoc genere scelera longè detestabiliora.* R. Sunt, sed ne quidem inter gentiles, 1 *Cor.* 5: 1. nominanda, inde *muta*, dicta, quæ quanquam nominatim vetentur, *Lev.* 18: 22, 23. in præceptis tamen Decalogi, quotidianâ memoriâ & sermone recolendis, istorum nomina, tanquam ad tenebras damnanda, etiam suppressa voluit Sanctissimus Legislator, ne imaginationi quotidie obversarentur, animumque & aures incestarent. Ea propter nec Judæi illa suis inserunt thephillin sive frontalibus & fimbriis, de quibus *Exod.* 13: 16. *Num.* 15: 38. & *Deut.* 6: 8.

Pars præc. negativa.

III. Q. *Ut igitur partem præcepti negativam primùm expendamus, quid vetat Deus septimô præcepto?* R. In genere quidem *omnem turpitudinem*; in specie, omnia fœda *facta*, qualia, sunt adulterium, incestus, scortatio &c. *gestus*, *sermones*, &c. ut docet Catech. Q. *Quid vocas adulterium?* R. Non alieni solùm, ut placet JCtis, sed etiam sui thori violationem: quod liquet inspicienti *Matth.* 19: 9. Q. *Ergonè etiam adulterium dicis, ubi conjux rem habet cum cælibe?* R. Imò: I Argumentô loci mox citati: *qui*, sive conjux, sive cælebs, *dimissam duxerit*, *adulterium committit.* Ergò, si cælebs dimissam sine justa causa ducens mœchatur, etiam conjux rem habens cum soluta mœchatur, cùm maritus uxori non minùs arctè, quàm hæc illi, devinciatur, *Gen.* 2: 24. 1 *Cor.* 7: 4. II. Conjugium in hoc consistit, quòd duo sint in unam carnem: contrà adulteriô duo in unam carnem esse desinunt. Cùm autem teste Apost. 1 *Cor.* 6: 16. scortator una fiat caro cum scorto, necessariò consequitur, maritum, qui rem habet cum soluta, unitatem carnis cum uxore sua dissolvere, atque adeò adulterum fieri. Una enim caro factus cum scorto nequit simul una manere caro cum uxore, nisi etiam uxorem & scortum unam dicere velis carnem, quod absurdum. Imò ex analogia loci *Deut.* 22: 23, 24. etiam adulter in foro divino habetur, qui fide matrimonii data uni, rem habet

1. *Vetatur adulterium.*

Quale esse etiam conjugis cum cælibe, probatur.

bet cum altera, matrimoniô licèt necdum consummatô cum priore.

IV. *Quid vocas incestum?* R. Concubitum, quô sanguinis aut affinitatis reverentia negligitur vel à consanguineis in linea recta, vel à conjunctis in linea transversa. Prioris turpitudo satis manifesta est ratione naturali: Unde conjugium parentum cum liberis cujuscunque gradus etiam nefarium dictum gentibus, quia tollit reverentiam, quam liberi parentibus debent. Posterioris ratio minùs obvia, neque tamen incerta est. Scil. illicita est consuetudo personarum, quæ sanguine, vel affinitate se invicem contingunt ex transverso limite, in gradibus *Lev.* 18. expressis, velut fratris cum sorore: mariti cum uxoris sorore; uxoris cum mariti fratre &c. 1. Quia recentem parentum imaginem in liberis revereri oportet. Sic fratrem & sororem misceri prohibet verecundia, quâ frater in sorore imaginem suæ matris, soror in fratre imaginem sui patris revereri debet. Obj. *Atqui Deus ex uno sanguine propagari voluit genus humanum, Act.* 17:26. *quod sine fratrum & sororum nuptiis contingere nequivit.* R. Primorum parentum liberi majoris facere debebant Creatoris sui institutum de gente humana ex uno sanguine condenda, quàm parentum suorum imaginem. 2. Ne quarundam personarum, fratrum, puta, sororum, affinium &c. convictus nimis familiaris, quotidianus & inobservatus furtivis amoribus, stupris & adulteriis occasionem daret, si amores tales nuptiis possent conglutinari.

2. *Incestus in linea recta & transversa, ostensa ratione turpitudinis utriusque.*

V. Q. *Scortationem quamlibet, amatoriam, meritoriam, vagam, septimô præceptô vetari & damnari qui verò demonstras?* R. Seqq. argumentis: I. Adulterium & scortatio conjungi solent in Scriptura S. *tùm* quoad turpitudinem, *Matth.* 15: 19. ubi Christus ordinem sequitur præceptorum Decalogi, unde concludendum, interdictô adulterii etiam comprehendi scortationem: *tùm* quoad pœnam, 1 *Cor.* 6: 9, 10. *Heb.* 13: 4. II. Apostolus 1 *Cor.* 6: 13. &c. scortationem non indifferentem sed naturâ suâ turpem & illicitam esse probat seqq. rationibus. 1. *Cibi ventri, & venter cibis* ---- *Corpus*

3. *Scortatio. Eam lege divina damnari probatur.*

Corpus verò non scortationi &c. q. d. non eadem scortationis, quæ usûs ciborum, est ratio: cibi ad hoc facti sunt, ut ventrem impleant &c. at corpus non est factum scortationi, sed Domino, ut ei serviat &c. 2. An nescitis, *quòd qui conglutinatur cum scorto, unum cum scorto corpus sit* &c. v. 16. Scortator profanat sanctam conjugii institutionem, quâ Deus vult duos esse unam in carnem. 3. *Omne peccatum, quod homo facit, extra corpus est, sed scortans in proprium corpus peccat*, v. 18. Obj. *Nonne etiam ebrietate & ingluvie peccatur in proprium corpus?* R. Apost. non attendit, ubi vel in quid, sed quô adhibitô peccetur. Atqui ebrietate & ingluvie peccatur adhibitis alimentis, quæ sunt extra corpus: Scortator corpus suum fœdat corpore suo. 4. *An nescitis, corpus vestrum esse templum Spiritûs S.* &c. v. 19. *Ejus templi*, inquit Tertull. *æditua & antistita pudicitia est, quæ nihil immundum ac profanum inferri sinat, ne Deus ille, qui inhabitat, inquinatam sedem offensus derelinquat.* III. Scortatio adversatur fini institutionis conjugii, qui est quærere semen Dei. Spurii lege divina, *Deut.* 23: 2. & civili infames sunt. Ut in pauca contraham omnia, verbô istô Adami, *Gen.* 2: 24. imò Dei, teste Christo *Matth.* 19: 4, 5, 6. *Ideò relinquet vir patrem suum & matrem suam, & adhæresçet uxori suæ, & erunt in carnem unam*, damnari scortationem omnem; polygamiam; divortium; (cui causam non dat adulterium) incestum; adulterium; scelera; quibus sexus, vel genus negligitur, constat non obiter attendenti.

Polygamia & divortium extra casum adulterii quomodo permissa in Vet. Test.

VI. Obj. *Atqui polygamia & divortium extra adulterii causam, lege Mosaica fuere permissa.* R. Permissione facti hactenus impunitatem dante, non permissione juris, quod vulgò fieri solebat, licitum faciente. Obj. *Cur ergò Moses mandavit dare libellum divortii, & eam dimittere, Matth.* 19: 7? R. 1. Deus divortium non imperavit, sed pravo more usurpatum Judæis certis circumscriptum voluit legibus, ut uxoris innocentiæ consuleretur, & conjugii sanctimoniæ caveretur, *Deut.* 24: 1, &c. Enimvero ipsis illis legibus, & divortium sibi displicere, & conjugium rem esse sacram atque inviola-

violabilem, non obscurè significat. Quid enim interdictum de non reducenda domum uxore dimissa, nisi partim pœna marito pœnitenti, partim argumentum, quòd Deus conjugium haberi vellet sacrum & intemeratum? 2. Pœna fuit σκληροκαρδίας, quando Judæi jussi fuere divortiô sua publicare probra atque dedecora πρὸς τὴν σκληροκαρδίαν ὑμῶν &c. h. e. convenienter duritiei cordis vestri, prout illa merebat, *Matth.* 19: 8. conf. *Mal.* 2: 16.

VII. Q. *Nihilne amplius prohibet Deus hôc præcepto?* R. Interdictô comprehenditur quicquid fœdæ libidinis intus ardentis indicium atque fomes, vel accendendæ illecebra esse potest. Velut 1. *Gestus fœdi, libidinosus aspectus*, &c. *Matth.* 5: 27, 28. 2 *Pet.* 2: 14. II. *Sermones fœdi*, *Col* 3: 8. *Eph.* 4: 29. quales sunt plerique poëtarum Gentilium & Comicorum, qui, quod ipsimet non ignorant, turpium rerum fiunt διδάσκαλοι. Menandri versus est, Apostolo citatus 1 *Cor.* 15: 33. *Mala verba mores haud malos adulterant.* Nec enim facile dictu, malane exempla pejùs noceant, an malorum exemplorum elegans & artificiosa expressio, quâ præter turpem spectandi & audiendi voluptatem vix aliud obtinetur, quàm ut artificiosè peccare docearis. Obscœnus scriptor omnium horarum leno est. *Quid de fabellis ad corruptelam factis dicam? In quo numero Amadæus est, ingeniosi nugatoris proles, pestilens liber, si unquam fuit, & natus blande inficere, aut interficere juventutem. Lipsius in notis ad I. lib. pol. c.* 10. III. *Cogitationes fœdæ. Ex corde egrediuntur cogitationes malæ, cædes, adulteria, fornicationes, &c. Matth.* 15: 19 IV. *Cupiditates fœdæ*, vagæ libidinis flammæ, πάθος ἐπιθυμίας 1 *Thess.* 4: 4, 5. V. *Quicquid hominem ad ista allicit.* Sic turpe, irritamenta & fomenta libidini vel suæ quærere, vel alienæ subministrare. Quo pertinent vestes ad libidinem formatæ, sagina corporis, ludi scenici, saltationes promiscuæ & lascivi quid habentes, Apostolo notatæ in voce κώμοις, *Rom.* 13: 13. Κῶμος, unde *comissor*, Deus comessationum & nocturnarum saltationum præses habitus quondam gentilibus: in cujus militia quasi auctorabantur juvenes, qui coronati noctu

4. *Gestus, sermones, cogitationes, cupiditates fœdæ, & quæcunque libidinis incitabula & fomenta.*

noctu cum facibus & instrumentis Musicis ad amicarum fores saltandi & cantandi gratiâ concurrebant & procaciter lasciviebant: quapropter *Comi* cultores sunt tenebrarum filii.

Parte præcepti affirmativa præcipiuntur
1. *Temperantia.*
2. *Modestia.*
3. *Castitas.*

VIII. Q. *Superest pars præcepti affirmativa: ex adverso igitur quid præcipit Deus septimô præceptô?* R. Catech. eò tria refert officia puritatis hôc mandatô requisitæ: I. Temperantiam, quam hîc strictiori significatu sumit pro sobrietate, alimenti usum moderante. *Luc.* 21: 34. *Rom.* 13: 13. *Eph.* 5: 18. II. Modestiam, quæ Ethicis est virtus honorum cupiditati modum ponens, sed Catecheseos interpreti pudicitia cavens omnem impuritatem, lasciviam, & quicquid in moribus est indecens, 1 *Thess.* 4: 4, 5. III. Castitatem, sive in sacro conjugio sive in vita cælibe servandam. 1 *Cor.* 7: 9. *Heb.* 13: 4.

Quæstio CX.

Quid vetat Deus octavô præceptô?

NOn solùm ea furta, & rapinas, quas magistratus punit: sed furti nomine comprehendit, quicquid est malarum artium & aucupiorum, quibus aliena captamus, & ad nos vi aut specie recti transferri studemus, qualia sunt iniquum pondus, injusta ulna, inæqualis mensura, fucosa merx, fallax moneta, usura, aut alia quævis ratio aut modus rem faciendi à Deo interdictus. His adde omnem avaritiam, & multiplicem divinorum donorum profusionem & abusum.

ANA-

ANALYSIS.

Cùm octavum Decal. præceptum sit negativum, Catech. primùm enumerat peccata hôc præceptô vetita, quæ sunt 1. Furtum apertum & violentum; *non solùm ea furta & rapinas, quas* &c. 2. Furtum clandestinum & fraudulentum, quod Catech. describit; *Quicquid est malarum artium*, &c. Et recensitis aliquot modis illustrat; *qualia sunt iniquum pondus*, &c. 3. Avaritia; *his adde omnem avaritiam.* 4. Luxus & prodigalitas; *& multiplicem divinorum donorum*, &c.

Quæstio CXI.

Quæ sunt, quæ Deus hîc jubet?

UT commoda & utilitates proximi, quantum possim, adjuvem & augeam: cum eo sic agam, ut mecum agi cuperem: sedulo & fideliter opus faciam, ut aliorum quoque egestati subvenire queam.

ANALYSIS.

Nunc indicantur officia octavô præceptô requisita, quæ sunt

I. Respectu proximi: 1. Studium tuendi & juvandi commoda proximi; *ut commoda & utilitates* &c. 2. Fidelitas & æquitas

servanda in contractibus ; *cum eo sic agam* &c.

II. Respectu suiipsius, fidelitas in opere vocationis suæ faciundo, quæ expressa verbis , *sedulò & fideliter opus faciam* , declaratur à fine suo ; *ut aliorum quoque egestati subvenire queam.*

EXEGESIS.

Octavi præcepti summa.

OCtavi *præcepti*, *non furaberis*, *quæ summa* ? R. Jehovam Deum suum nominare volenti incumbit , ab omni pravitate , quæ furti nomine venit , totô animô abhorrere & recedere : ex adverso , curæ & cordi sit justitia *suum* cuique tribuens , atque charitas juvandis proximi commodis fidelem operam impendens. Q. *Quid verò* suum *quisque dicere potest* ? R. Quidquid à Deo , omnium rerum Domino , & bonorum suorum dispensatore obtinet : quale est omne id , quod habendi & utendi , vel petendi & exspectandi ab altero quovis in societate humana jus habet. Justitia enim , suum cuique tribuens , quasi manus est , quâ Deus terræ bona hominibus societatem colentibus dispensat. Q. *Quomodo quod quisque Deo sic providente quæsitum possidet , suum dicere potest* ? R. Non jure mancupi & absoluti domini , in ordine ad Deum , sed jure fructuarii & villici , cui , sub onere reddendæ rationis , incumbit bona sua in eos dispensare usus , in quos ea supremus dedit Dominus , nim. ad glorificandum Deum , & levandam inopiam pauperum. Et verò cùm Deus terræ bona toti humano generi , ex uno sanguine nato , possidenda dederit , justum utique est etiam post introductum dominium , ut nemo propter impotentiam suam omnibus terræ commodis careat. Hinc illud , *ne deneges bonum* מבעלי *ab eo cujus id est* , *Prov.* 3: 27.

Interdictum furti

II. Q. *Octavum præceptum naturâ suâ quale est* ? R. Cum ex dictis constet , præcepti fontem esse justitiam ,

tiam, cum qua pugnat furtum, præceptum hoc utique juris est naturalis & necessarii, non positivi & dispensabilis. Furari est *contrectare nomen Dei*, *Prov.* 30. 8, 9. h. e. invadere jus Dei, quô ipse tanquam omnium Dominus, quod suum est dat, cui vult &c. Furari est dissolvere vinculum societatis, quæ constare non potest, nisi possessiones cujusque tutæ sint. Hinc etiam Paulus & Ulpianus JCti Rom. furtum naturâ turpe & prohibitum dicunt, l. 1. ff. de furtis & l. probrum ff. de V. S. Et verissimè Poëta. *esse juris naturalis.*

Namque odit ipse vim Deus: nec divites
Nos esse raptô, sed probè partis cupit.
Spernenda, si non jure veniat, copia est.

III. Q. *Ut ad præcepti explicationem accedamus, quid eô prohibetur?* R. Non solum alieni subductio, sive ea vi, sive dolô fiat, sed etiam quicquid furto causam dare potest, eique analogum & affine est. Q. *Quî verô?* R. Quia ex genere expresso, ut hîc, species; ex effectis causas, & vicissim intelligi oportet: ut suô locô nobis annotatum. Q. *Furtum quotuplex est?* R. Aliud est apertum & violentum, aliud clandestinum & fraudulentum. Illud rursus vel simplex est, vel qualificatum. *Pars præc. negativa. Ubi quid furti nomine comprehendatur.*

IV. Q. *Quid vocas furtum apertum?* R. Alieni subductionem quæ injecta manu fit: cui si accedat violenta effractio &c. rapina dicitur. Tale est furtum, quod Magistratus punit, ut habet Catech. Hinc foro Civili accommodata definitione *furtum* JCtis dicitur fraudulosa contrectatio rei alienæ corporalis & mobilis, vel ipsius usus aut possessionis, lucri faciendi causâ, invitô Dominô, facta. Quæ definitio ex lege Dei & usu fori divini spectata in multis deficit. Q. *Quod dicis furtum simplex?* R. Cui communis furti definitio convenit. Q. *Quod qualificatum?* R. Quod singulari turpitudinis notâ, ex rei qualitate vel modo patrandi, distinguitur: quale est sacrilegium, plagium, peculatus, stellionatus, concussio, latrocinium. *Furtum apertum. Simplex. Qualificatum.*

V. Q. *Quod furtum appellas clandestinum?* R. Eò referenda omnia aucupia & malæ artes, quibus alie- *Furtum clandestinum.*

na fraudulenter & specie recti captantur & adhamantur: cujusmodi sunt iniquum pondus, injusta ulna, inæqualis mensura, fucosa merx, fallax moneta, usura, &c. Quibus artibus id agitur, ut non æque gaudeat, qui emit atque qui vendit, sublata æqualitate quam in contractu quolibet, præsertim oneroso, servari postulat justitia commutativa. Q. *Omnes istas artes furti nomine damnari in lege Dei, unde probas?* R. I. Testimoniis Dei, *Deut.* 25: 13, &c. *Hos.* 12: 8, 9. *Amos* 8: 4, 5. II. Testimoniô conscientiæ. Quivis, dum alteri tanquam læsus & fraudatus iratscitur, ostendit, quid cuique tribuere judicet esse justum, juxta certissimam regulam, *quod tibi fieri nolis, alteri ne feceris*

Usura promiscua & iniqua.

VI. Q. *Quæ ratio, malis illis artibus captatoriis accensendi usuram?* R. Catech. intelligit 1. Studium lucri quærendi ex mutuo, in quo nulla habetur ratio vel damni emergentis, vel lucri cessantis, vel periculi & laboris à mutuum dante subeundi. 2. Usuram quæ exigitur ab indigente, quæ mutuatarium gravat, ut ei non constet operæ suæ fructus &c. quæque adeò charitatem in inopes negligit, vel æquitatem violat. Quomodo etiam Prophetæ & Psalmi usuram damnant cum lege pugnantem, *Exod.* 22: 25. *Lev.* 25: 35, 36, &c. *Deut* 23: 20. Lex disertè pauperibus consulit, sicut & Christus, *Luc.* 6: 35.

Omnis modus rem faciendi à Deo interdictus.

VII. Q. *Nihilne amplius furti nomine hôc præceptô prohibetur?* R. Imò verò omnis alia ratio aut modus rem faciendi à Deo interdictus, qualis est, quæstum facere corpore suo; quæstui habere jus in foro, munia publica, sacra, civilia; lucrum captare ex alea, captiosas & calumniosas intendere & protrahere lites &c. Flagellare annonam; in usum pauperum non depromere, sed spe lucri majoris continere necessaria &c. *Prov.* 11: 26. Q. *An furti tenetur ille solùm, qui ipse, quo hactenus dictum est, modô furtum facit?* R. Etiam ille, cujus ope & consiliô furtum commissum est. *In quo numero est*, inquit Imp. Justinian. *qui tibi nummos excussit, ut alius eos raperet; aut tibi obstiterit, ut alius rem tuam exciperet; aut oves tuas vel boves fugaverit,*

Quinam furti teneantur præter furtum facientes.

ut

ut alius eas acciperet. Et hoc veteres scripserunt de eo, qui pannô rubrô fugavit armentum. Instit. l. IV. *tit.* 1. Et furti se alligant, qui furibus receptum præstant, res furtivas occultant, scientes emunt, retinent &c. Item si procurator aut villicus otiosus vorat Domini substantiam, nec ad rei familiaris curam intentus est; si commissas sibi facultates vel injuriâ dissipat, vel mala fide administrat: si servus Dominum ludibrio habet, si segniter opus facit, &c. furti apud Deum tenetur. Alienum enim & retinet & prævertit, qui non exsequitur, quod ex suæ vocationis munere aliis debet.

VIII. Q. *Quæ ratio in hoc censu annumerandi avaritiam, prodigalitatem & divinorum donorum profusionem & abusum?* R. Avarus proximo negat τὸ ἴσον & quærit τὸ πλέον, avaritiâ inhumanitati, iniquitati & furtis causam dante. Et cùm in primam & secundam legis tabulam incurrat, ibi idololatra, hîc fur, non mirum, avaritiam dici radicem omnium malorum, 1 *Tim.* 6: 10. Prodigus rem familiarem profundens, sua sibi & suis subducit. Deinde multa profundens multis eget, & multis egens multa cupit possidere, atque hinc suapte cupiditate trahitur ad injustitiam & furta clandestina vel publica. Nec à furti crimine liber, qui divina dona, velut sunt bona mens, recta valetudo &c. vel inculta negligit, vel improba vivendi ratione vastat, corrumpit, perdit: mali enim villici adinstar suô fraudat Dominum. *Prohibentur etiam avaritia, prodigalitas & divinor. donor. profusio.*

IX. Q. *Vidimus vetita: quænam ex adverso mandantur?* R. Ut paucis complectar omnia ex Quæst. CXI. postulat à nobis octavum præc. I. Studium tuendi & juvandi commoda proximi, *Deut.* 22: 1, 2, 3. *Phil.* 2: 4. II. Æquitatem atque fidem servandam in contractibus, juxta regulam, *quod tibi vis fieri, alteri feceris*, *Matth.* 7: 12. 1 *Thess.* 4: 6. III. Sedulitatem & fidelitatem in labore vocationis obeundo, 1 *Thess.* 4: 11. & 2 *Thess.* 3: 11, 12. ut aliorum quoque egestati subvenire queamus, *Eph.* 4: 28. Ergò & αὐτάρκειαν frugalitatem & parsimoniam, 1 *Tim.* 6: 6, 7, 8. Adde & liberalitatem ac hospitalitatem, per quam divites aliorum necessitatibus *Pars præc. affirmativa.*

communicent, suâque copiâ illorum inopiam sublevent', 1 *Tim* 6: 18. *Heb.* 13: 16. Illis tamen, qui laborare & proprium panem edere valent, sed non volunt, rectè dicitur, *qui non laborat, ne manducet.*

Addenda.

Furti pœna æterna & temporaria.

I. Occasione verborum Catech. *Non solùm ea furta & rapinas, quas Magistratus punit,* paucis de pœna furti dicendum. Fures cum aliis sceleratis, nî resipiscant, regno Dei excluduntur, 1 *Cor.* 6: 10. Constitutæ sunt præterea lege forensi Hebræorum pœnæ quædam temporariæ, diversæ quidem, pro delicti circumstantiis, sed intra capitis supplicium consistentes, *Exod.* 22: 1, &c. Furtum bovis quintuplô, ovis quadruplô luitur, quia in illo majus damnum, interversô laboris fructu, & major audacia. Furtum penes furem deprehensum duplô, h. e. altero tanto luendum.

Apud Hebræos summa furti pœna servitus.

Quòd si fur non haberet, quod rependeret, venundabatur, quo casu summa furi pœna servitus, non longior sexenniô, *Joseph. Antiq. Jud.* l. 16: c. 1. contractior verò, si antè operæ ejus tantum valuissent, quantum res furtô sublata, ita ut ob mulctæ debitum in servitute retineri non potuerit, notantibus legum divin. interpretibus: quanquam furtum Judæis quondam, quàm aliis Gentibus, habitum fuerit detestabilius: unde & in decimo præcepto rerum alienarum concupiscentia exemplaris loco proposita. Nec immeritò, tùm quia sua cuique sors atque hæreditaria portio in Cananæa distributione divinitus assignata: tùm quia pauperum necessitati diversis legibus erat consultum, ne quis hæreditatis & pignoris sacri communione excluſus videretur.

Quæ furti pœna in jure Cæsar.

II. Olim Jure Civili Rom. pœna furti manifesti erat quadrupli; nec manifesti, dupli. Justin. *Inst. Lib. IV. Tit. I.* Ubi criminaliter agebatur, pœna erat fustigationis vel exilii. Nunc furibus ferè pendendum,

Furibus nunc ferè res ad restim redit.

rebus furtivis in fiscum principis vel Magistratûs translatis. In quem morem vehementer invehitur Muscul. loc. com. Explan. oct. præc. Hinc multis agitata

quæst.

quæstio de æquitate pœnæ ad mortem pertingentis, quam mox laudatus author & alii nullam agnoscere videntur, allegantes illud Chrysost. *Ubi damnum resarciri potest, non esse homini adimendam vitam.* Verùm in genere tenendum: 1. Pœnarum civilium eandem, quæ remediorum, esse rationem. Quò pertinacior est morbus, eò acriora deposcit remedia. 2. Non solùm spectandum, quanti esse possit res furtò ablata, sed quid periculi ex furandi licentia metuendum sit societati civili. Illa igitur si restitutionis & servitutis pœnâ reprimi non possit, pœnam intendi ipsa postulat æquitas. *Quæ illius supplicii æquitas.*

Quæstio CXII.

Quid exigit nonum præceptum?

NE adversus quempiam dicam falsum testimonium, nullius verba calumnier, nulli obtrectem aut convicium faciam, neminem temerè vel indictâ causâ condemnem: verùm omnis generis mendacia, fraudes, ut opera diaboli propria, nisi in me gravissimam iram Dei concitare velim, omni curâ fugiam: In judiciis cæterisque negotiis veritatem sectter, id quod res est liberè & constanter profitear. Adhæc famam aliorum & existimationem, quantum queam, defendam & augeam.

ANALYSIS.

I. Exponitur pars præcepti negativa: ubi

1. Peccata vetita enumerantur sex:

1. *Falsum testimonium.* 2. *Calumnia.* 3. *Obtrectatio.* 4. *Convicium.* 5. *Temeraria condemnatio.* 6. *Mendacium* & *fraudes.*

2. Peccatorum istorum detestatio ac fuga suadetur duplici argumentô, tùm à causa procreante; *ut opera Diaboli*, &c. tùm ab effectu noxio; *nisi in me gravissimam iram Dei* &c.

II. Enarratur pars affirmativa: ubi officia virtutis præcepta sunt 1. *Veritatis studium in judiciis*, &c. 2. Παῤῥησία cum candore & constantia conjuncta; *id quod res est liberè*, &c. 3. *Famæ proximi defensio.*

EXEGESIS.

Scopus præcepti noni.

NOnum *præceptum quò tendit?* R. Eô cautum vult Deus illi bono proximi, quod per linguam adstrui vel destrui potest. Id autem est fama & existimatio, & ad eam defendendam comparata juris & justitiæ administratio: eò namque verùm testari oportet, ut suæ cuique famæ integritas constet, & judex, quod jus & æquum est, decernere possit. Unde quid de summa præcepti tenendum sit, non obscurum.

Vetita nonô præc.

II. Q. *Nono præcepto quid disertim prohibetur?* R. *Falsum testimonium solenne & judiciarium:* ita ut species sui generis turpissima paradigmatis locô proponatur. Q. *Unde id scis?* R. Quia in textu Hebræo legimus; *non respondebis adversus proximum tuum testimonium falsum:* non respondebis scil. interrogatus & adjuratus à judice in foro. Turpissimum autem est falsum testimonium in foro perhibitum, quia testi jurato, nisi pateat illius nequitia, nec judex, nec accusatus resistere potest. Si duo testes consentientia dixerint, lege sancitum est, ut illorum testimoniô vel

Falsum testimonium judiciale.

Cujus quanta sit turpitudo ostenditur.

ster,

ſtet, vel cadat quæcunque cauſa. Quare non eſt paratior ratio nocendi, imò perdendi etiam innocentiſſimum, quàm falſum teſtimonium jurejurandò præſtitum. Hinc innocentis falsò teſtimoniò gravati periculum ſubeundum fuit falſo teſti, *Deut.* 19: 19. & juſſi teſtes judicio damnationis exequendo primam admovere manum, *Deut.* 17: 7. conf. *Job.* 8: 7. ut viderent, quanto ſe crimine obſtringerent falſum teſtantes contra innocentem, quippe qui cùm falſi eſſent teſtes, etiam inſuper homicidæ erant futuri.

III. Q. *Falſi teſtimonii nomine quæ alia vetantur?* *Calumnia.*
R. I. *Calumnia*, alterius verba in pravum detorquens ſenſum, ut in fraudem ſuam dixiſſe videatur, quod non dixit, *Exod.* 23: 1. II. *Obtrectatio*, quæ abſentis famam & exiſtimationem imminuit ſive falſa, ſive vera, (ſed quæ ſcire alterum nec juſtitiæ nec charitatis interſit) prædicando, *Jac.* 4: 11. 1 *Pet.* 2: 1. Eò pertinet *excuſando opprobrare*, *laudando lædere*, quam novam inventam calumniæ rationem dicit Polyb. *Hic nigræ ſuccus loliginis: hæc eſt ærugo mera.* Obtrectator in Scriptura dicitur הולך רכיל q. d. *ambulans cum nundinatione*, quippe qui ab uno ad alterum, ab aure ad aurem obambulat, venalem habens famam & exiſtimationem proximi, ejusque læſione gratiam emens audientis &c. *Lev.* 19: 16. *Prov* 20: 19. Adde, cùm obtrectandi libido damnetur, non minùs audiendarum obtrectationum aviditatem interdici. III. *Convitium*, quò non tantùm id efficitur, ut proximus apud alios minoris ſit, ſed & ipſe ſaucietur: quo nomine etiam ad ſextum præceptum ſpectat, *Matth.* 5: 22. de quo ad Quæſt. 105. IV. *Præceps & temeraria condemnatio*: quæ culpa non tantùm judicis in foro, delatum indictâ cauſâ damnantis, ſed etiam cujusque hominis, præproperè alterum judicantis, eſſe poteſt. *Luc.* 6: 37. *Gen.* 38: 24. V. *Mendacium* & *linguæ fraudes* nominis atque generis cujuscunque, non excluſis piis fraudibus, quas vocant, æquivocationibus & reſervationibus mentalibus, ad fallendum compoſitis. *Lev.* 19: 11. *Eph.* 4: 25.

Obtrectatio.

Convitium.

Temeraria condemnatio.

Mendacium & linguæ fraudes.

Hactenus recensita summoperè fugienda.

IV. Q. *Audiam nunc paucis argumenta, quibus istorum vitiorum fugam atque detestationem suadet Cat.* R. Quidni summoperè fugienda sint, cùm I. Authorem habeant Diabolum, qui *quando loquitur mendacium, ex suis*, ex propriis, pro ingenio suo, *loquitur; quia mendax est, & pater ejus*, in more habens & amans fallere, repertor mendacii unicus, *Joh.* 8: 44. II. In delinquentes gravissimam Dei iram concitent. *Psal.* 5: 7.

Ex adverso præcipiuntur

1. *Veracitas.*

2. *Parrhesia & candor.*

V. Q. *Dixisti de vetitis: quænam ex adverso præcipiuntur?* R. I. *Veritatis amor atque studium;* ut quoties tibi loquendum in judiciis aliisve negotiis, jurato injurato &c. te veracem probes. *Zach.* 8: 19. *Psal.* 15: 2. II. παῤῥησία, sed *candida & constans*, quâ veritatem animo compertam liberè & intrepidè profitearis. *Prov.* 12: 17. 2 *Cor.* 1: 17, 18. Q. *Ergone proferendum, quicquid verum nosti?* R. Quò dixi modò proferenda est veritas, quam scire aliorum intersit, qui cæteroquin vel jus suum consequi non possent, vel intempestivò nostrò silentiò in periculum vitæ vel famæ adducerentur; aut certè, si judices fuerint forenses, judicando à veri & justi tramite aberrarent. III. *Defensio & amplificatio famæ proximi, & quæ ad eam facit, æqua atque benigna dictorum & factorum interpretatio*, 1 *Sam.* 19: 4. & 20: 28, 29.

3. *Defensio & amplificatio famæ proximi.*

De mendacio jocoso & officioso quid tenendum.

VI. Q. *An licitum mendacium jocosum?* R. Neg. quia etiam ubi puerorum ætas improvida ludificatur, vitiosæ imbecillitatis est & vanitatis, *Matth.* 12: 36. Q. *An officiosum?* Neg. quia non facienda mala, ut eveniant bona, *Rom.* 3: 8. Obj. *Atqui malum sit nec ne, quæritur?* R. 1. Teste conscientia, falsum est testimonium, ergò lege divina vetitum, quocunque demùm animò proferatur. 2. Diffidentiæ est existimare, nullam aliam salutis suæ vel aliorum expediendæ rationem esse quàm falsiloquentiam.

Quæst.

Quæstio CXIII.

Quid prohibet decimum præceptum?

NE vel minimâ cupiditate aut cogitatione adversus ullum Dei præceptum corda nostra unquam sollicitentur: sed ut perpetuò & ex animo omne peccatum detestemur, contraque omni justitiâ delectemur.

ANALYSIS.

Expositio decimi præcepti similiter constat interdictô & præceptô.

I. Interdicuntur 1. Omnes etiam *minimæ cupiditates adversus ullum Dei præceptum.* 2. Omnes *pravæ cogitationes.*

II. Præcipiuntur 1. Odium atque fuga peccati, quæ ab adjuncto constantiæ & sinceritatis describitur; *sed ut perpetuò & ex animo omne peccatum detestemur.* 2. Amor & studium justitiæ; *contraque omni justitiâ delectemur.*

EXEGESIS.

Decimi præcepti finis atque summa.

DEcimi præcepti quis finis? ℟. Quoniam totum cor nostrum, totam animam & totum nostri dilectionis affectum possideri vult Deus, omnem adversam charitati cupiditatem esse ex animis excutiendam. Summam præcepti exhibet Responsio Catech. hypothesin referendo ad thesin. Si enim præcepti literam intueamur, solummodò concupiscentiam vetat rerum proximi, in quas humana cupiditas po-

tas potissimùm insanit & exultat : inde generalem conficit thesin ; ne vel minimâ cupiditate aut cogitatione adversus ullum Dei præceptum corda nostra unquam sollicitentur. Obj. *Decimô præceptô, cùm exprimantur res ad proximum pertinentes, prohiberi videntur cupiditates adversus præcepta secundæ tabulæ; thesis ergò Catech. nimium generalis est.* Rz. Si posterioris tabulæ præcepta violantur per concupiscentiam, simili ratione etiam violari præcepta prioris, facilè colligitur. Atqui sanè per concupiscentiam violatur secunda tabula, quia charitati adversatur ; neque enim, si proximum perinde ac nos ipsos diligeremus, cupiditatibus in damnum proximi vergentibus esset locus. Quemadmodum amor sui non patitur, ut quisquam proprium suum concupiscat damnum : ita amor proximi animum nostrum penitus occupans prohibet concupiscere, quod in proximi fraudem & damnum cedit. Pari ratione concludere licet, si Deum diligeremus ex toto corde, ex tota anima &c. nullum ne minimæ quidem concupiscentiæ adversus legem primæ tabulæ locum in corde nostro futurum. Sic verò etiam concludere jubet arcta utriusque tabulæ necessitudo, de qua dictum alibi.

Per concupiscentiam violari præcepta utriusque tabulæ.

II. Q. *Quam hîc cupiditatem prohiberi existimas ?* Rz. Omnem quæ adversus legem it, non attendendo, an voluntatis consensum sequatur nec ne, lege generatim edicente ; *ne concupiscas.* Vetatur proinde etiam cupiditatis motus, qui vocatur primò primus, voluntatis consensum antevertens ; passio subitanea, concupiscentiæ primordium, quo animus inescatur, &c. Q. *Id verò unde constare vis ?* Rz. 1. Concupiscentia voluntatis consensum sequens animô libidine subjugatô in singulis Decal. præceptis vetatur : quapropter necesse est, decimô præceptô, quod haud dubiè à cæteris distinctum est & singulare quid habet, vetari etiam cupiditatis motus deliberatam voluntatem prævertentes. 2. Concupiscentiam, quâ animus sua imbecillitate sibimet indulgens vincitur, vitiosam esse, Philosophos gentiles non latuit. Atqui Apostolus *concupiscentiam* esse peccatum, negat *se noviſſe, nisi lex dixisset non concupisces, Rom.* 7: 7. necessariò igitur concupiscen-

Decimô præc. ostenditur, prohiberi 1. Cupiditates, quæ deliberatum voluntatis consensum prævertunt.

cupiscentiam intelligit, quæ deliberatam voluntatis consensionem præcedit. Q. *Etiamne concupiscentia habitualis, quæ peccatum est originale, hic prohibetur?* R. Disertè vetatur concupiscentia, quæ ipso actu se effert in rem proximi; Edicitur enim, *ne concupiscas domum, uxorem &c. proximi tui:* quæ concupiscentia actualis est, objectis quippe suis determinata. Q. *Ubi ergò prohibetur concupiscentia mater, sive peccatum originale?* R. 1. In tota Decalogi lege. 2. Proximè & necessariâ consequentiâ in hoc decimo legis præcepto, quod, cùm tantam à nobis postulet sanctitatem atque rectitudinem, ut cor nostrum ne minima quidem cupiditate prava tentari velit, dubio procul damnat, quicquid illi sanctitati & rectitudini adversatur.

III. Q. *Quid porrò vetat?* R. Omnes pravas cogitationes, quæ animum subeunt, ad illicita deflectunt, exstimulant, & delectatione quadam titillant. Hæ ex corde prodeunt, *Matth.* 15: 19. Q. *An & phantasmata?* R. Si nolenti oboriantur & in mente oberrent, nulla excitata passione, per se hactenus peccata non sunt, etsi certè turbare hominem non possent, nisi peccator esset. Peccat verò, qui illis tantisper immoratur cum delectatione. *2. Pravæ cogitationes animum titillantes.*

IV. Q. *Dixisti de vetitis: quid præcipitur?* R. 1. Ut perpetuò & ex animo omne peccatum detestemur: quod Apostolus dicit *crucifigere carnem cum affectibus & cupiditatibus, Gal.* 5: 24 & Psaltes, *odisse omne iter mendacii, Psal.* 119: 104. II. Ut contrà omni justitiâ delectemur, *Rom.* 7: 22. De quibus dictum ad Quæst. LXXXIX. XC. *Pars præs. affirmativa.*

Addenda.

I. Dicta docent, quàm admirabilem dilectionis ardorem Dominus mandet, quem ne minimis quidem concupiscentiæ tricis impediri vult: quantam rectitudinem exigat, quæ nulli pravæ cupiditatis motui locum in animo relinquat: quam sancta, spiritualis & perfecta sit lex, quæ non externas solùm actiones informat, sed etiam intimos cordis motus coër- *Consectarium de divinæ legis perfectione &c.*

coërcet: quantô denique intervallo quisque noſtrûm à perfecta legis impletione abſit.

Notantur Pontificii, ſenſum decimi præc. pervertentes.

II. Malè Pontificii perfectionem decimô Dec. præceptô requiſitam, non in præcepto, ſed finem præcepti eſſe contendunt. *Obligationem præcepti propriè in mediis, quæ imperantur, conſiſtere, non in fine, & prævaricatorem eſſe, qui media negligit, non qui finem non aſſequitur.* Bellarm. de *Amiſſ. grat. &c. lib. V. c.* 10. Sic autem ſentiunt, ne concupiſcentiam in renatis peccatum, & legis impletionem etiam juſtis in hac vita impoſſibilem eſſe nobiscum fateri cogantur. Verùm hac ratione decimum præceptum non legis, ſed doctrinæ præceptum eſſet, quippe quod non mandaret quæ ad neceſſariam praxin, ſed traderet ſolummodò, quæ ad inſtitutionem pertinerent: nec proinde foret cauſa, quamobrem æque ac reliqua præcepta Decalogo inſereretur.

Quæſtio CXIV.

Poſſuntnè autem illi, qui ad Deum converſi ſunt, hæc præcepta perfectè ſervare?

MInimè: verùm etiam ſanctiſſimi quique quamdiu vivunt, habent tantùm exigua initia hujus obedientiæ, ſic tamen ut ſerio & non ſimulato ſtudio non ſecundùm aliqua tantùm, ſed ſecundùm omnia Dei præcepta vivere incipiant.

ANALYSIS.

Poſſe converſos ad Deum legis præcepta hactenus

ctenus expositâ perfectè servare, negatur argumentô ab exemplo sanctissimorum ductô, quod

I. Proponitur amplificatum collatione majorum; *Etiam sanctissimi quique, quamdiù vivunt, habent tantùm* &c.

II. Contra tacitam objectionem vindicatur; atqui Scriptura conversis perfectionem tribuit. R. 1. Esse perfectionem sinceritatis; *sic tamen, ut seriò & non simulatô studiô.* 2. Perfectionem partium; *non secundùm aliqua tantùm, sed* &c.

EXEGESIS.

Quæstionis occasio.

UNde nata *Quæstioni occasio?* R. Ex responsione ad Quæst. præced. Cùm enim imaginis divinæ sanctitas, in lege Decalogi, cumprimis decimo ejus præcepto requisita, usque adeò sit perfecta, ut ne minimum quidem pravæ cupiditatis motum ferre queat, nos verò etiamnum in carne simus & infirmi, haud intempestiva est de legis implendæ possibilitate quæstio. Neque non multum refert, nos de veritate, quam docet Catechesis, esse persuasissimos, ne nostræ infirmitatis ignari vel obliti in hypocrisin incidamus. Id quod Pontificiis & aliis de justitia fidei male sentientibus contingit.

Et momentum.

Legis impletionem conversis in hac vita esse impossibil. probatur.

II. Q. *Perfectam legis impletionem ne quidem à conversis in hac vita exspectari posse, quî verò probas?* R. I. Testimoniô Spiritûs S. καρδιογνώστου & regenitorum conscientiæ, 1 *Reg.* 8: 46. *Prov* 20: 9 *Eccles.* 7: 20. *Jac.* 3: 2. 1 *Joh.* 1: 8. II. Exemplô sanctissimorum, qui quamdiu vivunt, habent tantùm exigua initia perfectæ illius & omnibus numeris absolutæ obedientiæ, quam lex exigit, teste diserta satis professione Jobi cap. 9: 14, &c. Davidis, *Psal.* 19: 13. Pauli, *Phil.* 3: 13. Multò minùs ergò

ergò qui sanctitate ipsis sunt inferiores perfectæ obedientiæ laudem sibi arrogare possunt.

Respondetur ad testimonia, quæ conversis perfectionem tribuunt,

III. Obj. *Atqui Scriptura conversis perfectionem tribuit*, 1 *Cor.* 2: 6. *Phil.* 3: 15. 1 *Reg.* 15: 5. 2 *Reg.* 23: 25. R. I. Eam esse perfectionem *sinceritatis*, sitam in serio & non simulato studio, ex toto non dimidiato, & ex simplici non duplici corde obediendi Deo. Quorum tale est studium, dicuntur *puri corde*, *Psal.* 73: 1. & *recti corde*, *Psal.* 97: 11. & Hebr. תמים & חם quorum vocabulorum in hoc argumento usus est tralatitius, pro simplicitate, fraudi & hypocrisi oppositа, sumi, citra dubium liquet ex 2 *Sam.* 15: 11. 1 *Reg.* 22: 34. II. Esse perfectionem *partium*, quatenus non secundùm aliqua tantùm sed secundùm omnia Dei præcepta vivere incipiunt, *Psal.* 119. Deest sanctis in terra perfectio graduum, sed adest perpetuum proficiendi studium. Etsi conversi, tanquam arbores bonæ, etiam fructus proferant bonos, *Matth.* 7: 18 1 *Joh.* 3: 9. Spiritu vitæ in ipsis consentanea sibi operante, *Jer.* 32: 39. *Ezech.* 36: 26, 27. *Rom.* 8: 2. nihilominùs defectibus atque nævis laborant etiam regenitorum opera. Quemadmodum bona arbor primis annis paucos, nec illicò maturos, sed paulatim ad maturitatem proficientes fert fructus: sic etiam hic plenus fructuum proventus, abundantia atque maturitas ad consummationem messis, quæ futuræ reservata est vitæ, pertinet. III. Perfectos dici quosdam *non absolutè* sed *in comparatione cum aliis*, Apostolo distinguente in Christo infantes, pueros & viros, 1 *Joh.* 2: 13, 14. 1 *Cor.* 3: 1, 2. *Heb.* 5: 13, 14. IV. Distinguendum esse in Sanctorum exemplis *Universæ vitæ tenorem ab hoc illovo bono opere*, quod Deus velut Pater juxta gratiam Evangelicam, non ut judex juxta legis rigorem æstimavit & laudavit. Vitæ tenorem nævis & infirmitatis humanæ lapsibus interpolatum fuisse testatur historia sacra. Unde in encomio Davidis illud, *præterquam in causa Uriæ Chitthæi*, 1 *Reg.* 15: 5. Magna laus Josiæ ex opere reformationis cultus publici 2 *Reg.* 23: 25. Sed si obedientia vitæ ejus omnibus numeris perfecta, & nullô peccatô contaminata fuisset, nec præ-

prælio vinci, nec vulnerari, nedum ex vulnere mori potuerat, 2 *Chron.* 35: 23. *Deut.* 28: 7.

Quæstio CXV.

Cur igitur Deus vult Legem suam adeo exactè & severè prædicari, cùm nemo sit in hac vita, qui eam servare possit?

PRimùm: *ut in omni vita magis magisque agnoscamus, quanta sit naturæ nostræ ad peccandum propensio, tantoque avidius remissionem peccatorum & justitiam in Christo expetamus. Deinde ut hoc perpetuò agamus, illud semper meditemur, & gratiam Spiritus Sancti à Patre imploremus, quò indies magis ac magis ad imaginem Dei renovemur, donec aliquando tandem, postquam ex hac vita decesserimus, propositam nobis perfectionem læti aßequamur.*

ANALYSIS.

I. Quæstio habet objectionem; *Si nemo est in hac vita, qui legem servare possit, Deus* frustrà *vult Legem suam adeò exactè & severè prædicari:* Atqui falsum consequens: Ergò.

II. Respondetur negando consequentiam, ratione petita ex tribus aliis finibus legis

datæ & etiamnum prædicandæ: quos mox videbimus in Explicatione.

EXEGESIS.

Resp. ad objectionem in quæst. propositam.

OBj. *Si nemo est &c. vide Analys.* Rz. Nego, sequi, frustraneam fore legis prædicationem, si non sit, qui eam servare queat; quasi legis præcepta non alio fine dari potuerint, & data sint, quàm ut homo ea faciendo suis justificari vellet operibus.

Legis datæ & etiamnum prædicandæ exponuntur fines tres.

II. Q. *Quos igitur alios datæ & etiamnum prædicandæ legis fines esse dicis?* Rz. Catech. tres exponit. *Primus* est plenior peccati & propensionis nostræ ad peccandum agnitio: *ut in omni vita magis magisque agnoscamus*, &c. *Rom.* 3: 20. & 4: 15. *Secundus* est plenius desiderium remissionis peccatorum & justitiæ per Christum partæ; *tantoque avidiùs* &c. Tantum scil. abest, legem eò fuisse datam, ut factis ejus homo justificaretur; ut ex adverso per legem agnitâ suâ ἀδυναμίᾳ propriam justitiam abnegaret, & ad Jehovam, Deum & Sanctificatorem suum in Christo confugeret, cum fame & siti justitiæ, *Matth.* 5: 6 quam famem excitari per legis ministerium docemur exemplò Apostoli, *Rom.* 7: 24. Unde *Christus finis legis ad justitiam omni credenti*, *Rom.* 10 4. *Tertius* est constans studium proficiendi ad perfectionem; *deinde ut hoc perpetuò agamus* &c.

Studium novæ obedientiæ juxta Catech. describitur.

III. Q. *Cùm de hoc studio p'uscula faciat verba Catech. seorsim quæram, quænam ejus sint considerandæ?* Rz. I. Acris contentio & perseverantia, qualis esse solet σταδιοδρόμων cursu ad metam maxima cum industria contendentium in certamine pro corona, *Phil.* 3: 11, 12. &c. II. Causa studii procreans, quæ est Spiritus S. quapropter necesse est ut gratiam Spiritus S. indesinenter à Patre imploremus. Hinc conversio hominis ad novam obedientiam dicitur *renovatio Spiritus S. Tit.* 3: 5. & lex Decalogi inscripta cordi per Spiritum regenerantem vocatur *Lex Spiritus vitæ in Christo Jesu*, *Rom.* 8: 2. III. Causa exemplaris, quæ est imago Dei, consistens

sistens in sanctitate & justitia, *Eph.* 4: 24. quam lex moralis ad vivum exprimit. IV. Meta, quæ est consummatio, vitæ futuræ reservata, de qua Catech. *donec aliquando tandem, postquam ex hac vita decesserimus propositam nobis perfectionem læti assequamur*, 1 *Cor.* 13: 9, 10. *Eph.* 5: 27. *Col.* 1: 22.

Legis datæ finesque expositi demonstrantur.

IV. Q. *Deum ea mente legem dedisse, atque prædicari velle. quibus argumentis demonstras?* Rz. 1. Quia, quanquam Deus legis moralis observantiam sedulò & severè inculcet, addita promissione, victurum, qui eam servaret; nihilominùs Israëlitarum, imò omnium hominum eam esse testatur impotentiam, ut quæ lege præcipiuntur facere nullatenus possint, *Deut.* 5: 29 & 29: 4 & 30: 6. *Psal.* 143: 2. 1 *Reg.* 8: 46. Unde, si Deus legem eo fine dedisset, ut homo ejus observatione justificaretur, duo sequerentur vehementer absurda; primùm quidem Deum homini revera illudere: deinde imprudenter agere, dum hinc quidem legis inculcat obedientiam, inde verò animum obediendi imminuit & labefactat. 2. Decalogus appellatur *fœdus Dei*, *Deut.* 4: 13. Unde *tabulæ fœderis*, dictæ, *Deut.* 9: 9, 11, 15. Et arca, in qua tabulæ erant reconditæ, *arca fœderis*, *Jos.* 3: 14. Atqui Deus cum peccatore aliud, quàm gratiæ fœdus nec pepigit unquàm nec pangere potest. Hinc 3. Decalogo præmissum & insertum testamentum, quod Deus indicaverat Abrahamo. Unde nullô negotiô conficitur Legis datæ & etiamnum prædicandæ finem atque usum esse eum, quem exponit Catechesis.

Quæstio CXVI.

DE PRECATIONE.

Quare Christianis necessaria est precatio?

QUia præcipua pars est ejus, quam Deus à nobis postulat, gratitudinis.

Tùm quia eis tantùm ſuam gratiam & Spiritum Sanctum Deus largitur, qui veris gemitibus continenter hæc ab eo petunt, & pro iis ipſi gratias agunt.

ANALYSIS.

I. Inſcriptio hujus noviſſimæ partis Catecheſeos exhibet ordinem & materiam tractationis, quæ eſt *de Precatione*, cujus exponuntur: 1. Neceſſitas: Quæſt. CXVI. 2. Conditiones requiſitæ: Quæſt. CXVII. 3. Objecta, ſive res petendæ: Quæſt. CXVIII. &c.

II. Quæſtio præſens eſt de neceſſitate precum; ubi diſtinguere licet; *quibus* & *quare* neceſſaria ſit precatio.

III. Reſponſio precationem Chriſtianis eſſe neceſſariam probat duobus argumentis: *Primô* petitô à mandato Dei & rei mandatæ æquitate. *Alterô* à promiſſione Dei.

EXEGESIS.

Nexus & ordo tractationis.

SIc fuit prima pars gratitudinis, quæ doctrinâ bonorum operum continetur: ſequitur altera *de Precatione*, quam Catech. haud incommodè explicationi præceptorum Decalogi ſubjicit, innuens, ipſa Decalogi præcepta, ſanctitatem abſolutam præſcribentia, nos ad implorationem auxilii divini ducere. Quod ipſum proxima quæſtio nos docuit.

Preces quid ſint.

II. Preces ſunt deſideria animi, *Pſal.* 145: 19. *Rom.* 8: 26. ſenſu indigentiæ excitata, quibus exprimendis, fovendis & acuendis verba, certique geſtus inſerviunt. Neque tamen horum atque illorum par eſt neceſſitas.

Cùm

Cùm Deus sit Spiritus, gestu corporis per se non honoratur, nisi gestus præceptò sit adstrictus, quo casu honorare Deum est illi obedire. Atqui de gestu orantium nullum extat præceptum Domini: hinc aliô & aliô usi leguntur pii in historia Sacra. In precibus publicis sequendus cuique mos, Ecclesiæ patriæ probatus: in privatis, duce Spiritu fidei atque precum is adhibendus est gestus, qui pro ratione personæ, loci, temporis &c. oranti quam maximè conveniat, & devotionem, animique humiliationem juvet. *Gestus corporis quis adhibendus oranti.*

III. Preces aliæ quidem *naturæ* sunt, aliæ *fidei*. *Illæ* ex defectus alicujus sensu stimulante notitia Numinis naturali, ad Deum ceu omnium scientem, potentem, miserantem, funduntur, *Psal.* 145: 15. & 147: 6. *Joan.* 1: 5. & 3: 8. *Preces fidei* nituntur promissione gratiæ, *Gen.* 32: 9. verbô Christi, *Joh.* 14: 13, 14. quales fundere possunt soli fœderati, quibus jus accedendi, Deumque Patrem appellandi. De his etiam quæstio est Catechetæ. *Preces aliæ naturæ, aliæ fidei.*

IV Harum species, enumerante Apostolo 1 *Tim.* 2: 1. sunt 1. δέησις, auxilii, quô nobis opus in malis, petitio: mali ergò deprecationem includit. 2. προσευχὴ, oratio, quâ bona communia expetuntur. 3. ἔντευξις, intercessio, aliorum mala deprecans. 4. εὐχαριστία, gratiarum actio, qua Deum glorificari cupimus ex gratia nobis atque aliis concessa. His præmissis accedimus ad præcepta Catechetica. *Precum fidei species.*

V. Q. *Quæ ratio quærendi, quare Christianis necessaria sit precatio?* R. His minus necessaria videri possit, tùm quia Deus omnem ipsorum indigentiam antè perspectam habet, & curat; tùm quia ipsis, quippe Deo reconciliatis jamjam parta à Christo & parata eaquepropter confidenter exspectanda sunt, *quæ ad vitam & pietatem* pertinent, 1 *Pet.* 1: 3. *Ratio quærendi de precationis necessitate.*

VI. Q. *Christianis igitur quid opus precari?* R. Necessitatis duo sunt argumenta. I. Quia Deus precationem ab ipsis postulat, mandatô precandi passim in Scripturis inculcatô. Hujus porrò mandati summa est æquitas, cùm precatio *præcipua sit pars gratitudinis*, quam Deo debemus. Obj. *Atqui gratitudo est boni* *Necessitas precationis ostenditur* 1 *Ex mandato Dei, ejusque æquitate.*

boni jamjam impetrati agnitio & celebratio, non demùm impetrandi petitio. Precatio igitur quomodo pars est gratitudinis? R. Precatio spectari potest vel ex genere suô, ut bonum opus, vel ex specie, ut boni operis est species. Priori modô sumpta pars est præcipua ejus gratitudinis, quæ in bonorum operum studio versatur. Gratitudinis enim est, non solùm agnoscere & laudare beneficia accepta, sed etiam facere, quæ benefactori placeant. Est autem precatio opus bonum Deo gratissimum, quoniam in ea 1. plurimæ exercentur virtutes. 2. Deo redditur laus bonitatis, gratiæ, misericordiæ, potentiæ &c. quas Deus beneficiis, in nos conferendis, manifestare constituit, *Psal.* 50: 14, 15.

2. Ex promissione.

VII. II. Quia eis tantùm suam gratiam & Spiritum S. Deus largitur, qui veris gemitibus continenter hæc ab eo petunt &c *Luc.* 11: 9, 13. Obj. *Atqui precari, quemadmodum oportet, nemo potest, nisi jam acceptô Spiritu S. Rom* 8: 26. *Zach.* 12: 10. R. 1. Quando Spiritus S. precibus peti dicitur & impetrari, id potissimùm de donorum ejus incremento intelligendum, cùm sermo sit de precibus Christianorum, qui per Spiritum Christo uniti. 2. Catechesis etiam interpretanda est de gratiæ & precum concomitantia & coordinatione. Ubi Deus dat Spiritum precum, ibi quoque dona sua præparavit effundenda. Qui dixit *pande os tuum*, idem dicit, *implebo illud*, *Psal.* 81: 11. Simulatque Deus per Spiritum suum regenerare quenquam incipit, etiam gemitus atque preces in eodem excitat, qui primus quasi halitus & prima verba novi hominis.

Quæstio CXVII.

Quæ ad eam precationem requiruntur, quæ Deo placeat, quæque ab ipso exaudiatur?

UT à solo vero Deo, qui se in verbo suo patefecit, omnia, quæ à se peti jussit,

sit, verò cordis affectu petamus, ex intimo nostræ indigentiæ ac miseriæ sensu, nos in conspectu divinæ majestatis supplices abjiciamus: huic firmo fundamento innitamur, nos à Deo, quanquam indignos, propter Christum tamen certò exaudiri, quemadmodum nobis in suo verbo promisit.

ANALYSIS.

Ostensa precationis necessitate requiruntur & exponuntur ejus conditiones, quæ tres sunt:

I. De subjecto recipiente ad se; *ut à solo vero Deo* &c.

II. De subjecto occupante, vel objecto, quod sunt *omnia, quæ à se peti jubet.*

III. De adjuncto inhærente, quod est *verus cordis affectus*, spectandus 1. In humiliatione animi à causis procreantibus descripta, quæ sunt *intimus nostræ indigentiæ ac miseriæ sensus*, & *Divinæ Majestatis* consideratio. 2. In fiducia, cujus notatur tùm objectum, quod est precum *exauditio certa:* tùm fundamentum, quod est *Christi intercessio* & gratuita *promissio.*

EXEGESIS.

Quæstionis necessitas & momentum.

Quæstionis præsentis quæ necessitas? R. Permagna: quia non quælibet precatio sic est comparata, ut Deo placeat. De contemptoribus disciplinæ dicit sapientia, *tunc invocabunt me, & non respondebo*, &c. *Prov.* 1:28. Inde ergò cura Catecheræ de conditionibus, quæ hoc ipsum beneficii afferant

precibus nostris, ut Deo gratæ sint & exaudiantur.

Prima conditio in precatione, quæ Deo placeat, requisita.

II. Q. *Quæ prima?* R. *Ut à solo vero Deo, qui se in verbo suo patefecit, omnia --- petamus. Matth.* 4: 10. Alios qui invocant, Deum certe ad zelotypiam provocant, & opem exspectant ab iis, qui ferre non possunt. Q. *Estne hujus observationis nunc inter Christianos aliqua necessitas?* R. Imo, quia in hanc partem peccant Pontificii, in Sanctis demortuis aliquod salutis suæ præsidium reponentes, eosque ea de causa invocantes: cujus instituti sui nec mandatum, nec exemplum Scripturæ probatum, nec promissionem proferre possunt, atque adeò sine fide faciunt. Obj. *Sanctos glorificatos Dei familiares, intimæ admissionis amicos & intercessores nostros dicunt.* R. Unus est Mediator Dei & hominum, homo Christus Jesus, 1 *Tim.* 2: 5. Exc. *Unum esse Mediatorem redemptionis, Sanctos esse mediatores intercessionis.* R. 1. Nequicquam sic distinguunt: quando enim Sanctis deferunt officium intercedendi *per merita*, eosque proinde compellant ut sacerdotes, eosdem utique faciunt mediatores redemptionis. 2. Intercessio, quæ certam exauditionis fiduciam faciat, fundatur in redemptione. Unde consequitur, intercessorem, religiosè adeundum, esse non posse, qui idem non sit redemptor. Q. *Quare Catech. addit illud;* qui se in verbo suo patefecit? R. Ut intelligam 1. Deum non tantùm ut unum essentiâ, qualem naturâ nôsse datur, sed etiam ut Triunum, Patrem, Filium & Spiritum S. ceu verum illum Deum, esse invocandum. 2. Deum non solùm ut omnium Creatorem, Conservatorem & Benefactorem communem, verùm ut misericordem & propitium in Christo Patrem esse adeundum: atqui talis ex solo verbo, & experimento fidei juxta verbum, innotescit. Secus qui existimant & faciunt, illis dicam, quod Christus Samaritidi; *vos quod adoratis nescitis, Joh.* 4: 22.

Refutatur sanctorum demortuorum invocatio.

Secunda conditio exposita & demonstrata.

III. Q. *Quæ secunda conditio?* R. *Petenda à Deo, quæ abs se peti jussit.* Q. *Quare illa solùm, non item alia, quæ vobis necessaria videbuntur?* R. I. Quia nos ipsi ne quidem novimus, quid oremus, quemadmodum oportet, *Rom.* 8: 26. II. Quia stimulante φιλαυτίᾳ & cu-

& cupiditate carnis petere possumus, quæ dari nec Deo gloriosum, nec nobis aliisve saluti sit. Precatio non ex simplici puroque Deum glorificandi studio, sed examore sui & concupiscentia commodi proprii profecta, non exauditur, *Jac.* 4: 3. Quis autem, nisi Deus, in hanc rem rectè consulet? III. Ea demùm à Deo peti & exspectari possunt, quæ dare Deum, ut Deum & Patrem nostrum, deceat, cum laude sapientiæ & gratiæ: quæ qualia sint solus Deus novit. IV. Deo permittendum dispensationis bonorum ipsius arbitrium. V. Ut preces nostræ Deo sint gratæ, necesse est, nos penitus renunciâsse nostræ voluntati, ut adeò non velimus, nisi quæ Deus velit. Unde liquet quantoperè necessaria sit sui abnegatio non tantùm ad fidem & novam obedientiam, sed etiam ad precationem, quæ tria cursum vitæ Christianæ absolvunt. Q. *Quare dicit Catech. quæ a se peti, jussit, non autem, quæ petere* licet? R. Ut significet, ea nobis esse petenda, ad quæ petenda Deus nobis author & incitator sit, ut, si jussa petere omittamus, ingratitudinis & neglecti officii rei fiamus, quippe non magni æstimantes gratiæ bona, quæ Deus ad gloriam suam nobis largiri vult.

IV. Q. *Quæ tertia?* R. *Ut vero cordis affectu petamus* &c. quod dicitur, *efferre animam*, *Psal.* 25: 1. *Effundere cor*, *Psal.* 62: 9. *sitire* communionem *Dei*, *Psal.* 63: 2. Christus pro instituto sermonis sui docet, Deum esse adorandum 1. *In Spiritu*, pura mente, sine symbolis, umbris, figuris, tota mente in Deum defixa, ut Spiritui, sive menti adoranti, nihil nisi Spiritus adorandus obversetur. 2. *In veritate*, ut credas in Christo implementum habere omnes legis umbras atque typos. Unde necessariò sequitur, Deum verò, non simulatò, cordis affectu adorandum. Ubi verus affectus, ibi felix effectus. *Tertia petitio, conditio, verus cordis affectus.*

V. Q. *Cordis ille affectus qua in re maximè spectandus est?* R. I. In humiliatione animi. Facit autem ut animum humilies, tùm intimus indigentiæ, miseriæ & ἀθυμίας nostræ sensus: tùm devota Majestatis divinæ contemplatio. Ea porrò animi demissio summoperè necessaria est orantibus, ne petamus cum superbia, *Verus cordis affectus in demissione animi & fiducia exauditionis.*

nis ſpectandus.

perbia, quaſi Deus nobis tanquam benè de ſe meritis eſſet debitor, quæ ſtulta Tyriorum & Sidoniorum opinio, *Joel* 3: 4. Imitandum exemplum publicani, *Luc.* 18: 13. II. In fiducia, quâ perſuaſum habeamus, nos à Deo quanquam indignos, certò tamen exauditum iri, 1 *Joh* 5: 14. Q. *Iſta fiducia de votorum noſtrorum ſucceſſu quò nititur fundamentò?* R. I. Chriſti meritô, 1 *Joh.* 2: 1, 2. II. Promiſſione, *Joh.* 14: 13. & 16: 23. Eapropter neceſſaria nobis in nomine Chriſti petenda, h. e. credentibus, Chriſtum nobis eſſe certum authorem petendi ſalutaria, & propter Chriſtum nos exauditum iri, & optata laturos. Sine ſacerdote Chriſto, nemini peccatori datur acceſſus ad Deum, *Jer.* 30: 21. *Heb.* 10: 19, 20, 21, 22.

Quæſtio CXVIII.

Quæ ſunt ea, quæ à ſe peti jubet?

OMnia tùm animæ tùm corpori neceſſaria, quæ Dominus noſter Jeſus Chriſtus eâ precatione, quam nos ipſe docuit, complexus eſt.

ANALYSIS.

Conſideratis precum neceſſitate & conditionibus tranſit Catech. ad tertium tractationis membrum, quod eſt de objecto, ſive petendis. Ubi

I. Indicat petenda

In genere, *omnia neceſſaria*, quæ declarat diſtributione è ſubjectis recipientibus, *tùm animæ*, *tùm corpori.*

In ſpecie, quando ea comprehenſa dicit in

in Oratione Dominica; *quæ Dominus noster* &c.

II. Addit auctorationem & jus petendi, verbis; *quam nos ipse docuit.*

Quæstio CXIX.

Quæ est illa precatio?

PAter noster, qui es in cœlis: Sanctificetur nomen tuum: Veniat regnum tuum: Fiat voluntas tua, quemadmodum in cœlo, sic etiam in terra: Panem nostrum quotidianum da nobis hodie: Et remitte nobis debita nostra, sicut & nos remittimus debitoribus nostris: Et ne nos inducas in tentationem, sed libera nos à malo. Quia tuum est regnum, & potentia, & gloria in secula, Amen.

ANALYSIS.

Occasione responsionis præced. requiritur & recitatur Oratio Dominica, cujus partes sunt

1. Exordium; *Pater noster, qui* &c.
2. Petitiones sex; *Sanctificetur nomen tuum*, &c.
3. Clausula; *Quia tuum est regnum*, &c.

EXE-

EXEGESIS.

Necessaria nobis petenda sunt animæ & corporis bona. Quæ describuntur.

Cùm paulò antè dixeris, *non petenda esse, nisi quæ Deus abs se peti jubet; quæ igitur sunt illa?* R. *Omnia tùm animæ, tùm corpori necessaria.* Alia enim animæ, alia corporis bona sunt. Q. *Quæ vocas animæ bona?* R. Quæ ad salutem ejus æternam, sive, quæ ad vitam & pietatem faciunt, 2 *Pet.* 1: 3. Q. *Quæ corporis?* R. Quæcunque ad sustentationem vitæ præsentis, ejusque commoda spectant. Q. *Qua ratione & hæc & illa petenda?* R. Bona animæ, ut quæ nobis simpliciter necessaria, & promissa, imò jam-jam in Christo donata, *Eph.* 1: 3. 2 *Pet.* 1: 3, 4. etiam simpliciter cum fiducia certa impetrationis petenda sunt. Bona corporis petenda cum conditione, si Deo placeat ista nobis impertiri, atque omninò tam gloriæ ipsius, quàm nostræ saluti expediat; secus certè nec petere consultum, nec consequi beneficium foret, *Jac.* 4: 15, 1 *Joh.* 5: 14, &c.

Et in Oratione Dominica velut in tabula proponuntur.

II. Q. *Cùm verò haud dubiè non mei sit arbitrii bona petenda definire, unde sciam, quæ sint illa tùm animæ tùm corpori necessaria?* R. Ea omnia veluti in tabula nobis proposuit Christus in Orationis formula, quam ipse nos docuit: unde vulgo Oratio Dominica dicta. Q. *Habetne id singulare aliquod momentum, quòd Christus ipse eam orationis formulam docuit?* R. Omninò: addit enim nobis atque fovet fiduciam. 1. Cùm Christus voluntatis paternæ conscius sit, *Joh.* 1: 18. utique nihil docuit, quod non foret illi voluntati per omnia consentaneum: & cùm etiam amârit suos, *Joh.* 13: 1. haud dubiè nihil omisit, quod eis esset necessarium. 2. Quidni verò fiduciam addat, Deum rogare posse de suo, i. e. verbis, quæ Filius Dei dictavit, quibus etiam Spiritus Filii consentientia in nobis excitat suspiria. Unde Cyprian. in Explic. Orat. Dom. *Amica*, inquit, *& familiaris oratio est, Deum de suo rogare, ad aures ejus ascendere Christi orationem. Agnoscat Pater Filii sui verba, cum preces facimus* &c. Promamus igitur Advocati nostri verba, certò exaudiendi, ac si ipse ea faceret.

III. Q.

III. Q. *Oratio Dom. unde repetitur in Catech.?* R. Ex *Matth.* 6: 9, *&c.* Q. *Quomodo eam partiris?* R. In tres partes: 1. Exordium. 2. Petitiones sex, quarum tres priores in Deum respiciunt, quippe quæ sunt de Gloria Dei, regno ejus, & voluntaria civium regni subjectione: tres posteriores deinde nos nostramque vitam tùm corporalem, tùm Spiritualem concernunt. De quibus ordine agendum in seqq. *Orationis Dom. partitio.*

Addenda.

I. Objicienti, Christum hanc precationis formulam præscripsisse discipulis, eorumque exspectationi & rerum statui accommodâsse, neque adeò rectè Catech. *Quam nos ipse docuit.* R. Non negandum, oratione Dom. contineri res suô quodam modô spem atque exspectationem discipulorum particulariter spectantes, quas proinde discipuli tunc temporis, ut fierent, votis expetere debuerunt: attamen illæ ipsæ res, cùm sint N. Testamenti qnid perpetuum, etiam ad nos pertinent. Unde quæ juxta votum & spem discipulorum jam facta sunt, ea quidem grata mente recogitamus, Deum, ut Patrem nostrum communem, glorificantes: in anteriora verò, quæ facienda restant, cùm Ecclesiæ universæ, tùm singulis quotidiè necessaria, ad consummationem usque seculorum nos extendimus, eandem precationem pari devotionis & fiduciæ affectu in nomine Christi coram Deo, Patre nostro, recitantes. Ex. gr. Discipuli orantes, *sanctificetur nomen tuum:* petiverunt, *Jehovam exaltari in judicio, & Deum Sanctum illum sanctificari in justitia, Esa.* 5: 16. quod certè factum in morte Christi nos grata mente recogitamus, petentes tamen, ut Deus Sanctus animô, verbis & factis porrò celebretur &c. *Respondetur objicienti orationem Dom. præscriptam fuisse discipulis & accommodatam tempori.*

II. Q. *Num Christus hanc precationem voluerit esse formulam perpetui usus; an precum concipiendarum exemplar tantùm & ideam?* R. Apostolis, quamdiu cum Christo versabantur, necdum donati Spiritu, quem erant accepturi die pentecostes, hanc formulam fuisse usurpandam, nullus dubito, Christo edicente, ἕως ἂν προ- *Expeditur quæstio, an oratio Dom sit formula perpetui*

usus, an tantùm argumentum & idea.

προσεύχεσθε, *Matth.* 6: 9. Item ὅταν προσεύχεσθε, λέγετε &c. *Luc.* 11: 1, 2. Qui sic jubet orare, non tantùm docet, unde materia precum promenda, sed etiam verba præit. Apud Mattheum adjecta doxologia & particula *Amen* ostendit, Christum non rogatum hanc formulam discipulis tradidisse ad usum publicum, conf. 1 *Cor.* 14: 16 Clausulam enim orationis Dom. ex Græcorum Liturgia adscriptam esse, nullô satis idoneô argumentô nonnulli opinantur. Eadem verò omissa apud Lucam usum formulæ arguit privatum. Unde expediri potest difficultas ex diversitate occasionum tradendæ hujus formulæ apud Matth. & Luc. enata. Post acceptum Spiritum S. qui *gratiæ & precum*, *Zach.* 12: 10. liberioris fuisse usûs apparet ex Apostolorum precibus, quæ cum oratione Dom. re, non verbis, consentiunt, ut *Act.* 1: 24, 25 & alibi. Cæteris autem Christianis inde ab effusione Spiritûs S. usque oratio Dom. & *formulæ* & *exemplaris* usum præstat: neutrum sine altero tenendum. Si enim *pro exemplari* solùm haberetur, id orationis istius argueret contemptum: rursus, si tantùm *pro formula*, parùm id abesset à superstitione, quasi Spiritum precum ejusque ἐνέργειαν omnem paucis hisce verborum periodis alligare vellemus.

Orationis Dominicæ præstantia.

III. Cæterùm præstantiam Orationis Dom. vix ulla oratio satis commendet. Divinæ prorsus sapientiæ specimen est, sive spectes nervosam brevitatem, quâ sic omnia complectitur petenda, ut nec redundet, nec desit quicquam: *quantum substringitur verbis*, *tantùm diffunditur sensibus*, inquit Tertull. Sive spectes verborum emphasin & significandi vim: sive partium ejus usum & ordinem: sive invocationis speciem, deprecationem puta mali, petitionem boni, intercessionem pro aliis, gratiar. actionem, quæ universæ in hoc compendio concurrunt: sive denique spectes usum hujus orationis, accommodatum omni occasioni & necessitati, non singulorum duntaxat, sed etiam universorum in Ecclesia, tempori item non solùm Apostolorum, sed omnibus N. T. seculis. Quæ omnia divinitatem formulæ mirum in modum commen-

mendant. Unde *breviarium totius Evangelii*, Tertulliano; *Cœlestis Doctrinæ compendium*, Cypriano dicta.

Ejus divinitati non obest, quòd particulæ quæd, & phrases ex Hebræor. precibus in eam congestæ videantur.

IV. Neque formulæ divinitas eo nomine elevanda, quòd Christus eam phraseologiâ Hebræorum usu recepta conceperit, imò particulas quasdam ex Judæorum precibus in eam congessisse videatur, uti ex Scriptis Talmud & Majem. observatum doctis: etenim 1. Hoc precationis compendium non ex una vel altera ejus particula, in Judæorum precibus obvia[3], sed ex materia & forma, totum constituentibus, spectandum. 2. Phrases illæ Hebræis receptæ non sunt inventionis humanæ, sed partim ex libris Vet. Test. repetitæ, partim ex priscorum Catech. relictæ. 3. Quòdsi vel maximè phrases atque particulæ quædam ex hominum usu transsumptæ forent, eas Christus hôc ipsô sanctificavit, sensuque pleniori & sublimiori intelligendas voluit, quàm vulgus Hebræorum iis inesse existimabat. Quemadmodum si quando Novi Test. Scriptores utuntur versione LXX. etiam ubi à fonte discrepat, tametsi id non faciant, nisi versio ista cum discrepantia verborum retineat verum sensum, vel partem sensus, qui ad Scriptoris scopum sufficiat: eo ipso usu verba τῶν LXX. divinam authoritatem consequuntur.

Quæstio CXX.

Cur præcipit Christus, ut ita Deum compellemus, *Pater noster*?

UT statim in ipso precationis exordio convenientem Dei filiis reverentiam & fiduciam erga Deum in nobis excitet, quæ nostræ precationis fundamentum esse debet: nimirum Deum propter Christum nobis Patrem factum esse, & quæ verâ fide ab

de ab eo petimus nobis multò minùs negare, quàm parentes nostri nobis bona terrena denegant.

ANALYSIS.

Accedit Catech. ad expositionem Orationis Dom. incipiens à præfatione, cujus duo membra. 1. Compellatio ejus qui invocatur, *Pater noster.* 2. Descriptio ejusdem, *qui es in cœlis.* Prius hâc, posterius seq. Quæstione expendit.

Rationem compellationis, de qua quæstio, arcessit ab usu ejus. Ubi.

I. Usum proponit, qui est *excitatio* duorum animi affectuum, *reverentiæ & fiduciæ erga Deum.* Utrumque porrò affectum describit tùm à qualitate, quando dicit; *convenientem Dei filiis*: tùm à necessitate, quæ tanta, ut sint *precationis nostræ fundamentum.*

II, Hactenus dicta confirmat ratione desumpta à modô, quô Deus nobis Pater est factus; *nim. Deum propter Christum*, &c.

III. Inde deducit certitudinem fiduciæ nostræ, quam comparatione minoris amplificat; *Et quæ vera fide ab eo petimus, nobis multò minùs negare* &c.

Quæstio CXXI.

Cur additur *qui es in cœlis*?

NE *de cœlesti majestate Dei humile quippiam aut terrenum cogitemus, simul*

simul etiam, ut ab ejus omnipotentia quæcunque animo & corpori sunt necessaria, exspectemus.

ANALYSIS.

Exponit Catech. alteram exordii particulam, quæ est descriptio ejus, qui nobis invocandus, à subjecto loco.

Rationem addendæ descriptionis requirit & arcessit a duplici fine.

Prior est agnitio infinitæ Dei excellentiæ hisce verbis testanda. Hunc autem finem exprimit per negationem contrarii; *ne de cœlesti Majestate Dei humile quippiam* &c.

Posterior finis spectat officium fiduciæ; *ut ab ejus omnipotentia, quæcunque* &c.

EXEGESIS.

IN exordio orationis Dominicæ considerandum 1. Quid nomen *Patris* significet. 2. Quis & quo fine nomine isto nobis sit compellandus. 3. Cur Pater *noster*. 4. Quis usus descriptionis, *qui es in cœlis.*

Summa tractandorum in expositione exordii orationis Dom. Deus dicitur Pater fidelium peculiari ratione.

II. Q. *Nomen* Patris *quid significat?* R. Omitto nunc evolvere multiplicem significandi usum, quem *Patris* nomen, de Deo usurpatum, habet in Scriptura S. satis habens respondisse, Christum hoc nomen intelligi velle, eò sensu, quò Deus haberi vult Pater fidelium cujuscunque gentis. Hinc *Rom.* 8: 15. *In quo* (Spiritu adoptionis) clamamus ἀββᾶ, ὁ πατήρ. Ubi Syra & Græca vox, ut Judæos indigitet (quibus tunc Syriaca lingua erat vernacula) & Gentes *Rom.* 1: 16. & 2: 9, 10. sicque significet Deum, Patrem nominari per Spiritum S. in omnibus linguis, etiam lin-

guâ balbutientis pueritiæ, quæ voce *Abba* patribus blandiri solet: unde infirmitati nostræ solamen.

Quid nomen Patris fidelium *inferat.*

III. Q. *Quando igitur Deus dicitur pater fidelium, peculiaris iste nominis significatus quid infert?* R. 1. Id quod nobis credentibus commune est cum Sanctis omnium seculorum: videl. gratiam, quâ electos ex genere humano, in exitium prolapso, per verbum Evangelii & Spiritum suum ad fidem vocat, regenerat, in Christo justificat, adoptat & tandem velut filios & hæredes suos glorificat. 2. Id, in quo fidelium N. T. conditio melior est illâ fidelium sub lege: qui licet filii essent atque hæredes, tamen *sub tutoribus & curatoribus* constituti servorum instar habebantur, *Gal.* 4: 1, 2. Spiritu servitutis *Rom.* 8: 25. in ipsis operante, quod œconomiæ legali conveniebat, ut non illibenter impositum legis jugum ferrent. Fuit certè quidem Israël filius, *Exod.* 4: 22. fuit Israëlitarum υἱοθεσία, *Rom* 9: 4. neque tamen voce patris ad Deum vulgò legimus usos. Id futurum promittitur, *Esai.* 63: 26. & 64: 8. *Jer.* 3: 19.

Differentia adoptionis fidelium V. & N. T.

Atque hæc fidelium N. T. adoptio tot tantisque privilegiis præfulget supra adoptionem fidelium V. T. ut hujus omne decus præ gloria illius quasi evanescat, quemadmodum sole exorto lux stellarum perinde obfuscatur, ac si penitùs periret. Ut hic idem dicere liceat, quod Apostolus de ministerio Evangelii comparatè ad ministerium legis, 2 *Cor.* 3: 10. Unde & de υἱοθεσία accipienda loquitur, quasi hactenus nulla fuisset, *Gal.* 4: 5.

Deus fidelium pater ex adoptione.

IV. Q. *Cùm igitur Deus sit Pater credentium, unde hi filii?* R. Ex beneficio adoptionis, de qua dictum ad Quæst. XXXIII. Unde Catech. *nim. Deum propter Christum nobis Patrem factum esse.* Non allegat creationem, ex qua Deus omnium communis Pater est &c. Q. *Unde verò probas, patrem hic intelligendum ex adoptionis causa?* R. Quos Christus jubet Deum compellare Patrem, dato jure eundem ut Patrem adeundi, & necessaria ab ipso petendi & exspectandi, eosdem etiam jubet orare veniam commissorum, *remitte nobis debita nostra:* peccatores igitur jubet Deum compellare patrem. Atqui peccatoribus nullum jus, nulla libertas

Deum

Deum adeundi ut Patrem, nisi ex gratuita adoptione; quis eò temeritatis prorumperet, ut sibi usurparet honorem filii Dei, nisi in Christo adoptatus esset?

V. Quis nomine *Patris* nobis compellandus, an Deus ἐσιωδῶς consideratus, an prima SS. Trinitatis persona, quæri solet. Quidam prius, alii posterius probant: in eo tamen utrimque consentiunt, adorationem tribus personis convenire æqualiter propter unam eandemque Deitatem. Deinde, commune iis esse, quòd nos regenerarint, & adoptarint in filios, eoque pater noster communi ratione nominari queant. Sed in eo versatur quæstio, utra sententia sit convenientior huic loco. Posteriorem, inter alios Theologos probat Gomarus aliquot rationibus: eandemque dicit esse sententiam Catecheseos Palatinæ, argnmento verborum quæstionis 123. *rege nos verbô & Spiritu tuo.* Item quæstionis 127. *Spiritûs tui robore firmes.* Nobis salvo doctiorum judicio, intelligenda videtur prima SS. Trinit. Persona, οἰκονομικῶς considerata, ut jus, authoritatem & gloriam còmmunem totius SS. Trin. in dispensatione operis gratiæ sustinens: qua ratione Filius & Spiritus S. non excluduntur. Hunc sensum argumenta mox laudati authoris, si non probant, certe non impugnant.

Nomen patris an ἐσιωδῶς, an ὑποστατικῶς sumatur hôc locô.

VI. Q. *Quamobrem verò Christus Deum nobis compellandum dixit* Patrem, *non* Deum optimum Max. *non* Dominum Mundi, *non* judicem universi &c? R. Id eo fecit fine, ut beneficii divini non immemores etiam admoneret officii, adeoque, ut docet Catech. statim in ipso precationis exordio convenientem Dei filiis reverentiam & fiduciam erga Deum excitaret. Enimverò si Deum agnoscimus in Christo Patrem, æquum est, ut qui filiorum esse solet, affectum induamus, atque adeò 1. Patrem revereamur *Lev.* 19: 3. *Mal.* 1: 6. 2. Ad eum fidenter confugiamus, persuasi, eum propter Christum nobis Patrem factum, quæ ab eo petimus nobis multò minùs negaturum, quàm parentes nostri nobis bona terrena denegant. *Esai.* 49: 15. *Luc.* 11: 13. Quid non det filiis petentibus cùm

Qnô fine Deum jubeamur compellare Patrem?

Quid faciendum orare paranti, quem peccatorum conscientia timidum reddit.

hoc ipsum ante dederit, ut filii essent ? Augustin. Obj. *Quæ fiducia illi, quem peccatorum conscientia haud immeritò timidum reddit ?* R. 1. Accedis non operum tuorum, sed meriti Christi fiducia fretus. Id tibi identidem agendum, ut fidei δοκιμὴν capias, adoptionis signaculum in te requiras, patremque cœlestem imitandi studiò te filium probes. 2. Si inter homines nullo meliore patrono causam suam apud patrem filius agere potest, & nullo meliore interprete perditam ejus gratiam sibi conciliare, quàm si ipse supplex ac demissus, culpam agnoscens, patris misericordiam imploret, neque enim tum se paterna viscera dissimulare possunt, quin ad tales preces commoveantur : quid ille pater misericordiarum, & Deus omnis consolationis ? num continere se poterit erga deprecantem, qui fretus patrocinio unigeniti ipsius Filii misericordiam Patris supplex implorat ? Unde quanta sit necessitas filialis istius reverentiæ atque fiduciæ, satis apparet, ut non non abs re Catech. eam precationis nostræ fundamentum dicat.

Cur Deus cuique compellandus Pater noster.

VII. Q. *Cur non ita instituimur, ut suum quisque Patrem peculiariter nominet ; sed potius ut* nostrum *in commune omnes vocemus ?* R. I. Ut communem omnium fidelium patrem agnoscamus, cui abundat, unde citra προσωποληψίαν omnibus suis filiis benedicat. Isaac, quamlibet pius in filios pater, non habebat, unde duobus æquali largitate beneficeret, *Gen.* 27. II. Eò admonemur, quantum fraternæ dilectionis affectum inter nos intercedere oporteat, qui talis patris communes sumus filii. Ergò alii aliorum, singuli universorum, desideria votis complectamur. Deinde agmen faciamus, accessuri ad communem patrem, non Spiritu, una anima multi filii unius familiæ consentientes ad efflagitandum à Deo, quæ dare promisit. *Matth.* 18: 19. *Phil.* 2. 4.

Usus descriptionis, qui es in cœlis.

VIII. Q. *Quis usus descriptionis*, qui es in cœlis ? R. Eâ Christus nos docere voluit, quod tum ad fidem, tum ad praxin instruendam pertinet. S. *Ad fidem.* I. Mox futurum significavit, ut Deus, juxta Prophetiam *Psal.* 8: 2. Majestatem suam ponat supra cœlos,

1. *Ad in-*

nullum

nullum ampliùs thronum habiturus in terris, *Esa.* 66: 1. atque adeò templum typicum deserturus & sedem inter Cherubinos abdicaturus. Id quod factum, quando Christus absoluto redemptionis opere ascendit in cœlum, apertâ viâ & dato libero accessu ad intima domûs suæ, omnibus credentibus, quippe jamjam in terra conscientiæ consummationem consecutis. Unde *via recens & viva*, quam vivi terimus, nobis initiata à Christo, *Heb.* 10: 20. II. Necesse igitur non esse nobis, accedere vel respicere ad locum quempiam, ubi domus Dei esse dicatur magis, quàm terrarum ubivis: unde Christus Samaritidi, *Mulier*, inquit, *crede mihi, veniet tempus, quò neque in monte hoc, neque Hierosolymis adorabitis Patrem &c. Joh.* 4: 21. Quod principium secutus Apostolus, *viros* jussit *orare in omni loco. levantes sanctas manus* &c. 1 *Tim.* 2: 8. Fideles V. Test. non poterant obliviscì Hierosolymorum, *Psal.* 137: 5, 6. templum vel adeuntes, vel si peregrè abessent, respicientes, 1 *Reg.* 8: 48. *Dan.* 6: 11. Similiter facientes hodiè Papistæ, reapse abnegant quod verbis ex oratione Dom. profitentur, *qui es in cœlis.* *struendam fidem.*

IX. ב. *Ad praxin*, quæ multiplex, spectans precationis tùm modum, tùm materiam. Q. *Qui modum?* R. 1. Ne oraturi de cœlesti Majestate Dei humile quippiam aut terrenum cogitemus: verùm cogitatione nostra eum supra omnem aut corruptionis aut mutationis aleam extollamus. 2. Neve eum nostris modulis metiamur, neve ejus voluntatem ad nostros affectus exigamus: neve verbum & opera ejus ex nostro ingenio æstimemus: quantô enim cœli distant à terra, tantô viæ Dei à nostris &c. *Esa.* 55: 9. 3. Ne Deum, Patrem nostrum, fingamus ex ingenio parentum carnis: sed quicquid favoris & amoris experimur in illis, idem laude infinities eminentiore attribuamus Patri, qui est in cœlis. Comparatur quidem miseratio divina cum miseratione patris hominis erga liberos, *Psal.* 103: 13. quia hâc in rebus creatis major non datur, non ut æqualis intelligatur: etenim, *quemadmodum alti sunt cœli supra terram, supereevaluit gratia ejus super timentes ipsum*, ibid. v. 11. ubi 2. *Adinstruendam praxin.*

idem verbum גבר *superevaluit*, quod de aquis diluvii supra montes altissimos exundantibus, occurrit, *Gen.* 7: 18, 19, 20. 4. Ut profundissima animi demissione nos prosternamus coram Patre, qui in cœlis est: *cujus thronus cœlum, & terra scabellum pedum, Esa.* 66: 1. Hinc *domos luteas habitantibus, Job.* 4: 19 utilissimum præceptum Salomonis, *Eccles.* 5: 1. 5. Ut corda à terris & terrenis abducta in cœlum transferamus. *Cùm Deum dicit esse in cœlis, à terris abducit orientem* &c. *Chrys. Hom.* 20. *in Matth.* 6. 6. Ut ab ejus omnipotentia, quæcunque animo & corpori sunt necessaria, exspectemus. Omnipotentiæ argumenta sunt sedis sublimitas, & quotidiana potentiæ, gratiæ & judicii è cœlo experimenta. *Deus noster in cœlis est, quicquid vult facit. Psal.* 115: 2. Inde tamen audit orantem, quia cœlitibus præsens per gloriam, fidelibus per gratiam, omnibus per potentiam &c. nec *tàm vocis, quam cordis est auditor, apud quem non valet magnus clamor, sed magnus amor.* In cœlis habitans cum amante filio quantumvis submissa voce orante condescendit: unde toties illud Davidis in Psalmis; *Inclina aures tuas* &c. Q. *Praxis ista quomodo spectat precationis materiam?* R. Idipsum, quòd jubemur invocare Deum, qui in cœlis est, docet petenda nobis esse 1. quæ faciant ad gloriam ejus, qui in cœlis est. 2. Quæ nos ad cœlum tendentes juvent & promoveant &c. *Col.* 3: 1. Orantibus, *Pater noster, qui es in cœlis*, desiderare convenit cœlos, & quæ habentur in cœlis, inquit *Chrys.* loc. s. cit.

Quæstio CXXII.

Quæ est prima petitio?

SAnctificetur nomen tuum: *hoc est: Da principiò, ut te rectè agnoscamus, & lucentem in omnibus operibus tuis omnipoten-*

nipotentiam, ſapientiam, bonitatem, juſtitiam, miſericordiam & veritatem tuam veneremur, prædicemus & celebremus. Deinde, ut univerſam vitam noſtram eò ſemper dirigamus, ne ſanctiſſimum nomen tuum propter nos contumeliâ afficiatur, ſed honore potiùs & laudibus illuſtretur.

ANALYSIS.

Vidimus Orationis Dom. Exordium: Petitionum prima hac quæſtione

I. Recitatur; *Sanctificetur nomen tuum.*

II. Explicatur, docendo

1. Per *nomen* Dei intelligi tùm *Deum* ipſum; tùm virtutes ejus, *Omnipotentiam, ſapientiam, bonitatem* &c.

2. Sanctificari nomen Dei 1. Agnitione Dei; *ut te rectè agnoſcamus.* 2. Celebratione virtutum ejus; *& lucentem in omnibus operibus tuis omnipotentiam —— veneremur, prædicemus & celebremus.* 3. Studiô vitæ, quæ profeſſioni ſanctitatis divini nominis conveniat; *Deinde ut univerſam vitam noſtram* &c. Qui modus illuſtratur à contrario; *ne ſanctiſſimum nomen tuum propter nos contumeliâ afficiatur, ſed* &c.

EXEGESIS.

Hic ſeqq. nobis expendenda 1. Quæ ratio ſit ordinis. 2. Quid *Nomen Dei.* 3. Quid *ſanctificare* nomen Dei. 4. Quid nomen *tuum.* 5. Quam ob *Conſideranda ad intelligentiam*

primæ petitionis. ob causam indefinitè dicamus, *Sanctificetur*. De singulis, quantò fieri poterit brevitatis studiò.

Ratio ordinis. II. Q. *Quare Christus petitionem hanc omnium voluit esse primam?* R. Quia in sanctificatione nominis divini est finis, in quem, ut omnes actiones, sic & vota quæque nostra & desideria intendi & dirigi oportet, 1 *Cor.* 10: 31. *Hoc primum fieri petimus*, inquit Bernh. *quod maximum, ut nobis gloriæ illius innotescas sanctitas illibata.*

Quid nomen Dei. III. Q. *Petens sanctificari nomen Dei, quid intelligis per nomen Dei?* R. Docente Catechete intelligo 1. Deum ipsum. 2. Augusta illa vocabula, quæ proprio usu Deum denotant in Scriptura S. qualia sunt, *Jehova*, *Adonai*, *Elohim*, *Jah*, &c. 3. Attributa, quibus se patefecit in omnibus operibus suis, opere creationis, gubernationis, maximè verè redemptionis, quibus etiam magnus haberi, à peccatore agnosci & à falsis Diis distingui vult, qualia sunt omnipotentia, sapientia, bonitas, justitia, misericordia & veritas. Q. *Qui verò probabis, nomine Dei ista omnia comprehendi?* R. Cùm nomina rebus notificandis & distinguendis sint inventa, in Scriptura etiam *nomen* Dei dicitur id omne, per quod Deus cognoscitur, vel quò auditò Deus aut divinum quid intelligitur. Sic audiens appellari Jehovam, Adonai &c. audiens prædicari omnipotentem, omniscium, æternum, justissimum universi judicem, gratiosum, longanimem &c. Creatorem, omnium Gubernatorem, generis humani Redemptorem &c. Deum intelligo. Neque id mirum videri debet, quia nomina illa propria, *Jehova*, *Adonâi* &c. Deum nobis ab attributis describunt, neque à nominibus attributorum Dei aliter differunt, quàm quòd singulari ratione connotent attributa illa habentem. Quæ ratio est, cur omnia Dei nomina propria sint derivativa (non exceptò nomine יה) quia primitivorum nulla est notatio, neque adeò ad rerum naturam & proprietates notificandum idonea sunt. Q. *Audiam generalis istius significatus exempla?* R. Nomen Dei poni pro ipso Deo, docent loca, *Psal.* 115: 1. 2 *Chron.* 2: 4. pro attributis vel virtutibus Dei, *Exod.* 34: 5, 6, 7. *Psal.* 48:

Nomen Dei hoc locò esse Deum ipsum & omnia prædicata divina, probatur.

11. Hoc

11. Hoc nomen est Dei, quod Christus discipulis suis notificavit, *Joh.* 17: 26. Hinc ut nomen Dei, ita non minùs frequenter Deus ipse nobis sanctificandus. dicitur, *Esa.* 8: 13. 1 *Pet.* 3: 15. Imò ne differre putes, *sanctificare nomen Dei* exponitur per *sanctificare Sanctum Jacobi*, *Esa.* 29: 23.

IV. Q. *Quid sanctificare nomen Dei?* R. De sanctitate Dei dictum ad Quæst. LIV. §. 12. quod in memoriam revocatum haud dubiè præsentis Quæst. intelligentiam juvabit. Cæterùm sanctificari dicuntur vel quæ necdum sancta, vel quæ jamjam sancta sunt. Illa duplici modo sanctificantur, vel data *sanctitate relativa*, quando ab usu communi separata Deo sacrantur; sic sanctificandum fuit omne primogenitum, *Exod.* 13: 2, 12. vel data *sanctitate absoluta*, nim. indito veritatis amore, quô ipsô peculiari ratione Deo ad ipsius glorificationem consecrantur & exaptantur, ac porrò à vilitate, contemptu & violatione vindicantur: quomodo certè solus Deus sanctificare potest creaturas ratione præditas: 1 *Thess* 5: 23. Quæ verò jam sancta sunt sanctificari aliter non possunt, quàm sanctitatis agnitione, declaratione, celebratione. Hôc demùm, non aliô modò Deus sanctificatur à creatura, *Esa.* 29: 23. Quid enim det creatura summè perfecto, beatissimo &c. *Job* 23: 2, 3.? Verissimè August. *ut sanctificetur nomen Dei, non Deo, sed hominibus prodest Epist* 121. *Nomen* igitur *Dei sanctificare* est 1. Deum Sanctum, omnipotentem &c. agnoscere, celebrare. 2. Non sentire de Deo, nec dicere, nec facere quicquam, quod divina Majestate sit indignum, quôve divini quicquam violetur & profanetur. Contrà Deum, & quicquid ad Deum ejusque gloriam spectat, non modò purum & impollutum, sed etiam religiosè venerandum & inviolabile habere, quippe quod adversus omnem contemptum infinita authoritate munitum est. Unde *Esa.* 8: 13. præcepto, *Jehovam sanctificate*, adjicitur, *& ille sit timor vester & terrens vos.* 3. Inprimis Deum sanctum agnoscere usque eò, ut odium peccati dissimulare, peccatum inultum dimittere, cum peccatore, necdum sanctificato nomine Dei per veri nominis sacrificium,

Quid sit sanctificare nomen Dei.

communionem habere &c. minimè possit: inde adeò factum, ut Deus gloriam sanctitatis suæ ad conscientiam humano genere manifestaturus Filium suum unigenitum tradiderit morti maledictæ. 4. Omnem denique vitam eò dirigere semper, ne sanctissimum nomen Dei propter nos contumeliâ afficiatur, *Ezech.* 36: 20. *Rom.* 2: 24. sed honore potiùs & laudibus illustretur: eaquepropter etiam Dei sanctitatem imitari, 1 *Pet.* 1: 16. cum proposito, Deum, ubi nos vocaverit, sanctificandi passionibus & morte, juxta 1 *Pet.* 4: 16. adeò ut mori, quàm in Deum peccare malimus. Ex studio sanctificandi nomen Dei profectum, quòd Moses è libro Dei deleri, quàm nominis divini contemptum ferre maluerit.

Quid nomen tuum.

V. Q. *Quare nos dicere jubet nomen* tuum? R. Pronomen *Tuum* minimè caret usu & emphasi. 1. Relatum enim, ut oportet, ad Patrem, qui in cœlis est, argumentum suggerit sanctificationem suadens; Est Pater, ergò optimus: est in cœlis, ergò summus: quîdnî ergò sanctificetur nomen ejus. 2. Gloriam, quæ in sanctificatione nominis divini, Deo soli solidam deberi significat: q. d. tuum solius, tuum, non aliud ullum nomen sanctificetur, *Psal.* 115: 1. *Esa.* 42: 8.

Cur indefinitè dicamus sanctificetur.

VI. Q. *Quam ob causam dicere nos jubet indefinitè* sanctificetur, *non item, da gratiam, ut sanctificem?* R. Ut significet, desiderium nostrum atque votum ferri debere ultra id, quod ipsimet per vires nobis datas præstare valeamus. Atque I. hîc Apostoli singulare quid fieri petebant, quod nullatenus penes ipsos erat, videlicet *Sanctum illum exaltari per judicium*, quò condemnetur peccatum nos accusans; *& sanctificari per veri nominis justitiam*, h. e. per obedientiam, quæ sit εἰς δικαίωμα ἐκ πολλῶν παραπτωμάτων, *Esa.* 5: 16 *Rom.* 5: 16 & 8: 3. II. Nostrum votum est, ut Evangelium de nostri redemptione, quâ sanctificatum est nomen Dei, prædicetur ubique terrarum, & omne os obturetur: ut nomen Dei non jam solùm à nobis & per nos, sed ab omnibus aliis hominibus, imò universis creaturis sanctificetur: quò pertinet *Psal.* 113: 1, 2, 3. & *Psal.* 148. totus.

Quæst.

Quæstio CXXIII.

Quæ est secunda petitio?

ADveniat regnum tuum: *hoc est, Regas nos ita verbô & Spiritu tuô, ut nos tibi magis magisque subjiciamus. Conserva & auge Ecclesiam tuam; destrue opera Diaboli, omnemque potentiam, se adversus majestatem tuam efferentem: irrita fac omnia consilia, quæ contra verbum tuum capiuntur, quoad plenè tandem ac perfectè regnes, cùm eris omnia in omnibus.*

ANALYSIS.

Recitata petitione, explicat Catechesis

I. Quale regnum Christus intelligi velit, nim. regnum Dei in Ecclesia, quod regnum gratiæ & gloriæ.

II. Quid nobis in votis esse velit, quando istius regni adventum petere jubet: id docet ex actibus, in quibus regni administratio versatur.

℟. Quod ad regnum gratiæ attinet, actus ille spectant

Tùm regni subditos: quales sunt 1. Gubernatio, expressa & à modo atque effectu descripta; *regas nos ita verbô & Spiritu tuo, ut nos tibi* &c. 2. Conserva-

servatio & amplificatio Ecclesiæ; *Conserva & auge* &c.

Tùm regni hostes: quò pertinent

1. *Destructio operum Diaboli.*
2. *Eversio omnis potentiæ humanæ adversùm Majestatem Divinam sese efferentis.* 3. *Confusio omnium consiliorum, quæ contra verbum Dei capiuntur.*

3. Quod ad regnum Gloriæ, Catech. ostendit

1. In eo regni gratiæ esse consummationem, quando dicit, *quoad plenè tandem* &c.
2. Idem describit à qualitate & regnandi modo, docens regnum fore perfectum & immediatum; *perfectè regnes, cùm eris omnia in omnibus.*

EXEGESIS.

Summa tractanda-rum.

AD mentem petitionis rectè percipiendam juvabit inquisivisse. 1. Quale regnum hîc intelligendum. 2. Quid nobis adventum illius regni petentibus sit in votis. 3. Quæ ratio pronominis, *tuum.* 4. Quæ ratio ordinis.

Utrum hîc intelligatur regnum Dei naturale, *an* œconomicum?

II. Q. *Cum regnum Deo competat vel naturâ, unde regnum* naturale, *ex jure creationis rerum, & infinita Numinis præstantia exsurgens; vel munere, unde regnum* œconomicum, *per certam quandam œconomiam alicui ex tribus personis demandatum, utrum hîc intelligitur?* R. Non illud, quia ab ipso conditu rerum ex omni tempore constitutum, nunquam propinquius aut remotius, sed semper proximum, *Act.* 17: 27 &c. Obj. *Idem tamen dici potest venire, quando magis manifestatur.*

tur. R. Atqui non postulamus hujus regni naturalis majorem manifestationem, tùm quia id jam comprehensum intelligi potest in prima petitione, *sanctificetur nomen tuum:* tùm quia hac ratione regni Dei œconomici in hac oratione nulla foret mentio, quod haud dubiè non est existimandum. Intelligitur ergò regnum œconomicum, quale describi memini ad Quæst. 31. quod regnum est Messiæ, Judæorum fidelibus, quô tempore Christus hanc orationem dictavit, juxta prophetiam & patrum fidem exspectatum.

Etsi regnum œcon. ab initio mundi obtinuerit, nihilominus peti potest adventus ejus.

III. Obj. *Atqui & hoc regnum à Mundi ferè principio in primorum parentum familia constitutum. Ex quo enim edita fuit prima promissio Gen.* 3: 15. *Duo extitere regna, vel, ut August. appellat, duæ Civitates: quomodo igitur peti potest adventus ejus?* R. Quanquam certè *thronus Dei* כון *firmus fuerit pridem*, nihilominùs prophetia, præformans vocem populi fidelium N. T. Regi suo acclamantium, dicit, *Jehova Rex factus est, Psal.* 93: 1, 2. conf. 2 *Reg.* 9: 13. *Apoc.* 11: 17. Regnum ergò gratiæ intelligitur non simpliciter spectatum, sed quale promiserant Prophetarum oracula, & Christus post Johannem Bapt. instare & quasi præ foribus esse prædicabat: videl. 1. Regnum gratiæ, quod non solùm intra unam alteramque familiam, ut tempore Patriarcharum; vel intra unam gentem, ut post tempora Mosis, contineatur, sed juxta promissionem Abrahamo factam sua pomœria, quousque stellæ cœli suam lucem, exporrigat. 2. Regnum, in quo Christus non habeat socios & consortes; quales in Vet. Test. erant principes, ad quos verbum Dei factum, qui *Dii* dicti, *Psal.* 82: 1. & *consortes* Regis, *Psal.* 45: 8. Sed regnum libertatis, ubi populus ab omni servitute elementorum Mundi assertus neminem habeat Regem, Dominum ac principem, præter Deum. Unde κατ' ἐξοχην dicitur *Regnum cœlorum*, & *Regnum Dei*, non solùm ratione *originis*, quia à Deo; ratione *finis*, quia pro Deo ejusque ad gloriam; ratione *modi*, qui excellenter divinus, per verbum divinum, Spiritum divinum, in conscientiam hominis: sed speciatim, quia solus Deus, abdicatô regnum thronô terrestri, è cœlo regnat, subditis, qui in terra Dei.

Quare per excellentiam dicatur regnum cœlorum, & regnum Dei.

sunt,

sunt, communionem habentibus cum illis, qui jam in cœlo, respectu consummationis in communi redemptione, justificatione, pace & libertate, *Eph.* 1: 20. *Phil.* 3: 20. *Heb.* 12: 22, &c. & viâ apertâ ad Regem in cœlo sedentem accedentibus, *Heb.* 12: 19, &c. Hôc modô accipitur in prophetia de regno Messiæ, item in Concione Joh. Bapt. & Christi, cujus thema erat, *resipiscite, appropinquavit enim regnum cœlorum, Matth.* 3: 2. & 4: 17. Cæterùm de hujus regni natura, regnandi authoritate, rebus & personis, quæ ejus imperiô continentur, de legibus, & denique modo ac vi, quibus administratur. prolixitatis vitandæ studiô speciatim dicere omittimus, breviter percursuri, quæ tradit Catechesis.

Quid petamus, dicentes; adveniat regnum tuum.

IV. Q. *Quando petere jubemur adventum regni Dei, quid nobis in votis est?* R. Hîc distinguenda veniunt tempora. 1. Quò tempore Christus hanc precationem præscripsit, petendus fuit discipulis adventus regni pridem exspectati, quod solius Dei esset, sublata elementorum Mundi servitute & principum sub ea servitute plebem continentium dominatu. Quos Christus jamjam *exuerat principatus & potestates* &c. jure, *Col.* 2: 14, 15. ipsô factô amoti fuere Hierosolymorum & templi vastatione novissima per Romanos: atque ita Apostolicæ Ecclesiæ oratio fuit exaudita. 2. Postea verò fuit atque etiamnum est expetendus hujus regni in orbe terrarum profectus. Atque huc referenda sunt, quæ Catech. nobis petenda dicit, tùm quod ad regnum gratiæ, in hac; tùm quod ad regnum gloriæ, in altera vita, attinet.

Quantum ad regnum gratiæ, quid petamus respectu subditorum ejus.

V. Q. *Quantum ad regnum gratiæ, quid petimus?* R. Id vel regni subditos respicit, vel ejusdem hostes. Q. *Quid igitur respectu subditorum?* R. Quotquot nos hujusce regni cives profitemur. I. Petimus à Deo, ut nos verbô & Spiritu suo regat, adeoque cùm verbi sui, quô credenda & facienda doceamur; tùm Spiritus S. qui credendi, volendi & perficiendi facultatem conferat, copiam nobis faciat perpetuam, juxta promissionem *Esa.* 59: 21. Q. *Cui bono hoc? Cùm civis regni non sit, nisi quem jam civem fecerit Spiritus S. eumque regni jure atque leges edocuerit?* R. Ut nos Deo magis magisque

magisque subjiciamus, voluntatem, affectus & membra ad ejus obsequium plenius componendo & conformando, persuasi, Deum, *qui inchoavit in nobis opus bonum, idem etiam consummaturum* &c. *Phil.* 1: 6. II. Petimus, ut Ecclesiam in mediis periculis adversus inferorum portas conservet, *Matth.* 16. 18. neque permittat erigi regnum, quod non sit Dei, vel solius Dei. *Non Dei*. inquam, quale erat regnum Draconis, qui thronum Imperii Rom. quondam insederat, populô Rom. adversus Ecclesiam incitatô, donec de throno dejectus non ampliùs seducere posset gentes ad apertam idololatriam, *Apoc.* 12. & 20. *Non solius* Dei, quale est regnum bestiæ & Antichristi, *Apoc.* 13: 14. III. Petimus, ut Ecclesiam usque & usque augeat numerô & dotibus; ut emissô è Zione sceptrô roboris, *Psal.* 110: 2. Judæos atque Gentes hactenus refractarias subigat & ad Christum adducat: ut lucem atque veritatem suam novis semper incrementis illustret, quibus superstitio, errores, mendacia &c. dispellantur, & omninò eveniat illud *Dan.* 12: 4. *Rom.* 11: 25.

Quid petamus respectu hostium hujus regni.

VI. Q. *Quid petimus respectu hostium?* R. I. Ut destruat opera Diaboli, quæ alia non sunt quàm peccata, 1 *Joh.* 3: 8. Ut *Satanam*, hostem regni Christi infensissimum, *citò sub pedes nostros conterat*, *Rom.* 16: 20. II. Ut evertat omnem potentiam humanam, quæ adversus Majestatem Dei ejusque regnum sese effert, qualis est Tyrannorum, persecutorum Ecclesiæ, & Antichristi, *Psal.* 129: 1, 2. *Apoc.* 17: 14. III. Ut confundat & irrita faciat omnia consilia, quæ contra verbum Dei capiuntur, *Esa.* 8. 10. *Act.* 4: 25, &c. ut tandem hostibus Ecclesiæ coërcitis audiri possit, *Regna Mundi sunt Domino & Christo ejus*, *Apoc.* 11: 15. *Dan.* 7: 27.

Quæ sint nostra vota, quantum ad regnum gloriæ.

VII. Q. *Quantum ad regnum Gloriæ, quæ nostra vota?* R. Desideramus I. Nos quidem liberari à corpore mortis, ut simus cum Christo, *Phil.* 1: 23. II. Accelerari ultimum diem, quô Christus etiam corpora nostra ad se assumpturus est. *Næ veni cito*, *Amen. Næ veni, Dom. Jesu*, *Apoc.* 2: 20. III. Venire regnum illud Dei immediatum, in quo sua regno Christi erit consummatio, extinctô peccatô, deletô Mundô, profligatô Diabolô, & morte

morte pleniſſimè debellata. Q. *Quare vocas immediatum?* R. Quia Deus absque miniſterio verbi & ſacramentorum aliorumque ſalutis adminiculorum œconomiâ regnabit, futurus *omnia in omnibus*, 1 *Cor.* 15: 28. nim. ſui cognitione, amore & communione impleturus nos & noſtra omnia.

Quid ſibi velit pronomen tuum.

VIII. Q. *Quæ ratio pronominis* tuum? R. Relatum ad præfationem 1. Oſtendit, quamobrem hoc regnum votis noſtris ſit expetendum, videl. quia eſt regnum Dei Patris, qui in cœlis eſt, adeoque regnum divinum, cœleſte 3. Reſtringit noſtra vota ad efflagitandum hoc, non aliud regnum, quod huic adverſetur: regnum ſcil. Dei, non regnum concupiſcentiæ, peccati, Diaboli, beſtiæ & Antichriſti, quibus renunciamus, quoties vero cordis affectu hanc orationem Dom. recitamus.

Quare hæc petitio ordine ſecunda.

IX. Q. *Quæ tandem ratio ordinis?* R. Voto de ſanctificatione nominis divini ſubjicitur votum de adventu regni Chriſti 1. Ut appareat, quando & ubi ſanctificari queat nomen Dei, nempe, quando advenit regnum Dei, & ubi eſt Eccleſia Dei. *Pſal.* 65: 2. & 76: 2. Ergo 2. ut conſtet, illos demùm ad ſanctificandum Dei nomen eſſe idoneos, ad quos pervenit regnum Dei, 1 *Cor.* 12: 3.

Quæſtio CXXIV.

Quæ eſt tertia petitio?

FIat voluntas tua, quemadmodum in cœlo, ſic etiam in terra: *hoc eſt, Da, ut nos & omnes homines voluntati propriæ renuntiantes tuæ voluntati, quæ ſola eſt ſancta, promtè & ſine ullo murmure pareamus. Atque ita ſinguli mandatum nobis munus fideliter & alacriter exſe-*

exsequamur, quemadmodum faciunt Angeli in cœlo.

ANALYSIS.

Recitatur & exponitur tertia petitio. Ubi

I. Votum, expressum verbô, *da:* & descriptum à fine ὧ, dum ostenditur, quibus dari petamus; *ut nos & omnes homines.*

II. Materia petitionis; quæ est gratia præstandi debitum voluntati divinæ obsequium. Ubi obs.

1. Obsequii normam cum obligatione, quæ est *voluntas Dei sola sancta.*
2. Obsequium duplex.
   א. Generale 1. Expressum, ut *tuæ voluntati pareamus.* 2. Illustratum tùm antithesi contrariorum; *voluntati propriæ renunciantes:* tùm ab adjunctis, *promptè & sine ullo murmure.*
   ב. Speciale, quod est obedientia vocationis particularis, declarara ab adjunctis; *atque ita singuli mandatum nobis munus fideliter & alacriter exsequamur.*
3. Exemplum, incitandi & informandi usum habens; *quemadmodum faciunt Angeli in cœlo.*

EXEGESIS.

Summa tractandorum.

HIc nobis videndum 1. Quæ ratio ordinis & petitionis. 2. Quæ Dei voluntas. 3. Quid in votis sit petentibus, *fiat voluntas tua.* 4. Quare *Tua.* 5. Cur

5. Cur indefinitè petamus, *fiat*. 6. Quomodo facienda Dei voluntas.

Ratio ordinis, & necessitas tertiæ petitionis.

II. Q. *Quæ ratio ordinis?* R. Proxima petitione in votis fuit adventus regni cœlorum, consequens est, nunc peti, ut, quemadmodum in omni regno pacato & benè constituto cives parent voluntati principis, ita & in hoc regno fiat voluntas Dei à subditis ejus. Q. *Quid opus petere, ut fiat, quod facere nostri est officii?* R. Tanta est hominis impotentia, ut ex se, quid voluntatis divinæ sit, ne quidem scire, multò minus præstare valeat: ut alibi demonstrari memini. Q. *Etiamne regenitis sic orandi causa est?* R. Est sane, cur non tantùm aliis necdum regenitis, sed & sibi gratiam faciendi voluntatem Dei rogent, quia etiamnum in regenitis aliquid est, quod ex regno Dei non est, nempe caro & malum adjacens &c. *Rom.* 7: 17, 18, 20, 21, 23. His regnum Dei amantibus & mente Deo servientibus ibid. v. 25. & secundùm Spiritum ambulantibus, non potest non displicere difficultas, quam experiuntur ex reluctatione carnis, *Gal.* 5: 7.

Voluntas Dei duplex, εὐδοκίας & εὐαρεσίας.

III. Q. *Unane an multiplex est voluntas Dei?* R. Licèt unica sit in se, ratione tamen rerum, quas velle dicitur, duplex distingui solet, videl. Voluntas εὐδοκίας, sive *decreti*; & εὐαρεσίας, sive *præcepti*. Illa est æternum Dei consilium de omnibus, quæ in tempore vel efficit vel permittit: nominis ratione petenda ex *Matth.* 11: 26. *Esai.* 46: 10. *Eph.* 1: 5. Hâc Deus declarat, quid nostri velit esse officii. *Rom.* 12. 2. *Eph.* 5: 10. Neutra alteri contraria, & neutra frustrabilis est. Q. *Qui verò?* R. 1. Illa est de rerum eventu, hæc de hominis officio: nulla ergò hic contrarietas. 2. Voluntas *decreti* frustrari non potest, quia voluntate hâc nihil prius, nihil potentius, *Esai.* 46: 10. *Rom.* 9: 19. Voluntas *mandati* hoc vel illud nostri vult esse officii, & rem mandatum ceu bonam approbat; ulterius enim hæc voluntas extendi non debet: Atqui sive præcepta facias, sive negligas, eô certè quæ præcipiuntur nec officii esse, nec bona esse desinunt. Obj. *Qui peccat, aliud quam Deus vult, ergò voluntas Dei frustrari potest.* R. Qui peccat, ex suo quidem arbitrio

Neutram alteri contrariam, & neutram frustrabilem esse ostenditur.

agit,

agit, non volens sui esse officii facere quod Deus jubet: eo tamen efficere non potest, quò minùs velle debeat, quod Deus ipsi præcipit, & teste conscientiâ, ipsius officium esse vult. Unde consequitur, Deum, quod vult, nunquam non obtinere. Q. *Utra voluntas hic intelligenda?* R. Directè quidem ea, quæ nobis regula est officii universalis, qualis haud dubiè voluntas εὐαρεστίας in Lege & Evangelio patefacta, id quod apparet tum ex cohærentia: petitur enim gratia, quâ subditi in regno Dei facere queant, quod regni leges postulant: tum ex obedientiæ exemplo, quod nobis imitandum, *quemadmodum in cœlo*, de quo infrà. Quæ autem ad voluntatem decreti spectant, ea vel in aliis petitionibus postulantur, vel certè ad hanc aliter referri non possunt, quàm quia nostrum est in voluntate Dei demissè acquiescere, nosque ad omnes eventus piè & reverenter excipiendos parare, quæ in regno providentiæ divinæ fiunt non ex nostro arbitrio & voto, sed Dei beneplacito æstimare, & omninò non velle fieri nisi quod Deus velit, unde animi tranquillitas, veræ felicitatis in hâc vitâ pars non postrema, pendet. Sic piis non aliud quàm quod Deus velit volentibus nihil adversum accidit, quod animi Deo confisi quietem intervertere queat. *Job.* 1: 21. *Jac.* 1: 2, 3, 4.

Hic directè saltem intelligi voluntatem præcepti, ostenditur.

IV. Q. *Quid in votis est petenti fiat voluntas tua?* R. 1. Cùm in regno Dei non fiat nisi volnntas Dei, ante omnia petimus dari, ut nos & omnes homines voluntati propriæ renunciemus, nos ipsos abnegemus, *Matth.* 1: 24. carnem cum affectibus & cupiditatibus crucifigamus, *Gal* 5: 24. Neque vero id solum petimus, inquit *Calv.* ut affectus nostros, qui voluntati adversantur suæ, Deus vanos & irritos faciat: sed potius, ut novas mentes novosque animos, nostris extinctis, in nobis creet, *Ezech.* 36: 26 Ut nullus cupiditatis motus in nobis sentiatur, quàm purus cum voluntate suâ consensus. In summâ, ne quid ex nobis ipsis velimus, sed ut Spiritus suus velit in nobis: quo intus docente, discamus amare ea, quæ ipsi placita sunt, odisse vero atque abominari, quæcunque displicent. 2. Petimus dari nobis

Quid nobis in votis sit, quondo petimùs fieri voluntatem Dei.

bis agnitionem veritatis, ut sciamus, quæ sit voluntas Dei *bona grata & perfecta Rom.* 12: 2. 3. Petimus dari nobis animum, voluntatem & facultatem per omnia obsequendi voluntati divinæ, quæ generatim omnibus hominibus suum præcipit officium, cùm in fide ejusque perseverantiâ & intrepida professione, tùm in sanctimoniâ vitæ situm. Hæc porro pietate in Deum; charitate erga proximum & sobrietate atque temperantiâ comprehenditur. Neque enim satis est novisse voluntatem Domini, necesse est, animum compares ad faciendum, quod imperat, *Luc.* 12. 47. *Jac.* 4: 17. *Hæc est autem voluntas ejus; qui misit me; ut quisquis videt Filium & credit in eum, habeat vitam æternam* &c. *Joh.* 6: 40. *Hæc est voluntas Dei, sanctificatio vestri.* 1 *Thes.* 4: 3. & 5: 18. *Heb.* 13: 21. 4. Petimus dari gratiam, quâ instructi etiam quique rectè fungamur officiô, quod sua cuique imponit specialis vocatio, vitæ conditio & locus, quem in Republica, Ecclesia, vel familia tenet. Eò Apost. preces fundi jubet *pro se; Eph.* 6: 19. *pro Regibus & quibusvis in eminentia constitutis*, 1 *Tim.* 2: 2. 5. Petimus dari nobis, ut solùm in officio faciendo solíciti; consiliorum, studiorum atque laborum nostrorum successum, & eventum Deo committamus; persuasi, Deo providente non eventura, nisi quæ gloriæ ipsius & nostræ saluti inserviant *Psal.* 55: 23. 1 *Pet.* 5: 7. 6. Petimus ὑποταγὴν, quô animum ad subeundam Dei voluntatem, quantumvis duram & acerbam piè & moderatè componamus: ut dicere queamus cum Servatore; *attamen non quod ego volo, sed quod tu vis.* Et cum Davide; *Quod si* Jehova *dixerit, non delector te; ecce me, faciat mihi, prout bonum in oculis suis,* 2 *Sam.* 15: 26. & cum fidelibus illis, qui cùm Apostolum â proposito adeundi Hierosolyma, ubi vincula ipsi erant parata, avertere non possent, tandem *acquiescentes* dicebant, *fiat Domini voluntas, Act.* 21: 14.

Quæ ratio pronominis, Tua.

V. Q. *Quare, fiat voluntas* tua? R. Pronomen *Tua* relatum ad præfationem 1. Suggerit argumentum obsequii; *fiat tua, Patris, qui in cœlis es*, voluntas, quæ sola sancta, justa, bona omnisque sanctitatis & bonitatis norma unica. 2. Limitat obsequium; fiat volun-

voluntas *tua*, non mea, non aliorum ex se & sine te quidquam voentium: quia nostra voluntas, sibi permissa, nihil nisi concupiscentia carnis & inimicitia in Deum est, *Rom.* 8.7. Obj. *Nonne liberis, servis, subditis Reip. facienda voluntas parentum, Dominorum, Principum?* Rz. Quippeni? cùm Deus nos subesse & parere velit superioribus, *Rom.* 13:1. &c. *Eph.* 6:1, 2, 5, 6. Hinc simul oramus, ut ne Deus patiatur nobis imperari, quod non sit voluntas Dei, quodque adeò facientes, non faciamus voluntatem Dei. Huic si quid imperent contrarium, cum Apostolis ad certissimam provocamus regulam, *Deo potiùs, quam hominibus obediendum.*

VI. Q. *Cur indefinitè petimus*, fiat? Rz. Quia istam obsequiosæ voluntatis gratiam non nobis solùm sed & quibusvis aliis expetimus juxta Charitatis præceptum & Christi institutum. Unde Catech. Da inquit, ut nos & omnes homines voluntati propriæ renunciantes tuæ voluntati pareamus: ergò da, ut Reges, ut Principes, ut Evang. Ministri &c. suò quisque rectè officio fungantur: da, ut quique pro eo loco & statu, in quo sunt, nihil contra decorum, nihil contra pietatem & charitatem admittant. Quapropter etiam addimus, *in terra*, ut quotquot terram habitant homines voluntatem Dei faciant, nemine rebellante. Obj. *Dubium videri possit, an talis oratio fiat in fide.* Rz. I. Nititur promissione de regno Christi per totam terram amplificando, *Esai.* 11: 9. *Zeph.* 3:9. 1 *Joh.* 5:14. Hinc *monet* Apost. *ut ante omnia fiant petitiones ------ pro omnibus &c.* 1 *Tim.* 2:1. II. Cum Deus omnium velit esse officium, facere voluntatem Dei, utique charitatis est, eam omnibus rogare gratiam, quâ præstare queant quod sùi sentiunt esse officii. Charitatis porrò regula est voluntas mandati, non voluntas decreti divini. *Cur indefinitè petamus*, fiat.

VII. Q. *Quomodo facienda Dei voluntas?* Rz. *Sicut fit in Cœlis*: quod Catech. interpretatur, promptè & sine ullo murmure, sine tergiversatione, cunctatione & obloquio parere; & mandatum sibi munus fideliter & alacriter exsequi, ut nec fidei nec diligentiæ quicquam in nobis desiderari patiamur, atque adeò *Quomodo facienda Dei voluntas.*

Angelorum *in Cœlis* exemplum imitemur, *Psal.* 103: 20, 21. *Heb.* 1: 14. Adde, Christum haud dubiè etiam respicere beatos justorum spiritus, & velle fieri à nobis voluntatem Dei in libertate & filiali fiducia, quia facti sumus unum cum iis, qui *in cœlo* sunt, *Eph.* 1: 10. *Heb.* 12: 22, 23. & civitas nostra *in cœlo*, *Phil.* 3: 20. Obj. *Atqui nunquam futurum, ut in terris fiat voluntas Dei mandantis, quemadmodum in cœlo?* Rz. I. In votis est, ut, quemadmodum in cœlo, sic in terra non alia quàm Dei voluntas fiat. Hujus petitionis exauditæ argumentum est fides Ecclesiæ, quæ vincit Mundum, 1 *Joh.* 5: 4, 5. II. Vota piorum consentanea esse oportet ipsorum studio, petimus enim dari nobis, ut faciamus officium. Et sanctificationis consummatio sit vitæ futuræ, ejus tamen consequendæ studium eò haud minùs intendi debet, ac si præsentis esset vitæ: aliud si foret in voto, studium frigeret vel sese minus sincerum probaret. Obj. *Quis voti irriti usus?* Rz. Votum non est irritum: quod re quidem in hac vita non possumus, spe ad animandum studium præcipimus, voto nostro *ad ea quæ antè sunt*, quæ supersunt, quæ nondum assecuti sumus, *nos ἐπεκτεινομένοι superextendentes*, *Phil.* 3: 14.

Quæstio CXXV.

Quæ est quarta petitio?

PAnem nostrum quotidianum da nobis hodie: *hoc est, suppedita nobis omnia, quæ ad hanc vitam sunt necessaria: ut per ea agnoscamus, te unicum fontem esse, ex quo omnia bona emanant, ac nisi tu benedicas omnem nostram curam & industriam, atque adeò tua ipsius dona*

dona nobis infelicia & noxia esse. Quapropter da, ut fiduciam nostram ab omnibus creaturis aversam in te solo collocemus.

ANALYSIS.

Quartæ petitionis ex Oratione Dominica recitatæ expositio continet.

I. Materiam petitionis; *omnia, quæ ad hanc vitam sunt necessaria.*

II. Votum, tùm expressum verbô, *suppedita:* tùm descriptum fine ᾧ, *nobis.*

III. Causas petendi panem quotidianum, quem cæteroquin suo quisque labore quærere jubetur. Causæ exponuntur tres, de quibus in Exegesi.

EXEGESIS.

Summa rerum tractandarum.

COnsiderandum nobis 1. Quid *panis* nomine veniat intelligendum. 2. Quo sensu dicatur panis *noster*. 3. Quid sit panis ἐπιούσιος. 4. Cur panem illum *hodie* dari petamus. 5. Quæ petendi nobis causæ sint.

Nomine panis non intelligi Christum. nec panem Eucharist. ostenditur.

II. Panem hôc locô nonnulli intelligunt mysticum, nempe Christum, ex *Joh. 6.* 33, 35, 50, 51. ἐπιούσιον idem existimantes esse quod περιούσιον, *eximium*, quô LXX. utuntur, ut significent ἐξαίρετον. Vulgatus vertit *panem supersubstantialem*, quasi pro ἐπιούσιον legisset πεσιούδη. Unde fortè præter mentem interpretis nata quibusdam Pontificiis occasio opinandi, Christum respexisse ad panem Eucharisticum &c. Verùm & hi & illi nullô ferè negotiô refelluntur. Nomine *panis* haud dubiè Christus intelligi voluit, quod ex usu linguæ notissimum erat, & audientibus discipulis obvium, quod est panis usualis & cætera vitæ

tolerandæ adminicula. Quod etiam inde confirmari potest, quum Christus discipulos admonuisset de cavendo Pharisæorum & Sadduc. fermento *Matth.* 16: 6. cœperunt inter se disceptare, dicentes, *panes non sumsimus*, quanquam non difficile esset conjecturâ consequi, quid fermentô istô sibi vellet. Jam in tantâ ignoratione an evitare potuissent, quin Christum de quotidiano & materiali pane loqui non modò suspicarentur, sed firmissimè crederent, Taceo quæ alia in eandem sententiam dici possent. Posterior opinio, quæ panem Eucharisticum respici vult, à ratione videtur aliena, quo tempore enim Christus hanc orandi formulam discipulis tradidit, neque Eucharistiam instituerat, neque de ea in posterum instituendâ discipulis prædixerat. Atqui parum conveniret sapientiæ tanti Magistri, verba præire discipulis oraturis rem, quam nec intelligebant, nec intelligere poterant. Quid? quòd peti jubet panem *hodie* dandum, rem scil, cujus quotidiana necessitas dilationis moram non fert.

Sed omnia necessaria vitæ tolerandæ adminicula.

III. Q. *Tu igitur* panis *vocabulo quid intelligis?* R. Omnia ad hanc vitam necessaria: qualia sunt victus, amictus, habitatio, medicamenta, ubi eorum est usus, & alia istiusmodi,

Queis humana sibi doleat natura negatis.

Quem vocis usum probant loca *Gen.* 3: 19. & 28: 20. *Prov.* 30: 8. & alia Ratio usus non obscura, *panis* enim in alendo hominis corpore præcipua vis est. Deinde eâ appellatione, Scripturæ usitatâ, nobis *αὐτάρκεια* commendatur. Interim cùm nec vulgus Hebræorum ignoraret, quod in lege dicitur, *hominen non solo pane vivere, sed quolibet verbo* &c. & verò vita hominis non tantùm sit animalis, cujus fultura panis, sed etiam Spiritualis, in rectâ actione & conscientiâ exhilatante sita, piè sentiunt, qui non solùm de pane corporis hic cogitandum arbitrantur, sed de omni verbo Dei gratiæque auxiliis, quibus omnis vita hominis sustentatur, sicut pane fulcitur vita animalis. Obj. *Atqui Christus suos non vult esse solicitos de vita corporea* &c. R. Ut ne soliciti simus & anxii sed ut

Deo

Deo ἀπερίσπαστος servire possimus, quæ ad vitam sustentandam pertinent nos petere à Deo & exspectare jubet, eâ spe fretos, Deum nobis, quæ vocationis & officii sunt facientibus, & eventum boni honestique operis Deo permittentibus, haud minùs provisurum, quàm volucribus cœli & liliis agri, *Matth.* 6: 25.

IV. Q. *Cur juberis dicere, panem* nostrum, *non* meum; *da* nobis, *non* mihi? R. Scil. filii communem Patrem in cœlis habentes, fraternæ charitatis memores, singuli universorum necessitatem votis complecti jubemur. Q. *Quomodo, quove jure, panis* noster *dicitur, quem à Deo dari petimus?* R. Duplex est jus habendi rem, *Spirituale*, & *civile*: *illud* proprium est sanctorum, quibus dominium in res Dei, in Adamo amissum, beneficiô redemptionis in Christo restituitur, quô factô *omnia munda sunt mundis* &c. *Tit.* 1: 15. *Civile jus* in rem titulus est dominii legitimè quæsiti, qui in foro defendi potest. Utrumque jus concurrere necesse est. Cùm enim res creatæ sint Dei, non hominum, illarum usurpator est, quisquis jus illud spirituale in Christo necdum est adeptus. Id verò jus cùm non nisi libertatem afferat quærendi, occupandi & habendi, quantum Deus paternâ manu providentiæ suæ porrigit, quæ manus est ipsa justitia, ut quid suum cujusque, & proprium, dici queat jure spirituali pariter & civili, oportet justò quæsitum sit titulô. Panis igitur *noster* dicitur I. Qui interventu laboris & industriæ, sine fraude & malis artibus, sine violentia & extorsione acquiritur. *Ut cum quiete opus facientes suum panem comedant*, 2 *Thess.* 3: 12. II. Qui sic quæritur panis, est demensum, quod Pater cœlestis in familiâ suâ cuique attribuit: quemadmodum olim mannam dispensavit, ad quam historiam Christus nonnullis respexisse videtur. Donô igitur Dei panis quotidianus fit *noster*. Unde verissimè *Augustinus*, *Tuum fecit donando, noli ingratus esse tibi assignando ----- illo dante fit nostrum. Si illo dante fit nostrum, nobis superbientibus fit alienum* &c. *Hom.* 14.

Quare jubear petere panem nostrum *non* meum. *Quo sensu panis, quem dari petimus dicatur* noster.

VI. Q. *Quid panis* ἐπιούσιος? R. Vox ista Græca non parum caliginis habere visa multis: unde diver-

Quid panis ἐπιούσιος.

sa ejus interpretamenta, quibus causam dant tùm vocabuli raritas, tùm diversa ejusd. ex origine suâ derivandi ratio: sed illis omnibus brevitatis studiò omissis duo retinuisse satis erit 1. Non multùm hæsitandum de vocis etymô, ut enim ab ἐκὼν ἑκούσιος, ab ἐθέλων ἐθελούσιος, à περιὼν περιούσιος &c. sic ab ἐπιὼν ἐπιούσιος dici potest: ἐπιὼν verò significat *adveniens*, *futurum*. 2. Ergò *panis* ἐπιούσιος est id, quod necessarium ad sequentem diem, vel sequens tempus, attingendum. Quô observatô facilis est sensus. Nimirum quotidiè accedimus ad Deum, orantes, ut nobis, quoad hanc vivimus vitam, det panem, per quem sine molestiâ attingamus τὸ ἐπιὸν *quod sequitur tempus*. Multi hominum, incerti quamdiu sint victuri, senectutis exspectationem suæ prætendunt avaritiæ, & sæpè quò minus est viæ, eò plus quæritur viatici. Vult Christus, nos Deo hanc committere curam, ut quantum vitæ supereſt, tantum nobis suppeditet alimentorum; neque ita tamen, ut poscamus id omne nobis simul & semel repræsentari, foret enim valdè illiberalis animi, non credere Deo, nisi sub pignore: sed ut poscamus quotidiè nobis dari, quô attingere possimus diem sequentem, Deo ita volente, & cætera Deo servire sine solicitudine. Quemadmodum qui in potestate sunt patrisfamilias boni, sapientis, & divitis, non postulabunt, ut alimenta in multos annos sibi in cellis recondere liceat, contenti demensô diurnô; ita & Christus abesse vult â nostris precibus tùm diffidentiam, tùm aviditatem. Idem docebat quotidiana Mannæ dispensatio. Adde Prov. 30. 8. *ale me pane demensi mei*.

Cur panem illum hodie *dari petamus.*

VI. Q. *Cur panem illum* hodie *dari petis?* R. Sic intelligo 1. Nobis commendari *cùm αὐλάρκειαν*, ut acquiescamus præsentibus, *Heb.* 13. 3. *tùm* frugalitatem & modestiam. *Victus quotidianus* apud Authores Latinos dicitur, in quo parando nulla ferè ponitur cura vel opera. *Verba quotidiana*, in quibus deligendis nullum studium est adhibitum: quo sensu panem non nimis opiparum & exquisitum, sed vulgarem dari petimus. 2. Rogandum esse panem, ut filiis, non ut servis,

servis, quique adeò non possint allegare operæ suæ meritum.

VII. Q. *Cùm panem nostro labore quærere jubeamur, neque nostrum esse negetur, quod hæreditate, donatione, aliove juris titulo obvenit, quare nihilominùs panem à Deo peti mandat Christus?* R. Id nos docet Catech. videlicet, 1. Ut agnoscamus, Deum fontem esse unicum, ex quo omnia bona emanant, *Psal.* 145: 15, 16. *Act.* 14: 17. Deus omnis boni dator est, quæcunque demùm manu interveniente divinæ largitatis dona ad nos perferantur. 2. Ut agnoscamus, absque benedictione Dei sit, non solùm omnem nostram curam & industriam nobis fore inutilem. sed ipsa quoque dona ejus nobis damno futura, *Deut.* 8: 3. *Ezech.* 4: 16. *Psal.* 127: 2. *frustra vobis est, qui manè surgitis, & in serum sedetis, editis panem dolorum* &c. *Hag.* 1: 16. *Editis, & non est ad satietatem ---- qui meretur, meretur in loculos pertusos.* 3. Ut testatum faciamus, nos fiduciam nostram ab omnibus creaturis aversam in Deo solo collocare, *Psal.* 55: 23. & 62: 9, 11. &c.

Quæ causæ nobis sint petendi panem, quem alioqui quærere jubemur laborare.

Quæstio CXXVI.

Quæ est quinta petitio?

REmitte nobis debita nostra, sicut & nos remittimus debitoribus nostris: *hoc est, Nobis miserrimis peccatoribus omnia peccata nostra, atque eam etiam pravitatem, quæ in nobis etiam-num hæret, propter Christi sanguinem ne imputes; quemadmodum nos quoque hoc tuæ gratiæ testimonium in cordibus nostris sentimus, quòd firmiter nobis propositum*

tum habemus, omnibus, qui nos offenderunt, ex animo ignoscere.

ANALYSIS.

Cùm hîc occurrat petitio & fiduciæ petentium confirmatio, utramque exponit Catech.

I. Petitionis consideranda.

1. Materia, quæ est remissio peccatorum: cujus descriptio habet 1. Subjectum recipiens; *nobis miserrimis peccatoribus.* 2. Peccatorum distributionem in actualia & originale; *omnia peccata nostra, atque eam etiam pravitatem* &c. 3. Causam impulsivam; *propter Christi sanguinem.* 4. Remissionis formam, quæ est *non-imputatio peccatorum.*

2. Votum inclusum verbo, *ne imputes.*

II. Confirmatio exponitur verbis; *quemadmodum nos quoque hoc tuæ gratiæ testimonium*, &c. ubi obs.

1. Testimonium gratiæ, *constans propositum ignoscendi omnibus, qui nos offenderunt.*

2. Quomodo inde animum de peccatorum remissione certum reddere possimus.

EXEGESIS.

Tractandorum summa.

CUr peccata hîc & alibi in Scriptura dicantur debita, docuimus ad Quæst. XIII. Cætera, quæ ad doctrinam de remissione peccatorum pertinent,

nent, exposuimus ad Quæst. LVI. Duo nobis super sunt explicanda. 1. Quæ hujus petitionis etiam fidelibus indies iterandæ necessitas. 2. Quæ mens verborum, quibus confirmatur fiducia petentium.

II. Q. *Nonne hæc petitio fidelium est & justificatorum?* R. Quidni? est enim eorum, qui Deum jubentur compellare patrem suum. Q. *Cùm justificatio, atque adeò peccatorum omnium remissio, simul & semel fiat, quæ causa justificatis hanc petitionem quotidiè iterandi?* R. Sic admonentur 1. Suæ imbecillitatis, quæ est, quòd hanc vitam sine peccatis non transigant, 1 *Joh.* 1: 8, 9, 10. unde tanquam Pelagianum dogma notatum *Augustino; hanc petitionem à quibusdam humiliter, non veraciter dici.* 2. Sui officii, quod est tùm confiteri peccatum, tùm ejus identidem orare veniam, nec unquam cum jactatione propriæ justitiæ coram Deo comparere. *Bonum est homini, ut imitetur publicanum, nec tumescat sicut Pharisæus, qui jactavit merita sua, texit vulnera sua.* Aug. *Hom.* 42. in l. 50. *hom.* Obj. *Positò, justificatis omnium, adeoque non præteritorum duntaxat, sed & futurorum peccatorum factam esse remissionem, ex dictis solùm consequi videtur, justificatos indignitatis & imbecillitatis suæ oportere esse memores, ut tantò penitiori gratiæ sensu tacti pro beneficio jam impetrato gratias agant.* R. Repetenda hîc distinctio justificationis vel activè, vel passivè sumptæ: priori modò spectata est actio Dei credentem absolventis & justum pronunciantis, jam nunc quidem in verbo suo, quò peccatores in Christum credentes justos declarat; olim verò in ultimo judicio, quò fidelium justificationem in apertam lucem proferet, ut non modò qui ejus compotes erunt, eam sibi certissimè persuadeant, sed etiam ipsi increduli, quibus nunc universum salutis nostræ negotium ludibrio est, eam agnoscere & fateri cogantur: quò modò considerata justificatio gradus & incrementa non habet. Passivè sumpta, ut est firma animi persuasio; quo certum habeo, mea mihi per & propter Christum remitti peccata, ipsò meò animò vice Dei mihi dicente, quod Deus credentibus dicit in verbo, confide fili, remissa sunt tibi

Quæ causa fidelibus jamjam justificatis quotidiè petendi remissionem peccatorum.

pecca

peccata tua, *Psal.* 27: 8. *Matth.* 9: 2. utique suos quosdam gradus habet. Etsi enim fidelis nunc persuasissimum habeat, veniam sibi factam esse omnium peccatorum, nihilominus quia, quæ carnis infirmitas est, ipsum peccato præoccupari, tentatione abripi, graviterque peccare non rarò contingit, peccatò fidem labefactante, & certitudinem atque sensum remissionis peccatorum perinde intercipiente, ac si remissio facta non foret, necesse habet petere cum Davide, *redde mihi gaudium salutis tuæ*, *Psal.* 51: 14. Sic fidelis, orationem dominicam quotidie recitans, petit, ut quotiescunque peccavit, seriò resipiscenti, à lapsu resurgenti, verâque fide ad misericordiam Dei in Christo confugienti, cor suum sibi dicat, confide fili &c.

Quæsit sententia verborum, sicut & nos remittimus debitoribus nostris, explicatur καλῶ θέσιν.

III. Q. *Sequitur dicendum de mente verborum*; sicut & nos remittimus debitoribus nostris: *quid significat, remittere debitoribus suis?* R. Eis, qui nos offenderunt, ita condonare, ut depositâ irâ, rancore & ulciscendi animô, optima quæque ipsis perinde ac nobis cupiamus, & quantum in ope nostrâ situm est, procurare parati simus, Deumque pro ipsis comprecemur &c. Enimverò absurdum & periniquum fuerit, si, dum nos plumbeas iras altâ mente repositas gerimus, in quamvis ulciscendi opportunitatem intenti, à Deo nobis impunitatem sperare velimus. Vide *Matth.* 6: 14, 15. Q. *Itane proximis condonabo, ut ne quidem, ubi deliquerint, objurgem?* R. Quin imò fratrem, qui in me peccaverit, corripiam, Christo monitore *Matth.* 18: 15 ut peccatò agnitò resipiscat, verùm abesse debet omnis acerbitas. Secùs, ut ait ille, amici vitia si feras, facis tua. Q. *Itane proximis condonabo, ut etiam, ubi damnum grave dederint per injuriam, juri meo in foro renuntiem?* R. Nec hoc à nobis postulatur præceptô remittendi debitoribus nostris. Ipsa justitia, quæ commune bonum est Societatis, atque adeò & proximorum meorum, jubet authorem damni per defensores Reip. ad compensationem damni, & cautionem de futurâ securitate adigi. Quòd si ergò necessitas & officii ratio postulet, ut proximum corripiam, vel etiam jus meum adversus ipsum in foro asseram, id mihi

Et καὶ ἄρσιν.

facien-

faciendum procul omni in personam odiô, irâ, inimicitiâ, vindictæ cupiditate.

IV. Q. *Verba ista*, sicut & non remittimus debitoribus nostris, *quomodo petitioni cohærent?* R. Non ut veniæ promerendæ conditio; sic enim satisfactio & meritum Christi tolleretur, vel saltem eidem derogaretur: neque enim Christus jubet dicere, *quia* & nos remittimus &c. sed ut testimonium gratiæ, argumentum bonæ conscientiæ & fiduciæ de consolatione super remissione peccatorum impetrandâ. Q. *Quodnam est istud testimonium gratiæ?* R. Constans ac sincerum propositum ignoscendi quibusvis, qui nos offenderunt, de quo Catech. Quemadmodum, inquit, nos quoque hoc tuæ gratiæ testimonium in cordibus nostris sentimus, quòd firmiter nobis propositum habemus &c. Q. *Ex tali proposito quæ mihi fiducia de remissione peccatorum meorum?* R. I. Argumentum veræ fidei est charitas, cujus minimus saltem gradus est ignoscere proximo: atqui ubi fides, ibi peccatorum remissio, consequens liberalis remissionis est multa dilectio, *Luc.* 7: 43. In parabola *Matth.* 18: 32, 33. Dominus prior gratiam fecerat servo debitori, ejus proinde fuerat, exemplum clementiæ Domini imitari. Idem confirmant *Eph.* 4: 22. *Col.* 3: 12, 13. II. Christus ipse *Matth.* 6: 14, 15. certissimus nobis author est, ut ex tali proposito ignoscendi proximis concludamus ad certitudinem remissionis peccatorum nobis apud Deum paratæ, de quâ consolationem quærimus præsenti petitione.

Quæstio CXXVII.

Quæ est sexta petitio?

NE nos inducas in tentationem, sed libera nos à malo: hoc est. *Quoniam ipsi naturâ adeò debiles & infirmi sumus:*

sumus, ut ne momento quidem subsistere possimus; infensissimi autem hostes nostri, Satan, mundus, ac nostra ipsorum caro, nos continenter oppugnant; tu nos sustentes & Spiritus tui robore firmes, ne in hoc spirituali certamine succumbamus, sed tantisper illis fortiter resistamus, donec integram tandem victoriam obtineamus.

ANALYSIS.

In sextæ petitionis expositione occurrunt

I. Causæ petitionis duæ. Una à nobis arcessitur, eaque est nostra infirmitas, quæ, qualis & quanta sit, ostenditur; *Quoniam ipsi naturâ adeò debiles & infirmi sumus, ut ne momentô* &c. Altera ab hostibus nostris, ubi obs. 1. Qui sint; *Satan, Mundus, nostra Caro.* 2. Quales; *infensissimi.* 3. Quod ipsorum studium; *nos continenter oppugnant.*

II. Petitio ipsa in tres partes diducta, quæ sunt. 1. Sustentatio; *tu nos sustentes.* 2. Confirmatio, ab adminiculo gratiæ ejusquè effectu descripta; *& Spiritûs tui robore firmes, ne in hoc* &c. 3. Plena victoria; *donec integram tandem victoriam* &c.

EXEGESIS.

Sextæ petitionis summa.

ULtima petitio, præsenti quæstione exponenda, est, καὶ μὴ εἰσενέγκῃς ἡμᾶς &c. Ultimam dico, ergò unam, sed bimembrem, ut docet particula ad-

la adversativa *sed*. Unde August. *ideò quippe ait* sed libera, *non ait* & libera, *tanquam unam petitionem esse demonstrans*, *Enchir.* c. 16. Cum igitur duas habeat partes, unam, quâ malum deprecamur, alteram, quâ bonum exposcimus, utramque paucis expendemus, subjecturi deinceps quæ Catechesis habet. De priore videndum, tùm quæ sit tentatio, de qua sermo: tùm quid verbô, *ne nos inducas*, designetur.

Tentatio quotuplex, & qualis hîc intelligenda.

II. Tentatio alia quidem *divina* est, quâ Deus hominem deserit, ut manifesta fiat ipsius fragilitas, 2 *Chron.* 32: 31. vel etiam fidem atque virtutem filiorum suorum, & potentiam Spiritûs S. patefacit: *Gen* 22: 1, &c. Alia *Diabolica*, ad peccatum alliciens & impellens: quô modô tentari & tentare â Deo alienissimum est, *Jac.* 1: 13. Appellatur autem ista ad peccatum incitatio vel inescatio nomine *tentationis*, quoniam qui sic tentat, explorare velle videtur, quid sit in homine, & an ejus fides atque virtus queat labefactari. Hîc sermo est de tentatione, quæ malum aliquod nobis afferre potest: neque enim deprecamur nisi mala, neque liberari petimus nisi â malo vel imminente, vel incumbente. Tentationi, qua Deus suorum fidem, suamque in illis potentiam probat & manifestam facit, Ecclesia sese offert, *Psal.* 26: 2. & 139: 23. atque in eadem gloriatur, *Rom.* 5: 3, 4, 5. *Jac.* 1: 2, 3.

Tentatio ad peccatum quotuplici modo consideranda.

III. Tentatio ad peccandum comparata dupliciter consideratur, vel ut est *actio* tentatoris, quæ ipsa peccatum est, & ad peccandum impellit, quo sensu sumitur, *Luc.* 4: 13. vel ut est actionis illius *effectus*, cùm nempe reapse in peccatum inducimur. Utroque præcipuè tamen posteriori modô spectata tentatio hîc intelligitur, quia rogamus *ne inducamur in tentationem*: quô significatur non tàm quod in aliena actione consistit, quàm quod ipsi committimus. *Tentare* ergò certè Diabolus nos potest, hoc est, conari nos subvertere, hactenus sine nostra culpa: quod Domino nostro accidit. *Induci* verò *in tentationem* non possumus sine nostra culpa. Sic peccatum, quod ipsi alieno impulsu vel incitatione concupiscentiæ nostræ patramus, *tentatio* appellatur, *Matth.* 26: 41. 1 *Tim.* 6: 9.

6: 9. per metonymiam, quâ nomen causæ ad effectum transfertur. Neque tamen tentationem, ut actio est tentatoris, â sensu deprecationis excluſam volumus. Quemadmodum enim virgo casta & pudica non solùm se non sinit illici & impelli ad libidinem, ita ut solicitationi succumbat, sed cautè vitat etiam inhonesti sermonis blanditias & lenocinia: sic qui verè fidelis atque pius est, sedulò cavet quicquid peccato causam dare potest, Deum identidem orans, ne Satanæ ad tentandum parato indulgeat. *Qui orat* ne nos inducas in tentationem, *orat ut non peccet*, Aug. *Epist.* 95. Et rursus, *qui tentatione vincitur*, *peccatum ipse committit*, *hom.* 42.

Inducere in tentationem quid significet.

IV. Verbô Græcô εἰσενεγκεῖν *inducere*, LXX. sæpè reddunt Hebræum הביא & frequens Magistris לא תביאנו לבר נסיון *ne inducas nos in manum*, potestatem, *tentationis*. Verba autem formæ Hiphil non tantùm actionem notant, sed & actionis cessationem, sive permissionem, quam certus sequitur eventus. Quo sensu hîc accipiendum μὴ εἰσενέγκῃς: Deus enim neminem inducit in peccatum, sed induci patitur multos. Quia verò, cùm id permittit, evitari nequit, quin eveniat, permissio ista, quippe volentis, decernentis & ordinantis, quod suô locô ostensum, verbo effectionem denotante significatur. Ergò *ne nos inducas* &c. idem est ac, ne nos abdices, ne nos deseras, eoque in tentationem induci patiaris &c.

Explicatur altera petitionis pars; libera nos à malo.

V. Altera petitionis pars est ἀλλὰ ῥῦσαι ἡμᾶς ἀπὸ τοῦ πονηροῦ. Ubi primùm tantisper explicanda nobis verba, deinde videndum, qnomodo ea liberatio fiat. Verbum ῥῦσαι innuit, eum, qui liberatur, vel jam in malum incidisse, vel propè esse, ut in id incidat: vide *Matth.* 27: 43. 2 *Thess.* 3: 2. Utroque sensu hic accipitur verbum ῥῦσαι: petimus enim liberari à malo *imminente* & *incumbente*. Illud ἀπὸ τοῦ πονηροῦ vel de *re*, vel de *persona* usurpatur in Scriptura. De *re* usurpatum denotat malum vel *physicum*, ut *Matth.* 5: 39. vel *morale*, ut *Rom.* 12: 9. Hôc locô veriùs de *persona*, & quidem de *Satana*, spiritu illo malo & nequam, adversario Christi & Ecclesiæ, & vindice suî intelligitur, quia 1. ὁ πονηρὸς

πηρὸς appellatur κατ' ἐξοχὴν *Matth.* 13: 19, 38. 1 *Joh.* 2: 13, 14. & 3: 12. & 5: 18. ut adeò hic vocabuli usus ordinario Scripturæ stylo conveniat. 2. Deprecamur inductionem *in tentationem:* atqui Diabolus antonomasticè dicitur ὁ πειράζων *tentator ille*, *Matth.* 4: 3. non solùm quia initiò protoplastos *tentatione* sua subvertit, sed etiam quia artem illam & studium *tentandi* inde usque indesinenter exercet. 3. Adde, quòd quando precamur, *ne nos inducas in tentationem*, peccatum intelligimus *nondum* commissum, quod testamur nos aversari. Ergò ubi eò devenimus, ut dicamus, *sed libera nos* ἀπὸ τοῦ πονηροῦ, convenientius magisque emphaticum est, ut precemur, nos liberari ab eo πονηρῷ, qui tentationibus suis nobis identidem imminet, idque unum agit, ut nos evertat, quàm si rogaremus tantùm, ut ab eo malo vindicaremur, quod nondum peractum est, quamvis ad id naturâ simus vehementer propensi. Ubi enim ad nostram propensionem accedunt tentatoris artes, longè gravius est peccandi periculum, tantò acriore precandi studio propulsandum & amoliendum. De liberationis *modo* videbimus in explicatione textus Catechetici, quam hactenus dictis subjiciemus brevissimam, sequentes ordinem rerum in analysi delineatum.

VI. Q. *Quæ nobis causa petendi*, ne nos inducas in tentationem &c.? R. Catech. geminam exponit. Q. *Prior unde arcessitur?* R. A nostra infirmitate; *quoniam ipsi naturâ adeò debiles sumus* &c. h. e. ex nobis adversus tentationem τοῦ πονηροῦ usque adeò nihil valemus, ut nobis ipsis permissi hostis impetum ne ad momentum quidem sustinere queamus *Matth.* 26: 41. Q. *Posterior unde petitur?* R. Ab hostium malitia atque studio. Q. *Hostes illi quinam sunt?* R. I. Satan, ὁ ἀντίδικος ὑμῶν 1 *Pet.* 5: 8. hostis certè astutissimus, unde *serpens* 2 *Cor.* 11: 3. fortissimus, unde *leo*, 1 *Pet.* 5: 8. truculentissimus, unde *draco* appellatur *Apoc.* 12: 9. II. Mundus, malignorum multitudo, quæ *semen serpentis*, *Gen.* 3: 15. *Matth.* 3: 7. cujus *Deus* ipse Satan 2 *Cor.* 4: 4. *qui operatur in filiis inobedientiæ*, *Eph.* 2: 2. III. Caro nostra, quæ intra nos concupiscit adversus Spiritum, *Gal.* 5: 17. eique pertinaciter rebellat, *Rom.* 7: 23. Q. *Hostes*

Duplex causa petendi, ne nos inducas &c.

ſtes iidem quales ſunt ? R. Inſenſiſſimi, ut vel citata mox Scripturæ loca docent. Q. *Quodnam illorum ſtudium ?* R. Nos continenter oppugnant, nullæ hîc induciæ, nulla pax, Diabolo duci & primipilo ſubſervientibus Mundô & carnis concupiſcentiâ.

Quænam ſexta petitione orare jubeamur juxta Catech.

VII. Q. *Dixiſti de petendi neceſſitate: audiam nunc, quæ Chriſtus peti jubeat.* R. Juxta expoſitionem Catech. petere jubemur I. Suſtentationem: *tu nos ſuſtentes*, tùm ne hoſtium inſidiis expoſiti in tentationem veniamus, tùm ne tentati noſtrâmet imbecillitate concidamus. 1 *Cor.* 10: 23. II. Confirmationem; tu nos *Spiritus tui robore firmes, ne in hoc ſpirituali certamine ſuccumbamus* &c. *Eph.* 6: 10, & ſeqq. III. Victoriam plenam tandem ab omnibus hoſtibus devictis & ad ſcabellum pedum noſtrorum dejectis reportandam, *Rom.* 16: 20.

Diabolus tentat nos vel per ſe, vel interventu Mundi.

VIII. Cæterùm, ut hæc paulò diſtinctius intelligantur, conſiderandum nobis tùm quomodo ὁ πονηρὸς nos tentet, tùm quomodo Deus nos liberet. Quæram ergò, *quomodo nos tentat Diabolus ?* R. Vel per ſe, vel interventu Mundi. *Per ſe* quidem, cùm aut in forma aliqua apparens homines alloquitur, & præſens præſentes ad malè faciendum inſtigat. Cujus rei exempla in hiſtoria ſacra & profana occurrunt: aut internâ aliquâ ἐνεργείᾳ hominum animos afficit, *Eph.* 2: 2. vel objiciendo imaginationi phantaſmata, quæ malas menti injiciunt cogitationes; vel concitando affectus, qui hominem transverſum agunt, & in peccatum præcipitant. Eâ Diaboli μεθοδείᾳ, nobis ſanè imperveſtigabili & hôc magis cavendâ, inductus Judas horrendi exempli facinus in Servatorem noſtrum auſus eſt: unde Satanas in eum introiiſſe dicitur, *Luc.* 22: 3. *Joh.* 13: 27. Rurſus *interventu Mundi* tentat nos Diabolus, cujus vel odiô ad perſecutionem veritatis, eamque profitentium, (unde *perſecutio* dicitur tentatio, *Apoc.* 3: 10. & Diabolus perſecutionum concitator in primis nominatur Spiritus Antichriſti 1 *Joh.* 4: 3.) vel certè blandimentis utitur, oſtentando commoda ſeculi, quibus ingenium humanum vehementer everberari & illici ſolet. Unde & inter tentatio-

tationes, quibus Servator fuit impetitus, ostentatio regnorum Mundi & gloriæ ipsorum connumeratur *Matth.* 4: 8.

IX. Q. *Expositò tentationis Satanicæ modò, superest, ut ostendas, quomodo nos Deus liberet.* R. Modò ad quodvis tentationis genus accommodatò. Exempli causa. 1. Prohibet ne Satanas se det in conspectum hominis: aut ubi id permiserit, horrorem illius sanctum incutit homini, quò ab ejus colloquio deterreatur; vel generosum illi addit animum, quò tentatoris artes cum contemptu eludat. 2. Prohibet, ne tentator sese insinuet in facultates interiores, vel si Deo permittente illas ad tempus occupat, eundem inde expellit, fidemque sustentando, & roborando animum adversus suggestiones ejus firmat &c. 3. Prohibet, quominùs persecutiones concitentur, & concitatas temperat, viresque tentatis suppeditat, ne malorum, quæ Mundus intentare & minari solet, acerbitate difficultateque offensi animos despondeant, fiduciam ac spem abjiciant, & omninò sub onere fatiscant. 4. Rursus ubi Mundus abblanditur, Deus nos liberat, vel subducendo, quæ sua jucunditate nos titillare & capere possent; vel subministrando tantum fidei robur per Spiritum S., ut cor nostrum præservetur à seductione. Hæc diducere & pluribus illustrare brevitatis studium vetat. Tantùm, quod B. Calv. monet, diligenter animadvertendum est, non nostrarum esse virium, cum Diabolo tanto bellatore congredi, nec vim ejus atque impetum ferre: alioqui frustrà aut per ludibrium à Deo poscereturr, quod domi apud nos esset.

Quomodo à quolibet tentationis genere Deus nos liberet summatim exponitur.

Quæstio CXXVIII.

Quomodo concludis precationem tuam?

QUia tuum est regnum, & potentia & gloria in secula: *hoc est, Omnia hæc à te petimus, quia cùm &*

rex noster, & omnipotens sis, omnia nobis & vis & potes largiri: Atque hæc quidem ideò petimus, ut ex iis non ad nos, sed ad sanctum nomen tuum omnis gloria redeat.

ANALYSIS.

Catechum. de clausula orationis Dominicæ interrogatus.

I. Priorem ejus partem recitat; *Quia tuum est regnum* &c.

II. Ejus mentem exponit, ostendens, eâ contineri argumenta fiduciæ de exauditione nostrî. Ubi.

1. Parrhesiam & fiduciam exprimit; *Omnia hæc â te petimus, quia.* Et rursus, *atque hæc quidem ideò petimus* &c.

2. Fiduciæ firmandæ argumenta subjicit tria, petita, 1. â voluntate largiendi quæ petimus. 2. â potentia; *cùm & Rex noster & omnipotens sis, omnia nobis & vis* &c. 3. â gloria Dei; *ut ex iis non ad nos, sed* &c.

EXEGESIS.

Clausula orationis Dom. quas habeat partes,

SUperest tertia Orationis Dominicæ pars, quæ est clausula, habens tùm δοξολογίαν *quia tuum est regnum* &c. tùm signaculum, *Amen.* De priori præsens, de posteriori sequens est quæstio. Q. Δοξολογία *istlhæc quò spectat?* R. Ad fiduciam in nobis ingenerandam ex consideratione & agnitione immensarum

rum Dei virtutum, itemque ad ardorem animi in precibus incendendum, intuitu & amore gloriæ Dei. Hæc solida tranquillaque est fidei nostræ requies. Nam si nostra dignitate nostræ Deo orationes commendandæ essent, quis vel mutire coram eo auderet? Nunc ut miserrimi simus, ut omnium indignissimi, ut omni commendatione vacui, nunquam tamen orandi nos causa deficiet, nunquam fiducia destituet: quando nec Patri nostro regnum suum, potentia, gloria eripi potest. Δοξολογία, *prior ejus pars, quò pertineat.*

II. Q. *Quænam habes fiduciæ tuæ argumenta?* R. Epilogus orationis Dom. tria suggerit. I. Quia Deus omnia, quæ justi petimus, *vult* largiri. Q. *Unde verò id concludis?* R. Ex eo quòd Rex noster est. Cùm enim ipsius sit regnum, sive jus nobis imperandi, persuasum est mihi de optima ejus voluntate subditos tuendi, iisdem necessaria providendi, hostes coërcendi &c. Hôc argumentô utens David, *attende*, inquit, *ad vocem implorationis meæ, Rex mi, & Deus mi. Psal.* 5: 3. Et rursus, *Tu ipse es Rex meus, ô Deus! Præcipe* adesse *salutes Jacobi, Psal.* 44: 5. sic *Ps.* 74: 12. II. Quia quæ juxta voluntatem ejus petimus etiam largiri *potest*, cum sit omnipotens. Ideò orantes jubemur illi adscribere δύναμιν, *quia tua est potentia:* quâ facere potest supra illa, quæ petimus aut cogitamus, *Eph.* 3: 20. Hôc argumentô usus Josaphat; *Nonne tu Deus in cœlis ----- ita ut in manu tua sit vis & potentia, ac nemo tibi possit obsistere?* 2 *Chron.* 20: 6. III. Quia ut debet, sic etiam vult precibus nostris earumque exauditione glorificari, tanquam magnus atque dives bonitate, misericordiâ & gratiâ. Q. *Quid igitur significamus, quando orantes dicimus, quia tua est* gloria? R. Id docet Catech. verbis; *Atque hæc quidem ideò petimus, ut ex iis non ad nos, sed ad sanctum nomen tuum omnis gloria redeat. Psal.* 115: 9. significans, quem nobis orantibus finem oporteat propositum, scil. non ut optata ferentibus benè sit, sed ut hilari animo Deum glorificemus: neque enim se suaque commoda, sed Dei gloriam, votorum suorum finem facere convenit. *Petetis, & non accipitis, quia malè petitis*, non, ut habentes necessaria Deo serviatis, sed *ut* *Argumenta fiduciæ, quæ clausula suppeditat, exponuntur.*

habeatis quæ in voluptates impendatis, *Jac.* 4: 3. Petenda igitur necessaria, sed humiliter, simplici intentione & animo recto, i. e. ad Dei gloriam, utendi.

Explicatio phraseos in secula.

III. Q. *Quid illud εἰς τὰς αἰῶνας?* R. Gloriæ divinæ denotat æternitatem: qui vocis, saltem cùm in plurali adhibetur, significatus est indubitatus, & passim in formulis, ubi gloria Deo tribuitur, usitatus: ut *Rom.* 1: 25. & 9: 5. 2 *Cor.* 11: 31. nonnunquam cum additamento τῶν αἰώνων, ad vehementiorem emphasin, ut *Gal.* 1: 5. *Cui gloria εἰς τὰς αἰῶνας τῶν αἰώνων in secula seculorum.* Gloria, quæ potestatem & potentiam hominum comitatur, cùm eorum natura sit evanida, necessariò corrumpitur & marcescit. At gloria Dei, ex immutabilibus & æternis enascens, in omnem seculorum æternitatem manet.

Quæstio CXXIX.

Quid sibi vult particula, AMEN.

REm certam ac ratam esse. Nam precatio mea multò certiùs à Deo est exaudita, quàm ego in corde meo sentio, me illud ex animo cupere.

ANALYSIS.

Interrogatus de significatu & usu particulæ *Amen.*

1. Sensum ejus paucis exponit; *Rem certam & ratam esse.*
2. Confirmat & imparium collatione amplificat; *Nam precatio mea multò certiùs à Deo est exaudita, quam* &c.

EXE-

EXEGESIS.

ALtera pars Epilogi est τὸ *Amen*, signaculum orationi adjectum, de quo supereſt ut quæram. Q. *Quid ſignificaturus adjicis particulam Amen?* R. I. Sinceritatem voti atque deſiderii: meque adeò verè velle, quod in votis eſt. Ἀμὴν enim denotat γένοιτο, ut *Jer.* 28: 6. ubi explicatur per *ſic faciat Dominus*. Hæc igitur eſt teſtificatio ſinceritatis & bonæ conſcientiæ, fidei non fictæ & charitatis ingenuæ, quâ liberè coram Deo Patre, pro nobis, & aliis orantes, profitemur, nos non habere cor ἀκαλάφαλον, adeoque non eſſe δίψυχος & ambiguos, *Jac.* 1: 8. verùm reapſe nos quærere glorificationem nominis divini, regnum Dei &c. II. Fiduciam de exauditione votorum è promiſſorum divinorum veritate conceptam. Enimverò *Amen* vocula fidei eſt, qua promiſſionis veritatem in corde noſtro obſignamus. Unde אלהי אמן *Deus Amen*, *Eſai.* 65: 16. & omnes promiſſiones Dei in Chriſto factæ dicuntur τὸ ναὶ, καὶ τὸ Ἀμὴν, 2 *Cor.* 1: 20.

Quis uſus & ſignificatus particulæ Amen.

II. Obj. *Quid ſi, quod per infirmitatem noſtram ſæpè ſæpiùs uſuvenit, animi deſiderium tepet, ſtudium devotionis relangueſcit, fiducia labaſcit neſcienti quid roges, Rom.* 8: 26. *quâ ratione audebis addere Amen?* R. Infirmiti non indulgebo, Spiritum gratiæ & ſupplicationum, qui *infirmitatibus noſtris opitulatur*, pro incremento fidei tantò perſeverantiùs implorabo, interim exauditionem non deſperaturus. Cùm enim etiam infirmi fide, Chriſto infallibili Authore, *Amen* dicant, eo me ſolabor, quòd oratio mea multò certiùs à Deo ſit exaudita, quàm ego in corde meo ſentio, me illud ex animo cupere, *Eph.* 3: 20.

Reſpondetur cauſanti imbecillitatem fidei & languorem deſiderii in precibus.

FINIS.

INDEX RERUM ET VERBORUM.

*A*blui *sanguine & Spiritu Christi quid significet.* 375. *& seqq.*

Absolutio Sacramentalis non est pars potestatis clavium. 450. *& seqq.*

Absolvere potest minister Evang. peccatorem ut præco & consolator, non ut judex. 452. *& seqq.*

Adamus quomodo ad peccandum inductus. 51. *Idem generis humani caput naturale & politicum.* 52.

Adiaphororum usus non indifferens. 472.

Adoptio quid sit, & quomodo fiat. 197. *Ejusdem certitudo & Criteria.* 198. *Causæ.* 199.

Adoptionis fidelium Vet. & N. Test differentia. 578.

Adoratio Dei & quæ ad eam spectant: item adorationis religiosæ & civilis differentia. 487.

Adulterium quid 540. *Sub adulterii nomine damnata peccata.* 543.

Ægyptiaca servitus quantum malum: liberatio ex eadem quantum beneficium fuerit. 477.

Agapæ. 392.

Agnitio Dei recta. 486.

Amen quid significet. 617.

Amor Dei. 487.

Animam post mortem hominis vivere immortalem, operari & sentire, probatur. 318.

Ascensionis Christi in cœlum veritas. 266. *Ejusd. causa efficiens ipse Christus.* 267 *Modus. ibid. unde & quò ascenderit.* 268. *Ascensionis fructus.* 276. 277.

Avaritia quo sensu, & quare dicatur idololatria. 484.

Βαπτίζειν *quid significet.* 369. *Distinctio baptismi* fluminis, luminis, flaminis & sanguinis *qualis sit.* 371. *Baptismi author. ibid. Instituendi Baptismi occasio.* 371. *Signum in baptismo.* 371. 372. *Ritus immersionis & aspersionis.* 372. *Unane an trina aspersione utendum baptizanti.* 373. *Res baptismo significata, & finis. ibid. & seqq. Mandato baptizandi Apostolis dato etiam successores teneri.* 377. 378. *Baptismi minister idem qui verbi.* 379. *Baptismi necessitas qualis. ibid. Mandato baptizandi annexa promissio.* 380. 381. *Quo sensu baptismus dicatur* ablutio peccatorum *&c.* 381. *& seqq. Quæstionis de Pædobaptismo status explicatur.* 386. *Pædobaptismus probatur.* 386. *& seqq.*

Beatitudinis summa qua in re consistat. 326. *Ubi & quando percipienda.* 327. *Quo fine quærenda. ibid. &* 3 4.

Blasphemia quid & quotuplex. 504.

Bonum summum & finis summus idemne sint, an diversa. 3.

Bonis externis & temporalibus quomodo utendum. 160. 161.

Cædes. 534. *Quomodo perpetretur.* 535.

Caro dicitur corruptio naturalis, & quare. 55. 56.

Carnem assumere quid notat. 210.

Catecheseos unde dicta. 6. *Quid Catechismus. ibid. Catecheseos origo & antiquitas. ibid. Palatina ubi, cujus jussu, quibus authoribus, quando & quo successu scripta & edita.* 8 *Ejusd. methodus & partitio.* 9.

Catechetæ & Catechumeni quinam dicti. 8.

Catechumeneia qualia loca. 8.

Catholica fides unde dicta. 127.

Ceremoniæ legis quid, quotuplices, quis earund. usus. 100.

Certitudo salutis. 22. *qualis sit.* 23.

Christus, quale nomen origine & significatu. 174.

Christus Filius Dei, excellentissimo nominis significatu, unigenitus, proprius, æternus. 195. 196.

Christi Dominium & imperium in redemptos fundamentum solidæ consolationis. 12. 14. *Dominium illud est plenissimum & perpetuum. ibid. Unde sit quæsitum.* 15.

Christiani unde & cur dicti. 186. *& seqq.*

Claves regni cœlorum. Vide, Potestas clavium.

de Cœna Sacra. 391, *& seqq. Cœna appellatur ipsum Sacramen-*

mentum Eucharistiæ. 392. S. Cœnæ author. 393. Institutæ Occasio. ibid. & seqq. Tempus. 412. Subjectum recipiens 395. 435. & seqq. Symbola in S. C. quæ: & quare gemina. 396. Quare & qualem panem: quare & quale vinum adhibuerit Christus. 397. 398. Ritus circa elementa. 399 & seqq. Res significata. 401. Usus & finis. 402. 403. & seqq. Superstitiosi ritus Papistarum notantur. 412. Verba promissionis in institutione S. C. 413. Verba, hoc est corpus meum, expenduntur. 418. & seqq.

Communicatio idiomatum quid & quotuplex. 95.

Communionis Sanctorum non superflua mentio in Symbolo Apost. 306. Qua in re consistat. 307. & seqq. Quousque extendenda. 309. 310.

Communio altaris quid significet. 394.

Communio sub utraque specie defenditur. 398. 399.

Κῶμος, quis & qualis. 543.

Concupiscentia decimô Dec. præceptô damnata, qualis. 356.

Confessio Religionis. 503.

Confessio peccatorum mutua ex Jac. 5: 14, 15. explicatur. 453. 454.

Consequentiæ, ex verbo Dei deductæ, sunt de fide. 112.

Conservatio redemptorum. 19.

Conservatio rerum continua creatio. 146.

Consolatio finis institutionis Catech. 11. Quid sit. ibid. Qualis. ibid. Ejusdem summa. 12. Consolationis consequendæ media. 24. Mediorum ratio, necessitas & ordo. 25.

Contritio & attritio Pontificiorum. 436.

Contumelia nominis divini peccatum longè gravissimum. 507. 508.

Conversio hominis ad Deum quomodo in tertia parte Catecheseos consideretur. 461. Ejus partes. 462. 463.

Convivæ in S. Cœna digni & indigni describuntur. 435. & seqq. Indigni quomodo rei fiant corporis. & sang. Christi. 437.

Convivificari in Christo Jesu quid notat. 167.

Cordis nomine quid intelligitur. 115.

Corpus Christi, quod obtulit, quale intelligitur. 180.

Corpus Christi quomodo à Resurrectione glorificatum. 269. 270.

Corruptionis innatæ vis. 60. *vide* peccatum originale.
Creatio omnium ex nihilo. 144. *& seqq. Vis creandi, solius Dei propria est.* 145.
Credenda ad salutem quæ. 123. *Eorum compendium est Symbolum Apost. ibid.*
Credentes quare sancti dicuntur. 307.
Credere, Deo, Deum, in Deum, *quomodo differant.* 143.
Crucis supplicium apud quos usu receptum. 231. *Supplicii instrumentum, modus & qualitas.* 232.
Crucifixio Christi non fortuito facta, &c. 232. 233. *Quo fine suo & fructu nostro Christus crucifigi voluerit.* 233.
Crucifixio veteris hominis. 245. 246.
Cultus Dei rectus non caret præmiô. 2. 3. *Cultus divini ratio secundo Dec præcepto sancita.* 495.
Cultus latriæ, duliæ & hyperduliæ distinctio refutata. 490.

Decalogi lex bonorum operum norma. 475. *Decalogi divisio. ibid. Præfatio Mosis & Dei expenditur. ibid. & seqq. Præceptorum Decalogi distributio.* 478. *Quot cuique tabulæ assignanda sint præcepta.* 479. *Decalogi interpretandi regulæ.* 480 *& seqq.*
Decretum Dei æternum: quare manus & consilium dicatur. 144.
Descensus Christi ad inferos qualis. 248. *& seqq. Rectè de passionibus Christi internis explicatur articulus Symboli, quæcunque demùm mens fuerit Authorum Symboli.* 250 *& seqq.*
Deos Gentilium nominare, vetitum. 494.
Deus unus & unicus. 132. 133 *Quod creditu summè necessarium.* 132.
Dei nomen quare aliquando ὑποσαλικῶς de Deo Patre accipiatur. 143.
Deus quando se Deum alicujus dicit, quid significet. 477.
Dextra Dei quid notat. 280. *Sedere ad dextram in genere quid notat.* 278. 279. *Quomodo Christo tribuitur.* 280. 281. 282.
Diabolus quondam in imaginibus locutus Gentilitatem insatuavit. 498. 499. *Quare dicatur tentator.* 611. *Quomodo homines tentet.* 612.

Diabolo impulsore homo peccavit, eô tamen non excusandus. 64.
Dii alieni qui dicantur in primo Dec. præcepto. 484.
Diligere Deum quid sit. 32. *Quomodo Deus diligendus.* 33. *Ubi notatur corruptela Jesuitica.* 34.
Diligere proximum quid, & quomodo &c. 35. 36.
Disciplina Ecclesiastica. Vide, Potestas clavium.
Divortium quomodo lege Moſis permissum. 542.
Domini titulus quo sensu & jure Christo tribuatur. 201. 202.
Dominium Christi in redemptos quale. 13. *Vide* Christi Dominium. *&c.*
Domini secundùm carnem unde & quare dicti. 14.
Dona in singulos fideles collata censeri debent dona Ecclesiæ data. 308. *Dona illa quotuplicia. ibid. & seqq.*

Ecclesiæ nomina in Scriptura. 296. *Nominis* Ecclesia *homonymia* 297. *Ecclesiæ conditor quis, & quomodo, ibid. Ejusd. materia.* 299. *Forma* 301. *Ecclesiæ visibilis & invisibilis distinctio quomodo intelligenda. ibid. Ecclesiæ Epitheta*, Sancta, Catholica. 302. *& seqq. Catechumeni fides de Ecclesia.* 304. *& seqq.*
Ἐθελοθρησκεία *secundô Dec. præceptô damnata.* 494.
Epula Sacra in Vet. Test. 394. 395.
Evangelium unde dictum, & quid significet. 97. *Evangelii prima patefactio. ibid. Propagatio.* 98. 99. *Adumbratio.* 100. *Implementum.* 101. *Evangelium quomodo potens sit ad fidem ingenerandam &c.* 355.
Exaltatio Christi qua in re spectanda. 256. *Ejus gradus. ibid.*
Excommunicationis disciplinam quis, quomodo, & quo fine administrare debeat. 441. 449. *Excommunicandi quinam, & qua de causa.* 439. 440. 449.

Fides historica, temporaria, miraculorum 107. 138. *Fides justificans.* 108. *Prima ejus pars, Notitia.* 109. *Fides implicita Pontificiorum.* 110. *Secunda fidei pars, Assensus.* 111. *Ejusd. objectum generale & speciale.* 112. *Tertia fidei pars, fiducia.* 113. 114. 115. 486. *Fidei actus dispositivus, justificatorius & consolatorius.* 115. *& seqq.*

& seqq. Fidei certitudo non semper eadem. 118. Fidei justificantis objectum specialis misericordia. 119. Cuique credentium jus, sibi per fidem applicandi promissa Evangelica. 142. Fides sola quo sensu justificet. 343. 344. Quòd sola justificet 345. & seqq. Quomodo & qua vi justificet. 347. & seqq. Fides Dei donum quò sensu. 354. Fidei procreandæ, conservandæ & augendæ organa. ibid. & seqq.

Fiducia in Deo Patre reponenda. 147. & seqq.

Fiducia, quid notat. 486.

Fideles, Unctionis Christi participes, Prophetæ, Sacerdotes & Reges sunt 190. Quid iis quà talibus faciendum incumbat. ibid. & seqq.

Filiatio Christi. 195. Ejus una tantùm causa. 196.

Filiatio nostra. 196.

Filius Dei. Vide, Christus, Filius &c.

Finis institutionis Catech. quis. 11.

Fractio panis in S. C. non est ritus indifferens. 400.

Furti interdictum juris est naturalis. 546. 547. Furtum quid & quotuplex. ibid. Furibus annumerantur avari & prodigi. 549. Furti pœna. 550.

Genealogia Christi ex Davide, paucis vindicatur adversus Judæos. 211. 212.

Gestus quis adhibendus oranti. 565.

Gloriæ Dei æternitas. 616.

Gratitudo in rebus secundis. 160. 161. Gratitudinis studium finis liberationis nostræ per Christum. 456. In quibus consistat. ibid.

Hהאמין credere, quid notat. 113.

השת חוה quid notat. 494.

Homo creatus à Deo bonus. 43. Et ad imaginem Dei. ibid.

Homo vetus, quid. 55. Novus 466.

Homicidium. vide, Cædes. Interdicti de homicidio æquitas & sanctio. 536.

Honor parentibus habendus ex quinto Dec. præcepto. 527. Quænam complectatur officia, & quare. ibid. & 528. 529.

Humilitas. 486.

Hyperdulia. 490.
Hypocrisis. 505.
Hypocritæ. 437.

Idoli & imaginis distinctio refutata. 492. 493.
Idololatria quotuplex. 484. *Papistas esse idololatras ostenditur.* 489. 490.
Jehova, nomen Dei proprium, quid significet, & quo fine Deus illud sibi fecerit. 476.
Jesu nomen quale sit usu & origine. 163, 164. *Non fortuitò, sed consilio Servatori nostri otributum.* 195. *Qua de causa. ibid.*
Imago Dei in primo homine diligenter inspicienda 44. *Ejus partes* 45 46. 47. *Finis & usus.* 48. *Quo sensu primo homini fuerit naturalis.* 48. 49. *Quomodo per peccatum amissa.* 64.
Imaginem Dei fabricare, illicitum. 492 493. *Cultus Dei in imagine vetitus. ibid. &* 494. *Quare.* 595. *& seqq.*
Imaginum usus triplex. 497. *Licitarum & illicitarum distinctio.* 498. *Sanctorum imagines in cultu habere illicitum.* 499. *An in templis tolerandæ pro libris imperitæ multitudinis.* 500. *& seqq.*
Impotentia hominis ad bonum spirituale absoluta. 60. *Inexcusabilis tamen.* 63.
Imprecatio. 504.
Imputare. 340.
Imputatio peccati primi parentis immediata & mediata. 53. *Immediata defenditur. ibid.*
Imputatio justitiæ Christi. 340. *Ejus fundamentum & ratio.* 341. 342.
Incantatio quid, ubi prohibita. 485.
Incarnatio Filii Dei multis explicata. 204. *& seqq. Ejus fructus.* 213. 214.
Incestus quid. 541.
Incestûs in linea recta & transversa turpitudo ostenditur. ibid.
Intercessio Christi Sacerdotis qualis sit & pro quibus fiat. 181. 182.
Invocatio quid sit. 487. *Judicium universale futurum.* 286. *Id solamini est fidelibus.* 287.

Juris-

Jurisjurandi requisita. 510. 511. *Distinctio ibid. Locum habere in N. T. probatur.* 512. *Jurare per creaturas, illicitum.* 514. *Jusjurandum temerarium.* 504. *Promissorium* 511. *assertorium. ibid.*
Justitia quid sit. 47 *Justitia Adami integri. ibid.*
Justitiam peccati ultricem in Deo ineße probatur. 68.
Justificationis doctrina summi momenti. 332. *Nominis explicatio.* 332. 333. *Justificatio Legalis & Evangelica.* 334. *Evangelica probatur & describitur. ibid. Ejus Author, subjectum, causa impulsiva.* 335. 336. *Materia, sive δικαίωμα, quo justi constituimur* 337. 338. *Forma.* 340. *& seqq. Causa instrumentalis.* 343. *& seqq Finis & fructus.* 349. *Reprimitur calumnia adversantium Doctrinæ de gratuita justificatione.* 352.

Lex Dei quid, qualis & quotuplex 28. *Legis ceremonialis usus.* 29. *Lex quo fine peccatori data.* 30. 563. *Legis moralis summa explicatur.* 32 *& seqq. Lex peccatori impossibilis præstitu.* 39. *Lex Decalogi. vide,* Decalogus. *Legis divinæ perfectio.* 557. *Ejus impletio etiam conversis in hac vita impossibilis est.* 559. *Neque tamen legis prædicatio est inutilis.* 562. 563.
Liberatio hominis ex miseria qualis sit. 76. *An possibilis sit.* 77 *Liberatio à tentatione.* 613.
Ligare & solvere, quomodo de clavibus regni cœlorum dicatur, & quid significet. 447.
Λογίζεσθαι 341.
Longævitatis Patriarcharum ratio. 98. 99.

Magia quid, ubi prohibita. 485.
Maledictum esse quid notat 233.
Manducatio oralis carnis Christi nequicquam concluditur ex manducatione carnis victimarum Vet. Test. 395. *Refutatur* 405. *& seqq.*
Manducatio corporis Christi quotuplex. 409. *Spiritualis quid sit, & quomodo fiat.* 406. 407.
Maria, Mater Servatoris, an adoranda, quia Deipara. 209. *Quare Josepho desponsata &c.* 208. *Fuit virgo* ἀπείκληρος. 211.

in Mediatore Deum inter & hominem quæ requirantur. 84. & seqq. Mediator idoneus in Jesu Christo exhibetur. 91. 92. 93. Is Mediator est secundum utramque naturam. 95.
Memoriæ mortis Christi in celebratione S. C. 413.
Mendacium jocosum & officiosum an licitum. 554.
Merces propriè & metaphoricè dicta 551.
Metonymiæ sacramentalis ratio. vide Sacramenta.
Miseria hominis naturalis quæ & quotuplex. 27. Ejus agnitio necessaria. 25. Unde petenda. 27. 28. 29. Quando & quomodo ex lege agnoscatur miseria 29. 30.
Misericordia Dei. 72. Quomodo illi conveniat cum justitiæ ultrice in Deo. 72. 73.
Missa Papistica quid sit, & quæ de eadem agendi necessitas in Catechesi. 42. Missæ & S. Cœnæ antithesis. ibid. & seqq. Missa unici sacrificii Christi abnegatio 428. In Missa committi idololatriam ostenditur. ibid. & seqq. Missæ sacrificium refutatur 432 433.
Mors peccati pœna 69. Quomodo & quare mortis nomine omne genus miserias complectatur Scriptura ib. & seqq.
Mors fidelium non pœna, sed peccati abolitio & transitus in vitam æternam. 243. 244.
Mortis Christi veritas. 236. Quo sensu Filius Dei dicatur fuisse mortuus. 237 Quæ mortis ejus fuerit necessitas. 238. Fructus 245. 246.
Mortificatio veteris hominis pars conversionis. 462. Quæ ratio appellationis. 463. Quid sit, & quomodo fiat. 464. & seqq.
Mortuus in peccatis, quid significet. 56.

NOmen Dei quid sit. 503. 584. Quid, usurpare nomen Dei in vanum. 503. 504. Quid nomen Dei sanctificare 585.
Nominis Dei religiosus usus. 505. Ejusd. profanatio severè punitur. 506. & seqq.
Nomina Filio Dei tributa in Symbolo Apost. 163.
Novus homo quid sit, & quæ ratio appellationis. 466.

OBedientia Christi activa & passiva. 338. Accuratè loquendo una tantùm est. ibid. & seqq Respondetur illis, qui solam passivam nobis imputari contendunt. 339. 340.
Obedientiæ novæ studium. 562.
Obtrectatio. 553.

ad Odium Dei & proximi peccator naturâ proclivis est 40. 41.
Oeconomiæ operum divinorum personalium quæ ratio. 128. 129.
Officia virtutis primò Decalogi præcepto sancita. 486. *& seqq. Secundo.* 495. *Tertio.* 505 *Quarto.* 520. *& seqq. Quinto.* 527. *& seqq. Sexto.* 537. *Septimo.* 544. *Octavo.* 549. *Nono.* 554. *Decimo.* 557.
Opera divina œconomica. vide, œconomiæ operum.
Opera nostra bona non esse meritoria. 351. *Eorum necessitas.* 457 *& seqq. Requisitæ conditiones.* 469. *& seqq.*
Orantis fiducia quibus argumentis nitatur. 615.
Oranti quem finem propositum oporteat. ibid.
Oratio. vide preces.
Oratio Dominica. 572. *An & nobis præscripta* 573. *Formula, an idea. ibid. &* 574. *Orationis Dom. præstantia. ibid.*
Osor fratris quare homicida dicatur. 536.

PAnis nomine quid intelligendum in oratione Dominica. 599. *& seqq. Panis ἐπιούσιος quid.* 601. *Labore quærendus & nihilominùs à Deo petendus.* 603.
Paradisus. 52.
Parentum nomine in quinto Dec. præcepto qui, & quare intelligendi. 526. 527.
Passionum Christi distinctio. 216. *& seqq. Passiones Christi ultimam antegressæ quam habuerint rationem* 217. *Internæ & externæ etsi causis proximis distinguantur, tamen non sunt separandæ* 219. *Quot & quanta mala passus sit Christus* 220. 221. *Quomodo* 221. 222. *Passiones illæ quales fuerint genere.* 223. *Effectu.* 224. 225. *Quare & quo fine sub judice Pilato passus.* 229. 230. *Passiones animæ Christi.* 251. *Rectè dicuntur infernales.* 252. *& seqq. Earum fructus.* 255.
Pater quo respectu dicatur in Symbolo Apost. & quid de eo credendum. 144. *& seqq. Fiducia in eo reponenda.* 147. 148. *Quo sensu patris nomen sumatur in orationis Dom. exordio.* 577. *& seqq.*
Patientia. 160. 486.
Patriarchæ qui & quod eorum fuerit officium ratione religionis. 98.

INDEX RERUM

Peccatum quid. 313. *Agnoscitur ex lege morali.* 28. 29 *Primum & à primo ortum.* 50. *Primi peccati gravitas ib. & nocendi vis.* 57. *Idem commune fuit primorum parentum* 51. *Quare tamen ad unum Adamum referatur.* 53. *Ejus effecta* 52. *Idem omnium Adami posterorum commune est, imputatione immediata.* 53. *Excipitur solus Christus.* 58.

Peccatum originale. 54. *Nobis naturâ inesse probatur.* 55. *Ejusd. propagatio explicatur & demonstratur.* 57. 58.

Peccatum non potest dimitti inultum 66 &c.

Peccati turpitudo ostenditur. 73. 74.

Perfectio partium, graduum, perseverantiæ. 33. 34.

Perfectio conversorum in hac vita qualis sit. 560.

Perjurium. 504.

Perseverantia fidelium. 19. 20 21.

Pædobaptismus. vide Βαπτίζειν.

Pœna peccati temporalis & æterna. ejusque æquitas. 69. *Cur unô mortis vocabulô indigitata.* 70. 73.

Pontius Pilatus quis fuerit officiô. 226. 227. *Cur ejus mentio in Symbolo Apost. ibid.*

Potestas clavium unde dicta 445. *Clavium distinctio. ibid. Subjectum* 446 *Prioris clavis usus in regni cœlorum apertione & occlusione.* 446 447. *Efficacia.* 447. 448. *Posterioris clavis usus in excommunicatione & receptione.* 448 *& seqq. Efficacia.* 449 *Doctrina Catechetæ de potestate clavium vindicatur contra Pontificios.* 450. *& seqq.*

Præsentia Christi in terris qualis nunc, & quotuplex 271. *& seqq. Substantialis & localis præsentia corporis Christi in S. Cœna refutatur* 431. *& seqq.*

Pravitatis humanæ origo. 50.

Preces quid sint. 564. *Quotuplices.* 565. *Earum necessitas. ibid. & seqq. Conditiones requisitæ.* 568. *& seqq. Precanti quæ petenda.* 572.

Promissio prima gratiæ. 97.

Promissio annexa quinto Dec. præcepto. 530.

Prophetæ qui, & quodnam eorum fuerit munus. 99.

Propheticum Christi officium, ejusque partes 177. 178.

Proprietas imperii & dominii Christo convenit in redemtos. 13.

Providentia Dei quid. 151. *Ejus efficacia.* 152. *Actus.* 153.

Illi subjiciuntur omnia. 154. *Etiam minima.* 155. *Fortuita. ibid. Initium & terminus vitæ humanæ.* 156. *Actiones hominum. ibid. Quomodo providentia Dei versetur circa peccatum, ante in & post perpetrationem.* 157. 158 *Doctrinæ de providentia Dei fructus* 160. 161.

Providentia Dei paterna erga fideles in quibus spectanda. 148. 149

Proximus in præcepto dilectionis quis. 35.

Pugna Christianorum contra quos instruenda, quo authore, ubi, quando, quomodo, quo successu, quo victoriæ præmio. 192. 193.

Redemptio nostri per Christum qualis. 202. *Redemptionis pretium.* 17.

Reditus Christi ad judicium. 286.

Regium Christi officium. 182. *Ejus partes.* 184. 185.

Regnum Dei & regnum cœlorum. 589. *Ejus adventus.* 590. 591.

Regnum Christi naturale & œconomicum, & utriusque differentia. 182. *Regnum œconomicum quo sensu sit æternum.* 183.

Regulæ hermeneuticæ, quarum usus in interpretatione Decalogi 480. *& seqq.*

Religio quid sit, & quomodo appelletur in Scriptura. 1. 2. *Ejus partes* 2. *Quod præmium religionem colenti. ibid. & seqq. Religio Christiana unde dicta.* 4. *Veritatis ejus probandæ argumenta. ibid. & seqq. Veræ Religionis notæ.* 5. 6.

Remissio peccatorum. 312 *& seqq. Ejus Author* 312. *Causa impulsiva. ibid. &* 313 *Quomodo fiat ibid. &* 314. *Quo fine.* 315. *Remissionis facta criterium.* 315. 316. 607. *Quare quotidie petenda peccatorum remissio semel justificatis.* 605.

Remittere peccata quomodo dicantur ministri Evangelii. 452. *& seqq.*

Remittere debitoribus suis quid significet in oratione Dominica 606.

Resurrectionis Christi veritas probatur. 257. *& seqq. Christus suapte potentiâ resurrexit.* 262. *Resurrectionis Christi fructus.* 263.

Resurrectionis corporum nostrorum veritas probatur. 320. *Resurrectionis subjectum* 321. *Causa efficiens.* 322. *Forma, locus & tempus.* 323. *Quomodo Christus author resurrectionis impiorum.* 264.
Reverentia Dei. 487.

Sabbathi hebdomadarii in Decalogo mandati finis triplex. 516. *& seqq. Officia Catechetæ recensita quomodo ex mandato Sabbathi deducantur.* 519. 520. *Officia illa quæ & quotuplicia.* 520 521. *Quid quarti præcepti morale sit* 521. *& seqq. Theologorum ea de re dissentientium consensus quantum ad praxin.* 522. *Opera licita & illicita.* 523. *Sabbathi Judaici & diei Dominicæ differentia.* 524.
Sacerdotale Christi munus, ejusque partes. 179. 180.
Sacramenta fidei confirmandæ data. 355. *Sacramenti vox expenditur.* 357. *Ad Sacramentum quæ requirantur. ibid. Sacramenta cur signa & sigilla.* 358. *Qualia signa* 359. *Sacramentorum author.* 360. *Verbum quô elementum fit Sacramentum. ibid. & seqq. Elementi consecratio.* 361. *Intentio ministri an & quomodo necessaria ad sacramentum* 362. *Res significata. ibid. & seqq. Sacramenti forma in unione signi & rei signatæ: & qualis sit ista unio.* 363. *Finis ibid. & seqq. Verbi & Sacramentorum convenientia & differentia.* 365. 366. *Sacramentorum, pro ratione œconomiæ temporum, distinctio* 367. *Sacramenta N. T duo tantùm. ibid. Metonymiæ sacramentalis ratio.* 383 384 417.
Sacrificium. 224. *Sacrificium Christi quod & quale.* 180
Salvare quid sit. 166 *Salvat Christus meritô & efficaciâ. ib.*
Salus à Christo parta non est universalis. 104. *Sed electorum tantùm.* 167. *Ejus reddimur compotes per fidem.* 104 105. *Salutis impetratio & applicatio sine divulsione Christo vindicanda.* 166. *Salus illa perfecta.* 168. *Salus externa, quæ saluti sit, etiam Christo accepta ferenda.* 169. *Notantur qui aliunde saluiem quærunt.* 171. 172. *Salutis via eadem in V. & N. T.* 168.
Sanctitas quid sit. 46. 303.
Sanctificari quomodo quid dicatur. 585.
Sanctorum & aliarum creaturarum invocatio primô Dec. præceptô interdicta. 485.

Sanguis Christi pretiosus. 17. *Unicam ejus guttam non satis fuisse futuræ redemptioni.* 18.
Sapientia Adami integri. 48.
Satisfacere quid sit. 15. *Christum verè pro nobis satisfeciſſe Deo, probatur. ibid. & ſeqq.*
Satisfactio Christi qualis fuerit. 17. *Ejus neceſſitas.* 19.
Satisfactio perſonalis & vicaria. 78. *Vicariæ requiſita.* 79. 82. 83. *& ſeqq. Perſonalis homini peccatori eſt impoſſibilis.* 80.
Scortatio quælibet lege Dei damnatur. 541. *& ſeqq.*
Sepulturæ Christi circumſtantiæ præcipuæ explicantur. 239. 240 *Ejusd finis & fructus.* 240. 241.
Seſſio Christi ad dextram Dei probata & explicata. 278. *& ſeqq. Ejusd. fructus.* 283.
Solicitudo in comparandis vitæ neceſſariis quatenus prohibeatur à Chriſto. 149. 600. 601.
Spes in Deo reponenda fructus fidei de paterna ejus providentia. 161. *Spei fundamentum.* 162. *Spes viva.* 486.
Spiritus S. quis ſit quantum ad perſonam, & qualis quantum ad operationem œconomicam. 290. *& ſeqq.*
Superſtitio. 485.
Suſpenſi de ligno quare in lege divina maledicti pronuncientur, & ante ſolem occiduum ſepeliendi fuerint. 233. 234.
Suum quomodo quis aliquid dicere poſſit. 546.
Symboli vox. 123. 124. *Quare breviarium credendorum dicatur Symbolum.* 124. 125. *Quare Apoſtolicum.* 125. 126. *Symboli Apoſt. materia.* 127. *Diſtributio.* 128.

TEntatio quotuplex. 609. *Tentatio ad peccandum. ibid.* inducere in tentationem *quid denotet in Oratione Dom.* 610. *Quæ nobis cauſa petendi, ne inducamur in tentationem* 611. 612. *Tentationis Diabolicæ modus & ratio. vide* Diabolus.
Teſtimonium Spiritûs S. in corde fidelium probatur & explicatur. 22. *Ejus criteria.* 23.
Teſtimonium falſum nono Dec. præcepto diſertè vetitum quodnam. 552. *Peccata alia ſub eo nomine vetita.* 553.
Transſubſtantiatio panis & vini in S. Cœna nequicquam concluditur ex verbis. Hoc eſt corpus meum. 416. *& ſeqq.*

Trinitatis Personarum in Deitate cognitio ex solo verbo Dei petenda. 131. *Trinitas personarum divinarum probatur.* 133. *& seqq. Earundem distinctio.* 138. *Trinitas Personarum cum unitate essentiæ non pugnat.* 139. 140.

Tristitia secundùm Deum quo sensu & unde dicta. 465.

VErbi & Sacramentorum Convenientia & differentia. vide Sacramenta.

Veneratio Dei. 487.

Veteris hominis crucifixio, interemptio & sepultura. 246.

de Victimis quare edendum fuerit Sacerdotibus V. T. 394 395.

Vindicare parentum peccata in filiis quomodo dicatur Deus 496.

Vindicta privata damnatur. 535.

Virtutes Gentilium an bona opera 471.

Vita æterna unde & quare dicta. 325. *Quid solaminis afferat fides de vita æterna ibid. &* 326.

Vivificatio novi hominis pars conversionis. 462. *Ratio appellationis.* 463 *Quo sensu novus homo vivificari dicatur.* 467. *In quibus ista vivificatio consistat. ibid. & seqq.*

Unctio Filii Dei, Servatoris nostri. 175. *& seqq. Ejus suo modo participes fiunt fideles.* 189.

Unionem personalem in Christo morte non fuisse solutam, probatur. 237. 238.

Unio fidelium cum Christo. 188. 405. *Ejus consequens, communio in nomine & bonis Christi.* 189. *Unionis illius author, extrema, adjunctum & effecta.* 408. *Unio illa significatur, & confirmatur. usu S. Cœnæ.* 409.

Vocatio externa & interna. 298. *Interna quomodo fiat. ibid. & seqq.*

Voluntas Dei εὐδοκίας *&* εὐαρεσίας. 594. *Alterutra an utraque intelligenda in oratione Dom.* 595. *& seqq. Quomodo nobis faciendum, quod voluntatis divinæ est.* 597.

Usura. 548.

CATECHESIS PALATINA,

Brevi Quæstionum & Responsionum Analysi, & ampliore rerum Exegesi, in qua S. Theologiæ præcipua explicantur, suisque argumentis pro instituti modo confirmantur & defenduntur,

In usum Auditorii sui illustrata

à

J. RODOLPHO RODOLPH,
V. D. M. Theol. Catech. & Ling. Hebr.
in Schola Bernensi Professore
Publico.

2 Tim. 1. v. 13.

Exemplar teneto sanorum sermonum, quos à me audisti, in fide & charitate, quæ est in Christo Jesu.

Editio Nova, accuratior & emendatior.

LUGDUNI BATAVORUM
Apud JOH. & HERM. VERBEEK.
MDCCXXIII.

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:3-1192015415-150404433-12/fragment/page=655